[illegible] [illegible]

Est [illegible] Quare [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Est [illegible] Quare tam [illegible] [illegible]

Est [illegible] [illegible] Christus [illegible] [illegible] et [illegible]

Est [illegible] [illegible] omnes ab [illegible] et quomodo

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

Et [illegible] [illegible].

1 Presentia [illegible] Quare Regnum [illegible]
quod est tam amplum quo [illegible] non [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] qui illud [illegible]

2 Quamodo Christus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] et quid [illegible]

[illegible]
Quidam [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] et quare
Christus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] tam [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

[illegible]

[illegible] [illegible]

[illegible] [illegible]

+

A

Avaritiae hominum refutatio-
nem quaere et vide in concione
quadragesimali. Feria 5. post
Dominicam Secundam Quadra-
gesimae. Folio 200.
Amoris Dei et proximi diffe-
rentiam vide
Primo Amoris Dei concionem

X H b

~~[illegible]~~

R. P. IOANNIS OSORII, LVSITANI, SOCIETATIS IESV, CONCIONVM EPITOME.

PARS HYEMALIS,

Ab Aduentu vſque ad Paſcha,

Opera ac ſtudio,

IACOBI THEODARDI, SARTORII, BOLSVVERDIENSIS, FRISII, P. D.

COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, ſumptibus Arnoldi Mylij.
ANNO cIↄ. Iↄ. XCVIII.
Cum gratia & priuilegio Sacr. Caeſ. Maieſt.

ORNATISSIMIS, PRVDENTISSIMIS, AC INTEGERRIMIS, CONSVLIBVS, PROCONSVLIBVS, TOTIQVE S. P. Q.

Durstensi, Iac. Theodardus, Sartorius, Frisius pacem ac salutem à Christo.

QVantoperè exulceratissimo seculo nostro, Viri præstantissimi, mores nostri sint corrupti, & Ecclesiæ incorrupta doctrina hæreticorum fermento impetita, quantum quoq; nos à sanctissimorũ Maiorum nostrorũ integritate & fidei sinceritate degenerauerimus, totus deplorans Christianus orbis non ignorat. Hisce duabus morum & fidei corruptelis primitiua Apostolorum & ijs succedẽs Catholica Ecclesia vigilem Euangelij prędicationem, & inuiolabilem sacrosanctorum Conciliorum authoritatem assiduè oponẽs, tantum apud Christi fideles semper profecit, vt collapsi fidelium mores sedulò restituerentur, & Ecclesiæ salutaris fides sarta tecta remaneret. Testes sunt huius rei amplissimi S. Ecclesię Doctores, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, alijq́; complures vigilantissimi Pastores in suis Homilijs

&concionibus doctissimis, sibi & vniuerso gregi attendentes, ne aut lupi rapaces gregi non parcentes intrarent, aut mores à Christiana professione alieni inualescerent. Fecit hoc idem nostra ætate Catholica multũ in modum his duobus arietibus impugnata & miserè gemens Ecclesia. Habuit strenuos domus Dei speculatores, intrepidos vitiorum ac scelerum omnium impugnatores, rigidissimos peccatorum obseruatores & censores: Hosium, Lindanum, Bellarminum, Nauseam, Ferum, Poligranum, Granatensem, Stapletonum, aliosque innumeros: Habuit sacrosanctum Oecomenicum Concilium Tridentinum, alijs prioribus & Euangelio paribus antiquissimis Concilijs respondens, neque Episcoporum & doctissimorum ac pijssimorum virorum frequentia, neque multijuga S. Scripturæ interpretatione impar: quo & fidei sinceritas tam dilucidè confirmata est, & hæresis diro anathematis fulmine percussa mores quoque ad sanctissimorum vetustissimorumque Canonum exemplar ac prescriptum tum in Ecclesiastica hierarchia tum in seculari politia reformati, vt nihil amplius à Christo Deo ac Domino nostro pro honore spõ-

sæ suæ

ſuæ Eccleſiæ, *quam acquiſiuit ſanguine ſuo, & aduerſus quam ſuperbæ inferorum portæ non ſunt præualituræ*, deſiderari poſſit. Vt ſumma admiratione dignum videatur, quod exibilata & execrata hæreſis tumidas cristas ſuas adhuc erigere audeat, & mores deprauati ad auguſtiſſimi huius Concilij decreta (vt fideles Eccleſiæ filios decebat,) non examinentur.

Verum enimuerò quis ignorat, nos eſſe non tantum *in quos fines ſeculorum deuenerunt*, vt de ſuo tempore loquebatur S. Paulus, & *in nouiſsima hora eſſe*, vt D. Ioannes dicebat, ſed multò magis, in quos punctum vltimi ſeculorum finis deuenit, & in momento nouiſſimæ horæ nos iam dudum verſari? *Tunc enim multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Quapropter ſicut infernalis ille leo indeſinenter circuit, quærens quos deprauata ſua doctrina, vel moribus à Chriſtiana profeſſione alienis per miniſtros ſuos ſeducat, & deuoret: ita è contra Chriſtus vineæ paternæ ſollicitus Procurator exire non deſinit, vt Epiſcopos, Paſtores, & Doctores, fidos operarios conducat in vineam ſuam, quos hiſce diaboli tech-

nis obijciat. Inter hos vocatus est Ioannes Osorius è societate Iesu, vt fidelis Christi seruus, qui præclaris concionibus suis breuiter veritatẽ Catholicã tradit, & ad virtutẽ morumq́; honestatẽ sedulò hortatur, atq; à vitijs sũmo studio deterret: qua in re vtilẽ omnib⁹ Christi fidelib⁹ atq; Catholicis operã nauauit.

Hic cum in tractandis thematibus aliquantò prolixior esset, quàm vt rudioribus tyronibus par esset, aut ob operis immensitatem carior, quàm vt à pauperiorib⁹ parochis redimi posset, interim verò omnium manibus teri deberet, ob summam in virtutum stimulis addendis & vitiorum igne sopiendo dexteritatem, quam in multis alijs Homilijs desiderari videmus, adeò vt nostri temporis Chrysostomus dici summo iure possit & debeat; ceptus est summorum doctissimorumque virorum hortatu, à quodam viro integerrimo in epitomen redigi: quò sic omnium vsibus extaret, qui in totius orbis vtilitatem suas homilias euulgasset. Sed cùm præterlapsa æstate pestis sæuissimè Coloniæ grassaretur, ad Dominicam V. post Epiphaniam perueniens, ab opere destitit. Quod cũ summo Typographi damno, & totius Reipublicæ Catholicæ detrimen-

mento intermitti non posset, institit apud me Typographus, vt pro ingenioli mei tenuitate inceptum opus prosequerer. Ego verò etsi prima fronte onus humeris meis impar futurum existimarem, tentandum tamen duxi, recolens mecum illud vulgare: *Audaces fortuna iuuat, timidosque repellit*: maximè autem diuina fretus gratia, talentum mihi concreditum ad mensam Domini deferre, atque vsuram facere volui. Dum autem operi incumbo, tanta accessit alacritas, non absq; cælestis numinis ope, vt quotidiè magis magisque desiderium feliciter absoluendi opus accresceret. Instabat quoque indies Typographus, qui maturandum esse monebat, quo proximis nundinis prostaret: Ideò & opus ad incudem reuocare non licuit. Hoc tamen coram Deo testor, me omni industria selectissima quæque extraxisse, eaque quæ ad mores reformandos, vel vitia detestanda maximoperè facerent, summo iudicio in hanc epitomen redegisse. Reliqua, quæ in thematibus tum ex Theologia, tum quoque ex philosophia aliquanto prolixius Author disseruit, sic contraxi, vt totam vim argumenti tibi ob oculos breuiter subijcerem: ea siquidem coram populo

rudi tractare nisi maxima discretione non expedit. Doctiores, qui in amplioribus Ciuitatibus & Rebuspublicis Cōciones habent corā doctis, ipsos fontes consulere possunt, ex quibus hauriant, quod ipsorummet palato sapiat, & iudicio placeat. Hęc enim huic, illa illi arrident. Hoc quoq; mihi propositum fuit, hortantibus amicis quibusdam, non indoctis, vt semper ipsamet Authoris verba darē; meis verbis nihil assuerem. Porrò in hoc labore meo, quamuis exiguo, mihi tamē (vt quod res est dicā) permolesto quidem, sed iucundo, nihil aliud me, quàm Dei honorē, Catholicæ, Romanæ Ecclesiæ ædificationē, & Authoris mei laudē quæsiuisse, humillimè fateor. Mihi nihil hic laudis deberi sat scio: quia de meo nihil agnosco, nisi ꝙ in epitome colligenda & describenda operam omnem adhibuerim. Si quæ hinc commendatio, quæ laude digna sit, resultare potest, hanc Deo asscribo; qui dedit incipiendi & absoluendi gratiam.

Has ego laborum meorum primitias primò Deo consecraui: deindè vobis, viri Ornatissimi & prudentissimi, totiq; Senatui & populo Durstensi lubens dedico. Causas dedicationis semper alligare so-

re ſolent, qui in lucẽ lucubrationes ſuas euulgant: Ego tot habeo cauſas, vt vix vna dies ad eas enumerandas ſufficeret. Quanta enim beneuolentia, atq; quã inaudito ſtudio me proſequuti ſitis, teſtatur Veſter, totiuſq; Ciuitatis, & humaniſſimorum ciuiũ inenarrabile votum, ineffabile deſiderium, vnanimis omniũ gemitus; vt me in locum Reuerendi & tam doctrina quàm inſigni pietate ac ſingulari prudentia præditi viri, D. Clamoris Middẽdorpij (quẽ honoris cauſa nomino cuius memoria in benedictione ſit) qui difficili hoc belli tẽpore tam ſollicitè vos pauit, tam piè à luporum rabie defendit, & tam prudenter in Catholica religione conſeruauit, ſuccedere videretis. Cuius cùm ego ſucceſſor indignus iudicarer, non deſtitiſtis tamen (ſpontaneè veſtro recedente Parocho) apud Reuerendiſſimum & Sereniſſimum Principem Ferdinandum, Archiepiſcopatus Colonienſis Coadiutor. Dominum meum Clementiſſ. & S. Sereniſſ. Celſit. Conſiliarios, Reuerend. Dominum Cholinum, S. Theologiæ Doctorem, virum doctiſſimum, ac integerrimum, cæteroſque ſubmiſſe & diligenter inſtare, donec tandem ineffabili veſtro deſiderio ſatiſfieret: &

Reuerendiss. ac Sereniss. Celsitud. Sua me vobis pastorem præficeret. Quantas verò gratias egeritis vos, & egerit tota Ciuitas Reuerendissimo ac Sereniss. Principi, quòd vestras humillimas preces tandem exaudierit, dici non potest: quanta verò me humanitate exceperitis, fas mihi non est proferre. Nam aut laudem vestram obscurabo; cùm nullis encomijs possim describere vestra beneficia, vti par est: aut meam ingratitudinem accusabo; cum tot in me præstita officia nunquam recompensare possim, etiamsi dicendo Ciceronis eloquentia pollerem; nec promerendo superare valeam, licèt Nestoris, imò Mathusalemi annos superuixero. Mirum autem si cui videatur, quòd Reuerendiss. ac Serenifs. Princeps tam clementer vestram totiusque ciuitatis supplicem intercessionem pro me admiserit, is secum expendat vestros pro nobilissima Coloniensi Diœcesi nō tam prę teritis annis, quàm hoc funesto bello exantlatos labores, perpessa incommoda, atque innumera exhausta discrimina. Vos enim absque præsidiario milite vosmetipsos, vestrosque liberos, & vxores animosè defendistis, solam Catholicam & Apostolicam Romam fidem in

medio

medio nationis prauæ, in qua lucetis tanquam luminaria in firmamento cęli, ſartam tectam conſeruaſtis, Principi veſtro Electori legitimè electo & confirmato obedientiam prȩſtitiſtis: & muros veſtros, hoſte infeſtiſſimo eos inuadente, tam acriter, tanta animorũ conſtantia, tam imperterrita alacritate, & ſanctiſſima concordia, qua res paruæ creſcunt, tutati eſtis, & pro aris & focis dimicaſtis, vt ſempiternam vobis, veſtræ vrbi, veſtriſque nepotibus, memoriam pepereritis, perpetuamque gloriã reportaueritis: quin & omnib. adiacentibus ditionibus ingens commodum attuleritis. Veſtra enim ciuitas tanquam Recklinchuſani diſtrictus, Ducatus Angarici & VVeſtphalici clauis hoſtibus obſerata, omnes rapinas, cædes, incendia & incurſiones ab eorum ceruicibus depulit, quibus omnibus, veſtra ciuitate expugnata, quotidiè expoſiti fuiſſent. In qua hoſtili inuaſione veſtrarum vxorum, ac mulierum virilis animus maximè enituit, qui nunquam ſatis deprȩdicari poterit. Iactitent Hiſtorici Romanas, Saguntinas, Amazones, aliaſque aliarum nationum mulieres, quæ virilibus factis nomen ſuum poſteritati commendârunt. Veſtrarum vxo-
rum

rum heroicus animus ſi non eas ſuperat, ſaltem ſummo iure æquat. Cum enim hoſtis priores duas munitiſſimas portas, & propugnaculũ validiſſimum, intempeſta nocte, ſumma ferocia occupaſſet, & ad portam vnicam, quæ in ciuitatem ducit, penetraſſet; in qua effringenda & tormento bellico diſrumpenda dum hoſtis maxima cõtentione deſudaret, dimiſſa iam clatrata porta, & hoſtibus quibuſdam incluſis, vobis autem in porta exteriori, quã iam veſtro ictu hoſti reſeraueratis, & ciuitatem inuadendi viam aperueratis, rurſus fimo alijsq; medijs obſtruendi occupatis, adſunt extremum præ oculis videntes ſuũ ſuorumq; maritorum & liberorum exitium, abiecta muliebri trepidatione, heroico indutę animo, vxores veſtrę, ſaxa, aquam & oleum deſuper in conglobatos hoſtes deijcientes. Hoſtes verò ſentientes efferueſcentis aquæ vim & olei ardentis feruorem nõ ferentes, primùm pauidi portam effringere deſtiterũt: donec abundantia ignei liquoris, & ſaxorum imbre exterriti pedem retroferre, & portas, ac propugnaculum (ſtrenuè vobis omni telorum genere vrgentibus, ac tergo hoſtium exuſtorum inſiſtentibus) relinquere coacti fuerint.

Tum

Tum hostes quidem excandescere, & præ ira rumpi: vos autem præ affulgenti victoria gaudere & exultare, Deoque tandem pro diuinitus reportata victoria gratias immortales agere: totam lætitia perfusam ciuitatem, maritos cum vxoribus & prolibus, victoriæ tam gloriosæ socijs, applaudentes hostiũ spolia & exuuias tēplo affigere. In hoc verò insignis vestra modestia ac discretio apparuit, quod captos & vulneratos inimicos, qui vestrę totiusque ciuitatis bonis & vitæ inhiabāt, tam misericorditer curaueritis, illæsos ac sanitati restitutos absq; lytro ad suos redire permiseritis. Quod vt ferè est inauditum, ita & æterna memoria dignum, & nõ parum hostium immanissimorum ferociam domuit, eosque vobis æquiores reddidit. Deus Opt. Max. det vobis idipsum vnanimes sapere, ciuitatem vestram maximo consensu fortiter contra omnes incursiones in hoc plusquā Troiano diuturniori, & plusquam Pharsalico infestiori bello, in quo tot præclaræ vrbes superatæ, exspoliatæ, incensę ac deuastatæ sunt, defendere, vt in Catholicæ & Apostolicæ Romanæ fidei professione, quam à maioribus vestris fideliter accepistis, in Reuerend. ac Sereniss. Principis vestro-

vestrorũ Electoris ac Coadiutoris obẽdientia, in vnitate ac pace permanentes; nunquã hostium vestrorũ immani prędę exponamini, sed quietè ac tranquillè Deo seruientes, feliciter tandem & suauiter oẽs in Christo obdormiatis. Quod Deum ter Max. assiduè deprecari, vosq; salutari verbi diuini pabulo reficere, admonere, exhortari & obtestari, vt in vnico Christi ouili sobriè, iustè & piè viuentes iram Dei promeritam effugiatis, & deponentes omnem malitiam ac circunstans vos peccatum in fide viua, spe firma, ac charitate non ficta ambulantes æterna tandem cælestis gloriæ corona donemini: quo sic sanctæ clementiss. Principis expectationi satisfiat, quam de me & vobis firmissimè concepit. Videns itaq; Reuerendiss. ac Sereniss. Princeps pro innata & heroica sua prudentia, tanto Principe digna, vestrã ciuitatem saluam multum interesse, perpendens vestrum omnium ardentissimum erga me zelum; ponderans, si Senatus populusque diu exoptatũ Pastorem pro supplici voto suo nanscisсatur, facilius in salutis viam duci, ac in sanctæ cõcordiæ adamantino vinculo constringi, lubentius ipsius salutaria monita obaudire, & promptius sequi, sperans pro Pastorali

solli-

ſollicitudine ſua vberrimum hinc animarum ac publicæ trãquillitis fructum redũdare, rebellem verò ac tumultuantem vix in officio contineri poſſe; humillimæ veſtræ ſupplicationi clementiſſimè annuit, & vos veſtramque ſalutem meæ tandem curæ ſeriò commiſit. Qua de re (quamuis maximum onus ſuſceperim, & meis humeris imparem ferè prouinciam) Reuerendiſs. ac Sereniſs. Celſitud. S. ego humillimus Dei Sacerdos immortales & ago & habeo gratias, quòd vos veſtramque ciuitatem & populum Durſtenſem tam paterna charitate dilexerit, meque tanta clementia proſecuta ſit. Ac hortor vos in domino, nec hortari deſinam, vt quemadmodum vos Clementiſs. Princeps voti veſtri compotes fecit, ſic & Sereniſſimi Principis expectationi non deeſſe velitis: Atque precor, vt quàm diutiſſimè Eccleſiæ & Diocœſi Colonienſi Princeps longiſſima vita dignus, præeſſe poſſit. Interim vos, Viri prudentiſſimi, oro atque obtector, vt hoc meum grati animi obſequium, & quaſi perpetuũ mnemoſynon, ac ſingularem veſtræ humanitatis ac beneuolẽtiæ erga me teſſeram hilari fronte ac ſerena mente amplectamini, meq; ſolita humanitate ac bene-

nefi-

neficijs prosequamini. Valete in Christo feliciter. Datum Durstenæ postridiè Sanctæ Agathę, Virginis nobilissimæ Martyris celeberrimæ, Ecclesiæ Durstensis singularis Patronæ, Anno Salutis 1598.

Vestræ Ornatiss. prudentiss. ac integerrimæ humanita. totiusq́ꝫ Senatus ac populi Durstensis,

immeritus Seruus in Christo,

I. Theodardus, Sartorius, Frisius, Pastor.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

THEMA: *Erunt signa in Sole* &c. Luc. 21.

HORRENDVM diuini iudicij verbum, quod omnes Sancti vehementer pertimuerunt: Audi Psalmistam: *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Psal. 89. Duo ostendit difficilia, primum, nosse potestatem diuinæ iræ; secundum, quis enarrabit hanc iram præ timore? Gratia omnes egemus, quam modò obtinebit Maria, non tunc. Accedamus iam ad thronum gratiæ, vt misericordiam inueniamus modò.

NOMINE *Stultus*, peccator in Scriptura plusquam tercenties dicitur, & meritò: si enim in eo alia stultitia non inueniretur, quàm quòd cùm in peccato sit Dei inimicus, tam securus in vtramq; aurem dormit, ac si nihil mali egisset, hæc stultitia satis erat, vt stultissimus diceretur. Si quispiam, cùm Regem in aula districto gladio, vt iugularet, impetiuisset, rex Simile. tamen seruatus esset, nihil tam insigne facinus curans, non fugeret, sed per mediam curiam securus incederet, an non hunc insanum putares? Audi insane peccator insaniam tuam, quid te egisse putas, cùm peccasti? Deum curasti occidere, & quantum in te est, interemisti. Non legisti in Paulo: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Hebr. 6. Quæris: Quomodo hoc feci? Audi, creaturam plus Deo dilexisti, eãq; fecisti in Deum tuum, & cùm duo Dij esse non possint, quantum in te fuit, eam Deũ tuum constituens, Deo abstulisti diuinitatem & vitam: & sic omne peccatum mortale est quædam participatio Idololatriæ. Abominandum aggressus es facinus, Deo viuo perseueranti nõ nocuit iniustitia tua; proditionem summam fecisti, & nihil times? securus es? non fugis? Insanus es: stultus es. Cicero de Natura Deorum refert sententiam quorundam Philoso-

 loso-

losophorum, negantium Deum esse; quorum hæc ratio: Si dicimus Deum esse, intolerabile super nos pondus tollimus: si Deus est, sapiens, potens, bonus & iustus est: rationem exiget ab homine peccatorum: homo ergo hoc credens semper timens erit: vt liberè viuat, credat Deum non esse. Duo hi Philosophi dicunt; alterum falsissimum, Deum non esse; quod adeò certum est, vt non sola fide, verùm & euidenti ratione naturali, sit compertum: alterum verissimum, quod pondus super se tollit, qui credit Deum viuere. Sic Iob erat, qui dicit: *Semper, quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Nos, qui fide credimus Deum esse, hac nostra veritate corrigamus illorum Philosophorum errorem: sed qui hoc credentes nihil pauemus, eorum veritate nostrum errorem emendemus, simulq; pauentes, quod Deus est, iudicium est: vereamur omnia opera nostra, scientes, quod non parcit delinquenti: & hæc prima veritas animo nostro insideat, Deus est,

Iob 31.

Iudicium erit. IVDICIVM EST: q̃ etsi fides nõ doceret, naturalis ratio satis ostendit. Sic Iob: *Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadẽ illum intelligere cognoscetis: quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducitur: Iste moritur robustus, & sanus; diues, & felix* &c. *alius moritur in amaritudine animæ suæ, absq; vllis opibus, & tamen simul in puluere dormient.* quasi dicat: Impius feliciter viuit, iustus amaritudinibus plenus; si iudicium non esset, iniustus Deus esset, malos donans beneficijs, iustos ærumnis. Dies ergo veniet, qua *faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.* Dices verò: Quis de re admodũ manifesta dubitare potest? quis est iste qui dicit, ex ore Altissimi non egredientur, neque bona, neq; mala? Forsan tu es, qui hoc dicis, non ore, sed opere, sic te gerens ac si iudicium nullum esset. Qui coram iudice sine timore furatur, dicit: Non est iudex; Qui peccat, nec Deum timet, dicit: Non est iudicium, non est Deus. Lætare, ô iuuenis in adolescentia tua, ambula in vijs cordis tui. & scito, quod pro his omnibus adducet te Dominus in iudicium. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas; conquassabit capita in terra multorum:* id est, Iudicium erit, in quo ex bonis ruinæ Angelicæ implebuntur, & multorum, id est peccatorum capita conterentur. Hęc ergo prima veritas nobis perspicua relinquitur, iudicium est.

Iob. 11. *Psal. 139.* *Tren. 3.* *Eccl. 11.* *Psal. 109.*

Vniuersale erit. SECVNDA veritas: Hoc iudiciũ erit VNIVERSALE extra singularia iudicia, quæ in cuiusq; morte fiunt. Sed si interrogas, quæ huius vniuersalis iudicij necessitas est? Responde-

tus

tur. Primò. Multi nunc Dei iudicia damnant: dicit modò pauper, melius mecum ageret Deus, si diuitias concederet; infirmus, si salutem, &c. tunc ostendentur omnibus illa Psal. *Opera manuum eius veritas, & iudicium.* &: *Omnes viæ eius veritas.* & illud Prou. *Pondus & statera iudicia Domini.* Textoris opere conficitur tapes, in quo ante operis consummationem omnia videntur sine ordine disposita; perficitur, & omnia consona apparent, quæ dissona videbantur: Orditur modò Deus hunc mundialem pannum, cuius partem cõsiderantes dicunt multi: hoc non bene dispositum est: in die iudicij panno hoc perfecto videntes cuncta consonare, dicemus: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Horologij partes artificij ignarus videns, dicit, ad quid hæc? componitur ab artifice, mouetur que secundùm artem, omnia illa necessaria fatetur: in die iudicij hoc mundi horologium componetur ab eius opifice, videbimusque nihil in eo sine causa fuisse. Resp. secundò. Iudicium vniuersale erit, vt iustis beatitudo cum eo honore qui eos decet; impijs autem pœna maximè peccato conueniens detur, quæ est ignominia: propria enim hominis pœna confusio & ignominia: quam etiam intendunt leges ciuiles, præcipientes malefactorem publicè puniri: & iudex, qui secretò delinquentes puniret, iniustus esset, auferens dimidium pœnæ, scilicet ignominiam publicam. Hæc verò pœna in iudicio vniuersali coram toto mundo Deus peccatores multabit, reuelans vniuersa delicta in eorum ignominiam. *Reuelabo* (ait per Prophetam) *pudenda tua in facie tua, & ostendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & proijciam super te abominationes, & contumelijs te afficiam.* Tunc implebitur illud: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis,* in puncto omnia omnibus manifestans: *turbati sunt omnes* peccatores *insipientes corde.* Quanta illa perturbatio & confusio impiorum erit dici nõ potest. Si ego ex hoc loco coram astantibus occulta tua pandens, tanta tibi modò esset: qualis obsecro erit, cùm omni mundo, & angelis manifesta apparebunt. Illic dices montibus, *cadite super nos, & collibus operite nos.* Tunc *videbunt iusti & ridebunt super te, & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum* &c. Quale illud opprobriũ, illa exsibilatio & irrisio, cum cælum & terra contra te consurgent: *Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum.*

Psalm. 100. & 151. *Prouerb. 16.* Simile. *Psalm 118.* Simile. *Naum. 3.* *Psal. 75.* *Luc. 23.* *Psal. 51.* *Iob. 20.*

SED dubitas, an iustorum peccata reuelanda sint in iudicio. Resp. Licet quidam in dubium reuocent, certum est tamẽ

reuelanda esse, sed non ad confusionem. Exemplo ostenditur.
Simile. Pretiosa vestis Reginæ facta fortè aliqua parte rumpitur: sartor locum rupturæ coaptans, ibiq; aurum & gemmas apponens, sic vestem ornat, vt rupturam non casu factam credas, sed consultò, vt tã pretiosis lapidibus splenderet: Sic iusto, qui vestis est Christi, contingit: rupta quidẽ est peccatis eius vestis, & indecora facta, sed artifex Deus rupturam resarciens, ibi apposuit Christi sanguinem & merita, gratiam cælestem, dona atque virtutes, quibus sic ruptura operitur, vt meritò dicatur:
Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*; imò consultò factam rupturam credas, vt tantæ ibi apponerentur diuitiæ. Felix culpa, quæ tale habuit remedium. Sed dicis: Adhuc puto me confundendum cùm reuelentur peccata mea, licet remissa. Vt homo iudicas. Nouit Deus sic tegere electorum suorum peccata, vt coram te nihil sint. Audisti Petri, Pauli, Matthæi, latronis, Magdalenæ peccata, an non etiam modò tibi tecta sunt, non eos vllo modo propterea vili pendenti si hoc in hoc sæculo experiris, quid facies, cùm in alterum translatus, iudicium mutabis, sicut & locum?

SIMILITER & omnia egregia facta bonorum ibi manifestanda sunt in eorum gloriam singularem. Tunc opprobrium iustorum amputandum, & honos ijs restituendus, ipsis
Sap. 5. impijs agnoscentibus & dicentibus: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinẽ improperij, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei: ergo errauimus. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt.* Tunc virtus sola honorabilis apparebit: tunc humiles exaltabunt caput; non-
1. Ioan 3. dum apparuit quid erimus, *cùm autẽ apparuerit, similes ei erimus*, reges & filij Dei. Hoc nunc pium despectum consolari debet: hæc tibi sit consolatio.

VIDIMVS iudicium futurum, & vniuersale; restat videndum per quem illud exercendum: sit tertia veritas: IV-
Iudex quis. DEX CHRISTVS DOMINVS EST. *Pater non iudicat*
Ioan. 5 *quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. Ipse constitutus est à Deo*
Actor. 10. *Iudex viuorum, & mortuorum*; & hoc conuenientissimè: meritò enim potestas iudiciaria Filio debetur: 1. cùm ei in diuinis tribuatur sapientia & veritas: 2. cùm homo factus iudex à iudicandis in humanitate videri poterit: 3. quia eam sua humilitate meruit. Vnde Augustinus: Sedebit iudex, qui stetit sub iu-
Lib. de verbis Domini dice: damnabit reos, qui falsò factus est reus. *Tunc ergo videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna & maiesta-*

maiestate. Sed inquirit meritò Iob: *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam?* Trement tunc impij vt folium in arbore leui agitatum vento, quid necesse est turbines, & ventos rapidos venire? ad quid ostensio illa diuinæ Maiestatis & potentiæ, maximè quod cùm angeli mali iudicati sunt, nihil tale dicitur? Respond. Meritò sic homo iudicabitur. Cùm enim pro homine hæc maiestas fuerit exinanita, non pro angelis, meritò contra illos, quibus hoc tantum submissionis exemplum sua culpa non profuit, exurgit, & ostenditur in splendore suo Deus, cuius humilitatem suspicere ac vereri noluerunt. SED maximum dubium est, quomodo benignissimus Christus, qui agnus apparuit, nunc leo sit, iustitia & ira plenus? Resp. Moyses in monte audiens populi peccatum & videns Dei iram, ipsum placat, pro eo intercedit: descendit de monte videns populum idola colentem, induitur vt pallio zelo, & ait: *Si quis est Domini, iungatur mecum,* & tot millia hominum iugulat. Sic & Christus in cælo hominum aduocatus. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrē Iesum Christum, &c* nunc agnus mansuetus est, sed descendens ad iudicium vt leo rugiet, zelabitur honorem Patris summo zelo. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi? De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, & quieuit.* Vidisti in platea taurum fustibus exagitatum huc illucque puluerem iacientem: talis Christus Dominus: quot peccata committis, tot eum fustibus exagitas. Caue taurum terribilem: væ ei in quem irruerit. Visus est aliquando quasi alter Noe ebrius, nudatus in crucis tabernaculo amore & bonitate, talia infinitæ misericordiæ suæ dans signa, vt stultitia appareret: (*Prædicamus,* ait Paulus, *Christum crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam.*) sed in iudicio *quasi potens crapulatus à vino* vindictam exercens, infinita eius iustitia & ira furor humano iudicio videbitur. *Domine ne in furore tuo arguas me.* Quò confugies miser peccator, cùm talem contra te videas Christum, vnicum refugium tuum? Eris tunc velut aper vndiq; circundatus lanceis: locus fugæ non est. Si respicis cælum, iram contra te pluit: si terram & elementa, armabit creaturam in vltionem inimicorum. Sed maximè tremendum, Christum videre iratum. Si tanta est diuina maiestas, vt eam videntes in gloria pacatam & misericordem *tremant,* teste Ecclesia, *Potestates,* quid erit inebriata ira atque furore? *Magnus dies Domini, & quis poterit sustinere?* Modo dies tua est, & quasi in die tua, quæ tibi placent, agis. ait Deus: Sinite

Iob. 13. · Exod. 32. · 1. Ioan. 2. · Psal 75. · Simile. · 1. Cor. 1. · Psal 37. · Ioel. 2.

eum,in die sua est,faciat quę vult:veniet aliquando dies meus:
Esdiæ 2. *cùm accepero tempus,ego iustitias iudicabo.Dies Domini exercituum super omnem superbum,& excelsum.*

Simile. HANC diem nobis proponit hodiernum Euangelium. *Erunt signa* & cæt. Sicut tonitrua & fulgura præcedunt fulmen:ita Christum descendentem præcedent signa. *Alluxerunt fulgura eius orbi terræ;vidit,& commota est terra.* Tunc cælum, infernus, purgatorium, vniuersa elementa reddent hominum animas & corpora,quæ in his erant sparsa: quod sine omnium commotione non fiet.Erunt signa in vniuersa creatura,quæ illuc vsque famulata est peccatori *non volens, propterqum,qui subiecit eam in spe,quia liberabitur aliquando à seruitute corruptionis.* Sicut ciuitas à tyranno oppressa, cùm ille eijcitur vniuersa commouetur: ita orbis terrarum corpora redditurus in lucem totus quasi disturbatur ac commouetur. Tyrannus es,ô peccator,seruiunt modò tibi creaturæ, sed nolentes:tempus veniet,quo contra te omnes consurgent. *Armabit creaturam in vltionem inimicorum, & pugnabit pro illo orbis terrarum contra* peccatores *insensatos.*Sol dicet:Tu qui armas creaturas contra homines,arma mihi primùm da, quia luce mea vsus est in tui offensam.Luna dicet : Mihi arma præbe, nocte enim plus te offendit homo. Mare verò: Sine me absorbebo illos,&c.Omnis creatura erit tibi in tormentum. Sed quid mirum, cùm & tu tibi, & conscientia tua sit tibi tormentum & vermis?

Psal. 96.

Simile.

Sap. 5.

Arescentibus hominibus. De terribilibus iudicij signis multa Hieronymus, qui ea refert de Sibylla Erythræa, cuius verba refert Eusebius Cæsar. libro quarto de vita Constant. & August. libro 18. de ciuitate capite 22. & Lactantius libro quarto de diuin. instit. capite decimo octauo : & ante eos refert Sibyllæ versus Cic. lib. 2. de Diuin. & licet plura incredibilia referantur, plus tamen vno verbo Christus dixit, cùm talia fore pronunciauit, vt præ timore arescant homines. Vidit Balthasar manum in pariete scribentem iudicium eius,& commota sunt viscera eius, & genua eius ad se inuicem collidebantur.Videbit tunc mundus insignis illis effigiem iudicij terribilis,quid ni arescat timore? Hac autem ariditate disponuntur vt ligna ad ignem continuò superuenturum, qui à quatuor partibus mundi consurgens, omnia mixta vertet in cineres,nihilq;viuum in mundo manebit.

Daniel 5.

Clan-

Clanget ac perstrepet tunc iudicij tuba, *Surgite mortui*. Et surgent omnes pusilli, & magni. Sed quanta obsecro differentia? Iustis dabuntur corpora spiritualia, cælestia, dotibus ornata miris, agilia, subtilia, clara; impijs horrida, fœtida, ardentia. Anima felix suo congratulabitur corpori dicens: Veni fidelissimus comes, sociusque laborum, quos in vita pertulimus; surge in requiem tuam, veni, coronaberis. Infelix contra anima videns fœtidum illud corpus, quid rogo præ angustia spiritus gemens dicet? Ingredere anima infelix in abominandum corpus igne plenum: hoc est, cui inseruisti, hoc ornasti, hoc curasti, pro huius voluptatibus Deum oblita, damnata es: vicissim corpus animam maledictis cumulabit, recipietque nolentem ingredi. Omnibus ergo simul in valle Iosaphat stantibus:

TVNC videbunt filium hominis venientem in nubibus, &c. O considerandum, *Tunc*, in quo spectabitur, quid Adam 930. quid Mathusalem 969. annis, quid omnes homines omni tempore rectè maleque fecerint. Est, *Tunc*, & est, *Nunc*. quàm aliud *tunc*, à *nunc*? Quod habemus de tempore *nunc* est, instans est, *nunc* nostrum est, in hoc voluntas nostra fit; *Tunc* autem Dei est, in quo voluntas ipsius fiet. *Cum potestate magna*. Iacob venientem Esau, quem læserat, cum quadringentis equitibus, nulla signa videns odij, sed amoris, valde timet. Genes. 33. Tremunt fratres Ioseph audientes: *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Aegypto*. Genes. 45. Israelitæ mari Rubro & inaccessis montibus conclusi, retrò eos Pharaone persequente, summo timore perculsi dicunt: Nonne melius fuisset illi inseruire, quàm in manus eius modò incidere, & mori? Quo timore corripietur peccator videns infinitam Dei maiestatem venientem iratam contra tantum offensorem? Tantus tunc vniuersorum tremor est futurus, tanta ira Dei, quanta omni admiratione dignis verbis in Apocal. describitur: *Vidi thronum magnum, & candidum, & sedentem super eum à cuius conspectu fugit terra & cælum, & libri aperti sunt.* Apocal. 20. Mirum verbum (*à cuius conspectu fugit terra, & cælum*) Vide, quo timore corripietur, qui timere potest, & debet, cùm dicatur timere & fugere terram, & cęlum, quę nec timere possunt, nec propter quid timeant admiserũt. Sed qui libri sunt illi, qui dicuntur aperti? Memoria Dei & omnium hominum. Incipiet Deus enarrare omnia diuina in te collata beneficia.

Dicet: Creaui te de nihilo: in vtero matris paui te: de tantis pe-
2. Reg. 12. riculis erui te, &c. Factus sum propter te homo, sanguinem fu
di, vitam profudi: &c. *quare ergo*, tantis beneficijs ingratus, *con-
tempsisti imperium meum*? O formidandum, Quare: cui nulla po
Iob. 9. test reddi ratio. *Si voluerit contendere cum eo, non respondebit ei v-
num pro mille*, ait Iob. Quare offendisti Deum? num, quia crea-
uit te? num, quod pro te sanguinem fudit? manus habuisti, vt
offenderes manus pro te crucifixas? pedes, vt transgredereris
mandata eius, qui pedes clauis affixit pro te? cor, vt odires dili-
gentem te vsque ad mortem? Versus ad bonos hilari vultu &
Lucæ 22. dulcissimis verbis dicet: *Venite benedicti. Vos estis qui permansi-
stis mecum in tentationibus meis* &c. *Euge serue bone & fidelis*. qua-
le tunc iustorum gaudium? quæ dulcedo eorum auribus re-
sonabit? quæ merces operis nostri? quantus exigui laboris fru
ctus? an non pro tali mercede inseruiendum, laborandum,
moriendum? & tu tale ac tantum bonum pro vilissima re a-
mittis? Versus ad improbos ira summa dicet verbum illud as-
perum: *Ite maledicti*. Sed quò Domine mittes eos? *in ignem æter-
num*. Si quid sit æternitas cognosceres, hoc solum verbũ te in-
sensibilem redderet præ timore? quid tibi tunc videbuntur de
Ecclesi. 11. liciæ, & diuitiæ, quæ vnà cum tempore transierunt? *Malitia v-
nius horæ obliuionem facit luxuriæ maximæ*. Tantum est malum
æterna damnatio, vt si omnium hominum congregationi,
imò infinitis hominibus diceretur: Vnus vestrũ damnandus
est tantùm, satis hoc esse deberet, vt tremerent omnes. Si mo-
dò vobis Dei nomine dicerem: Fulmen continuò cadet, quod
vnum vestrûm occidet, omnes trementes diceretis: num ego
sum? quid si audires medietas vestrûm morietur? & quò malũ
maius est, eò magis timendũ, licet inter plures dicatur vni euẽ
turum: quid ergo non times audiens plures damnandos, pau-
cos saluandos? Loquente Mose, disrumpitur terra deglutiens
Num. 16. Dathan & Abiron, & viui descenderunt in infernum: vix Chri
stus verba perficiet, cùm simile improbis omnibus continget.
Descendent in Babylonicam illam fornacem, ibique inclu-
si, quindecim circundati muris, (terra, aqua, aëre, igne, & 11. cæ-
Mich. 2. lis) in carcere perpetuò claudentur sine redemptione: Christus
verò cum beatis, *pandens ipse iter ante eos*, cælum con-
scendet, in ęternum cum ijs regnatu-
rus in gloria.

DOMI-

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

THEMA: *Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti,* &c. Matth.2.

CELEBRAT Eccleſia magnum illud pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, dum Deus homo factus eſt: quod quidem tantum eſt donum, vt infinito benefactori, ac ipſi largienti Deo æquale ſit; quia nihil maius, quàm quod Deus homo factus eſt. Hoc vltimum eſt, quod Deus efficere potuit pro homine: in eodem enim ſuppoſito per hypoſtaticam vnionem collocauit naturã humanam, in quo diuina erat, non apprehendens *Angelos, ſed ſemen Abrahæ;* & cùm angelus ſit miniſter, (Pſal. 103.) homo, quem paulo minus ab Angelis minorauerat in creatione, fit Dominus, & nos eius fratres dicimur. (*Narrabo nomen tuum fratribus meis. Vade ad fratres meos,* &c.) Spernere me Chriſtus (ait Bernardus) non poteſt, quia *os ex oſsibus meis, & caro de carne mea eſt.* Magni nos duceremur, ſi in antiquam dignitatem nos reparaſſet gratia Dei, *ſed non ſicut delictum, ita & donum.* Delictum nos ſublata gratia de Paradiſo terreſtri eiecit: ſed gratia redemptoris nos euexit in cælum, naturam noſtram cum diuina in eodem ſuppoſito collocans. *Glorificate ergo, & portate Deum in corpore veſtro:* quaſi diuinos vos cogitate. Agnoſce, ô homo, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire. An nõ indigniſſimum iudicares, ſi videres regis Hiſpaniæ fratrem viliſſimo mancipatum officio? quomodo non indignum iudicandum eſt, te Dei fratrem, & filium effectum, terrenis implicari, & beſtiarum delitijs irretiri? *Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* quando tu non exultes, & laudes, *ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: quoniam venit* & ſi hi tacuerint, ait Chriſtus, lapides clamabunt, & flumina plaudent manu. Venit ille alacri animo; quia delitiæ eius eſſe cum filijs hominum: læti omnes ad eum accedamus excipiendum. Quando fortè ditiſſimus ex Indis ad nos conſanguineus redit, accedunt omnes propinqui, noti & familiares, ab eo ſperantes paupertatis, & miſeriarum leuamen. Venit

Damaſc. li. 3. — *Heb. 2.* — *Rom. 5.* — *1. Cor. 6.* — *Leo Papa.* — *Eſaiæ 12.* — *Pſal 96.* — *Matth. 21.* — Simile.

Christus è cælo diues cælestibus bonis: hodie omnes miseri, cæci, claudi, mortui, leprosi ad eum accedunt; omnes infirmos sanat: quomodo tu coram tanto medico infirmus es? accede & tu inter hos, remedium petens. Verè, quia non agnoscis infirmitatem tuam, ideo ad eum supplex non accedis, vt cureris. Sed ais: Video me cæcum esse, & peccato obnoxium. Vides quidem, sed simul etiam non vides: dum enim non abominaris iniquitatem, non perfectam criminum cognitionem habes. Ora Deum, diuino lumine mentem illustret, vt tuam agnoscas infirmitatem: diligenter considera, quæ sit peccati infirmitas, & tunc anxiè remedium quæres illius.

ACCEDE simul si iustus es, ad fratrem tuum ex Indis venientem: in hoc enim solum venit, vt te saluet, ditet, & bonis omnibus repleat. Cyprianus: Hoc gloriæ Christi vnigeniti dilecti accumulat, quod beatitudinis suæ non patitur solitariam esse magnitudinem, sed addit fratres, non qui minuant quasi diuisam in plures excellentiam, sed qui altitudinem diuitiarum eius exornent, participes & consortes. Dei sumus nos per creationem, noster Deus est per incarnationem. Dicit Deus, meus est homo: homo dicit, meus est Deus. Homo cuius Deus est, quid amplius quærit? Si sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus. Ille à te non petit, nisi te, quia bonorum tuorum non indiget, & si esurierit, non dicet tibi: te solum bonitate, non necessitate desiderat. Scriptum est lapideis tabulis: *Diliges Dominum Deum tuum.* Si tua diligis, dilige Deum, qui tuus factus est incarnatione. Dilige, & diligeris; prope est merces tua, in manus porrigitur præmium. Esto tu Dei, & erit tuus Deus tuus. Impar sanè commercium, pretium inęquale. Sed qui pro nobis triginta argenteis appretiatus est, intelligi voluit, quanta fuerit in eo pretio, quod pro eo datum est, & in eo quod ipse dedit pro mundo, dissimilitudo: cùm ipse exiguo argento emptus, & venditus, tanto pretio damnatos redimeret, vt dubium esse non possit, quin pretij magnitudo superet negotium. Hucusque Cyprianus. Voluit ergo vili vendi Christus, vt scias, quàm facilè illum habere potes: da teipsum, & habebis illum: quid verò pro eo dare non debes, qui seipsum tradidit pro te?

In ser. de Ascens. Christi.

SED vt tantus Deus homo factus agnoscatur, (si enim non agnosceretur, nulli prodesset) hodie Ioannes, qui sæpius eum mundo fecit manifestum, discipulos mittens è carcere, Christum impulit, vt se ipse manifestet. *Cùm audisset Ioannes in vinculis.*

culis. Nunquam antea ausus ab eo petere vt se manifestaret, modò audet, quia se videt in vinculis: tantam fiduciam iustis operatur tribulatio, quam pro Deo sustinent: *Gloriamur* (ait Paulus) *in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio autem spem*. Spes est illis super spem, tunc omnia se obtenturos credunt. Hinc Martyres plures leguntur propè mortem aliqua grandia à Deo petijsse illo martyrij feruore, vt quod de Margarita legitur, vt omnis eam inuocans exaudiretur, tantam in eis erigebat spem tribulatio. Cùm ergo fueris in tribulatione pro Christo, plura ab ipso postula: spera, & in spe pete à Deo, quæcunque libuerit. *Tu es, qui venturus es*: Primò: Ioannes, non quod ipse dubitet, sed hoc propter discipulos quærit, vt occasione hinc accepta, ad verum eos magistrum transmittat: Sicut cùm non consummatus pictor imaginem depingit, formaturus oculos, neque id ita venustè, vt animo conceperat, assequi potest, excellentiorem adit artificem, qui id efficiat. Sic Ioannes Christum alloquitur: Ego, vt potui, in discipulorum animis virtutis imaginem pinxi, tu eis oculos forma, ea pulchritudine ac venustate, qua potes, vt te agnoscant, & inspiciant. Quo Ioannis facto docemur, vt omni amico & domestico, ad Christum eum mittentes, viam iustitiæ aperiamus, vt impleatur illud Exodi: *Cortina cortinam trahat*. & illud Apocalypsis: *Qui audit, dicat, veni*. De hoc commendat Deus Abraham: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum*? quare? *Scio*, ait, *quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam*. Sic Tobias monita salutis dat filio. Sic Moses, sic Iosue, sic Dauid, & demum, *qui ad iustitiam erudiunt plurimos fulgebunt in perpetuas æternitates*. Secundò interrogat Ioannes, an sit, qui venturus est, vt dicit Gregorius & Hieronymus, petens benedictionem à Christo, à mundo iam discessurus in Limbum, interrogans an per seipsum illuc sit descensurus, vt patribus ipsum expectantibus lætum afferat nuntium, sicut huic mundo attulerat: vt qui terræ fuit præcursor, sit & sinui Abrahæ. Tertiò dicit Ambrosius: Hæc interrogatio non dubitantis, sed admirantis est. quasi dicat: Possibilene est, ô maxime Deus, quod qui in tanta maiestate es, tam indigna pro nobis patiare? An non omni admiratione dignissimum, quod tanta maiestas pro nobis sic humiliaretur. Non ita mira est Dei misericordia

Rom. 5. | Simile. | Exod 25. | Genes. 18. | Tob. 4. | Deut. 29. | 1. Paral. 28.

cordia, cùm nobis benefacit: (sua enim bonitas eum ad hoc inducit) sed verè mirifica facta est, cùm indigna patiens, nos saluos efficit. Hanc admiratus Ioannes dicit: *Es tu qui venturus es?* Quartò dico, non propter discipulos solùm hanc missam à Ioanne legationem: sed & propter seipsum, volentē se Christo subdere, eumque accipere in magistrum & doctorem, & quam à Patre & Spiritu S. acceperat de Christo doctrinam, eandem à Christi persona suscipere, vt hoc accepto testimonio magis in fide confirmaretur, & sibi in ea complaceret. Quærit
2.2. quæst. 2. D. Thomas, An sit licitum quærere alia testimonia ad fidei robur præter diuinam reuelationem, & respondet: Si quis propter diuinam authoritatem fidei credens, sed ei maximè affectus alias rationes (sine quibus tamen crederet) quærit, vt magis in ea roboretur, & in habita amplius sibi complaceat, non solùm non minuit fidei meritum, imò auget. Sic Sancti credentes diuino testimonio ad fidei defensionem multa excogitârunt, in quibus fides non innititur, sed tamen roboratur multum, & fideles maxima consolatione perfunduntur. Nobis ergo maximè lætandum, quia fidei credimus tot testimonijs roboratæ.

RESPONDET Christus: *Renunciate Ioanni* &c. Multa edens miracula optimè se Deum probat, cui proprium est bene
Psal. 145. facere, & omnibus accurrere miserijs: *qui facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurientibus: Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos.* Vnde Hieremias, pro
Baruc. 6. bans deos Babylonis non reputandos esse Deos: *Hominem*, inquit, *à morte non liberant, neque infirmum à potentiore eripiunt: hominem cæcum ad visum non restituunt: de necessitate hominem non liberabunt: viduæ non miserebuntur, neque orphanis benefacient: quomodo ergo æstimandum est, aut dicendum illos esse Deos, cùm Dei*
Psal. 67. *proprium sit hæc facere? Deus noster Deus saluos faciendi*: in omni
Psal. 145. igitur necessitate ad eum confugiendum. *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Beatus cuius*
4. Reg. 1. *Deus Iacob adiutor eius* Ne ergo, vt Ochozias, consulas Deum Acharon, quasi non esset Deus in Israel. In omni tuo malo primùm Deus consulendus est: quod quia rarò fit, rarò etiam remedium nostris necessitatibus adest. Optima sanè Christi responsio quæstioni tantæ fuit, non verbis, sed maximis operibus data: Tanta enim, tam grandia & potestate ac imperio patrata miracula in sui testimonium manifestè ostendebant Christum Deum: quibus conuictus Nicodemus ait:

Sci-

Scimus, quia à Deo venisti magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Sicut maxima huius mundi fabrica ostendit Dei magnitudinem, ita vt sint inexcusabiles, qui eam videntes non agnoscunt Deum: sic Christi opera tam manifestè probant ipsum Saluatorem, vt id non credentes inexcusabiles sint. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Opera quæ facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Sed adhuc alia mirabiliora testimonia diuinæ eius misericordiæ fuerunt, quod vniuersa mala nostra non solùm abstulit, sed super se tulit. Interijt ille, vt ego viuerem: velati eius oculi, vt ego viderem: factus surdus & mutus, vt me surdum & mutum sanaret: reputatus leprosus, vt ego mundarer. Ioan 3. Ioan. 5. Ioan 8.

SED licet miracula corporibus à Christo exhibita eum Messiam probauerint, maximè tamē eadem in animis hominum effecta, eum Deum manifestè ostenderunt: quæ quomodo in mundo operatus sit, patebit, si eius per Christum attendas mutationem factam. Primò enim *cæci vident.* Cæcus erat vniuersus ferè mundus, errans in his, quæ ad Deum pertinent: colebat idola, ligna & lapides: in moribus, in rerum æstimatione erat cęcitas. *Palpauimus,* ait Esaias, *sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus: impegimus meridie quasi in tenebris.* Sed Christo veniente, *populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam; sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est.* Idolorum vesaniam relegans, cognitionem veri Dei edocuit: verum rerum precium, despiciens terrena, ostendit: animam, pro ea redimenda sanguinem fundens, pretiosam manifestauit: peccati fœditatem declarauit, quæ alio quàm agni sanguine deleri non potuit: omnia, quę sub velaminibus legis erant patefecit. En quomodo cæci vident. Secundò, *claudi ambulant.* Claudus inæqualis est pedibus: eiusmodi est peccator præuolans intellectu, affectu deficiens. Lex bonum & malum ostendens, gratiam non conferebat, vt hoc vitaretur, illud impleretur: sed Christo veniente *saliet sicut ceruus claudus;* gratiam enim contulit, qua affectus cogitationi æqualis esset. Tertiò, *leprosi mundantur.* Leprosus quid nisi peccatorem voluptatibus deditum designat, Deo odibilem? cuius pestifera est conuersatio: & ideo extra castra mittendus. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt: qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Vide quomodo se commaculet lepra. Sed Christo veniente leprosi mundantur, iuxta illud: Esaiæ 59. Matth. 4. Psalm. 75. Esaiæ 35. Rom. 8. 1. Cor. 6.

Ezech.36. lud: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omni-*
4.Reg.5. *bus inquinamentis veſtris.* Sicut Naaman ſepities lotus in Iorda ne mundatur:ſic nos ſeptem Sacramentis abluti, & à carnis vitio maximè Chriſtus liberat ſuos: Verbum enim carni vnitū, eam ſic ſanctificauit, vt iam ſancta ſit: Inde in Eccleſia ſtatum virginitatis inſtituit,& omnibus ſuis gratiam contulit,qua facilè carnem ſuperantes de ea triumphent. *Quis me liberabit de*
Rom.7. *corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum.* Quartò, *ſurdi audiunt* Erat mundus *ſicut aſpis ſurda obturans aures ſuas.Quis ſur-*
Zachar.7. *dus,niſi ad quem miſi ſeruos meos?cor ſuum poſuerūt, vt adamantem, ne audirent legem.*Qui diuinis minis non flectitur, ſuaſionibus non cedit, beneficijs non emollitur, nec blanditijs allicitur, hic ſurdus eſt. Sed Chriſto veniente aures ſudorum patebunt.
Ezech.36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo cor carneum. Audient in die*
Eſaiæ 29. *illa ſurdi verba libri huius* Quintò,*mortui reſurgunt.Percuſſimus fœ-*
Eſaiæ 28. *dus cum morte* dicunt impij; ſed fœdus hoc Chriſtus veniēs diſſoluet.Quando verò hæc ſigna videris in anima tua fieri,quæ in mundo ſunt facta Chriſto veniente, crede quod Chriſtus ad te aduenerit:ſi cæcus fuiſti, non trabem in oculis tuis, in alienis feſtucam videns; nunc verò melle gratiæ guſtato, illuminati ſunt vt Ionathæ oculi tui:ſi claudus fuiſti, ſciens voluntatem Domini & non faciens,dignus plagis multis; (*quia*
Iacob.4. *ſcienti bonum, & non facienti peccatum eſt illi*) modò autem bona facilè operaris:leproſus antea, nunc mundatus, à carnalibus vitijs liber:ſurdus fuiſti diuinę voci;nunc autem dicis: *Au-*
Pſal.84. *diam,quid loquatur in me Dominus:* ſi denique mortuus fuiſti, & reuixiſti, certa ſunt ſigna Chriſti intrantis animam tuam, & eam lumine ſuo illuſtrantis.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

THEMA: *Miſerunt*, &c. Ioan.2.

IN diuino amore,quo ſe Deus diligit, illud inuenimus cōtrarium ei amori,quo noſtra diligimus, quod nos aliquid amantes ſic eius amore flagramus, vt ſoli eo frui diligentiſſimè conemur: Deus verò infinito amore ſuam bonitatem amans, nihil ſic deſiderat ac eam omnibus communicare. Ex quo deſiderio illud primùm factum eſt, vt innumeras creaturas,nulla indigens,cōdiderit, in quas effunderet bonitatis ſuę theſauros: inter quas hominem ad ſui ſimilitudinem fecit,vt ali-

aliqua esset, cui se totum communicaret: nec hoc cõtentus, vt se magis ac magis effunderet, dona diuina & gratuita eidem concessit, vt ad nos diuinæ cõsortes naturæ dici posset: *Ego dixi; Dij estis, & filij excelsi omnes.* Hoc verò desiderium se cõmunicandi & effundendi, cùm ex infinita eius bonitate & amore permanet (ea autẽ naturalia & supernaturalia dona diuinũ nõ æquarent amorem; nec amor quiescit, donec amato det donũ, quod amori æquari possit,) eò tãdem Deum adduxit diuinus eius amor, *vt Filium suum vnigenitũ* nobis *daret*: quod donũ æquale est amori, & bonitati, quę Deus ipse est. O diuine amor, quæ non à Deo nobis obtinebis, postquã obtinuisti vt Patris Vnigenitus, qui est in sinu eius, nobis daretur? Mira hominis à Deo in tantũ dilecti dignitas. Demonstrauit, ait Augustinus, nobis Deus, quã excelsum locũ inter creaturas habeat humana natura, in hoc ꝙ hominibus in vero homine apparuit. Vt autem pro dignitate sua has infinitas Dei misericordias cum Christo nobis collatas ęstimemus, diuina sapientia necessaria nobis est. *Quis sapiẽs, & intelliget misericordias Domini?* Cũ Christo enim recipimus remissionẽ peccatorũ, gratiam, Dei filiorum nomẽ, cælũ reseratũ, deniq; omnia bona. Vnde profectò vniuersus mũdus, si tã immẽsam in se collatã intelligeret misericordiã, summis votis ac desiderijs exire deberet obuiã Christo Redẽptori, sicut captiui suũ suscipiunt redemptorẽ, sicut à tyranni oppressi regẽ in libertatem ciues asserentẽ. Sed quomodo excipitur in mũdo Deus tãtus? *Sui eũ non receperunt.* Attende cæcitatẽ, & malitiam summã. Intellexêre Pharisæi tempus impletũ, quo Messias in lege promissus adesse mundo debuit, & ex Ioannis testimonio, & Christi miraculis cognouerunt Iesum esse Christũ, sed sua considerantes dicunt: *Circũueniamus iustũ, quoniã inutilis est nobis: contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis,* &c. *Filiũ Dei se nominat, grauis est nobis ad videndũ*: accipiamus Ioannem Baptistam in Messiam, & nostra authoritate, & opinione sanctitatis ipsius id efficietur, vt vniuersus populus Ioannẽ sequatur Iesu derelicto: Ioannes verò videns se per nos in tanta dignitate constitutum, nos reuerebitur, dissimulans vitia nostra, doctrinas nostras sequetur, ne eum loco tanto deturbemus. Mittunt itaque viros grauissimos ad Ioannem legatos, volentes *ad horam exultare in luce eius, diligentes magis tenebras, quàm lucem*, similesque patribus suis, qui in Aegypto redemptorem postulantes, misso Moysi inobedientes & rebelles extiterunt

2 Pet. 1. Psalm. 81. Ioan. 3. Lib. de vera religione. Psalm. 106. Ioan. 1. Sap. 2. Ioan. 9. Ioan. 5.

Simi-

Similes his Pharisæis, volentibus Christo relicto Ioannem in Messiam suscipere, modò sunt, qui tales desiderant prælatos, prędicatores, & confessarios, in quorum luce possint exultare, qui eos à peccatis non coerceant, nec per desideria sua diffluere contradicant: coaceruantes *sibi magistros prurientes auribus*, quibus dicant: *Loquimini nobis placentia*, qui, si possent, verum Deum è medio tollentes, eum consonantem suis prauis desiderijs efformarent. Ideo immittet illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio, eò quod veritatem charitatis non receperunt. Sed interim attende in his impletum illud: *Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat*: ea namque ratione, qua Christum obscurare intenderunt, Deus eum clarificauit, *quia consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*, ait per Esaiam. Sic promittens Ioseph exaltandum, & à fratribus adorandum, illi inuidentes, ne id fiat, venundant eum Ismahelitis; sed hac via factum est, vt ad eius se pedes prouoluerent.

Ezech. 30. *2. Thess. 2.* *1. Cor. 3.* *Esaiæ 46.* *Genes. 42.*

SED miranda profectò Ioannis firmitas, & manifestè verum ostendit, se non esse arundinem vento agitatam. Tantus enim in eum irruit ventus, vt turbo conterens petras dici possit, dum ei diuinus offertur honos. Ventus hic cedros illas Dei in cælo plantatas quasi arundines sic agitauit, vt omnino eradicauerit: Ioannes tamen, quia super firmam petram domum ędificauerat, etiam si venti irruant, & flumina concurrant, stat firmus, & immobilis. Accedunt ergo dicentes: *Tu quis es? Et confessus est, & non negauit, & confessus est.* Ter repetit, nec otiosa, sed mysterio plena est ista repetitio. Nôrunt sancti, ait Augustinus, quod licet alia peccata aliquando dissimulet Deus, quasi non videat, *dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*: sed quando eò peccator peruenit, vt sibi diuinam arroget gloriam, continuò in eum desæuit vltio. Sic contra peccantem Angelum continuò sententia lata est: *Et videbam Sathanam sicut fulgur cadentem de cælo.* Sic gloriantem, seque Deum reputantem Nabuchodonosor, cōtinuò Deus in bestiam mutat. Sic Herodem, cuius innumera mala in multa patientia Deus sustinuerat, non dantem gloriam Deo Angelus percussit. Hoc ergo Ioannes rectè intelligens maxima contentione negat omnino se Christum esse: nec semel negasse contentus ter negat, & addit: *Non sum ego Christus, non sum Propheta, non sum Helias.* Primò aduertenda eximia Ioannis modestia: omne ferè, quod de se loquitur, est: Non sum, non sum, non sum. Iustus

Matth. 11. *Sap. 11.* *Luc. 10.* *Daniel. 4.* *Actor. 12.*

stus cùm humilis sit, nihil se habere putat: *qui existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit*. Hæc hominum miseranda conditio est, vt nemo sua sorte contentus, esse desiderat quod non est. Dux Rex, Comes Dux, Nobilis Comes, Ciuis Nobilis, infimus de plebe ciuis, omnes denique esse, quod nō sunt, volunt, & appetunt. Innumera ex hac superbia peccata: *quia initium omnis peccati superbia*. Contra humilis cum Ioanne nil esse, & habere reputat. Si tam humilis non es, vt nouissimum virorum te non reputes sicut Christus, saltem intra sortem tuam te contine: noli plus esse, & apparere quàm es: Noli tu, qui in minore statu es, maiorem æquare, sed intra limites facultatis tuæ te contine. Secundò ex hoc Ioannis facto collige eorum culpam, qui vt ipsi magni appareant, alios deprimere volunt, similes Aman, qui nihil se habere arbitrabatur, cùm multa haberet, donec Mardochæum humiliaret, deijceret, & interimeret. Vilis, imò vilissimus homo, qui plus honoris nō habet, quàm eum, quem surripuit ab alijs. Nihil habes nisi ex furto, miserrimus profectò es. Quàm aliter se Ioannes habeat manifestè ostendit. Se deijcit, vt Christum exaltet, & qui se humiliauit, exaltatur; contra verò malo tuo exaltaris, sicut malo suo formicis alæ nascuntur; sic enim à vento raptæ pereunt. *Defecerunt, dum eleuarentur, vt fumus ascendens deficit.* Tertiò horum aduerte stultitiam. Medicum inter se Christum habent, nec agnoscere volunt; exeunt, vt in Ioanne quærant; & ille ait: *Non sum ego* Quasi in imagine posita est inscitia nostra. In te Deus est, in medio tui est; quare ergo exis à te, vt prodigus in regionem longinquam? Vagaris per creaturas, quæ cum Ioanne dicunt; *Non sum ego*? Vocat Dominus puerum Samuelem, & ille ad Heli currit: vocat te Deus, & tu vt puer creaturam adis. Creatura tibi dicit; Non sum ego Deus tuus, sed ecce agnus Dei Deus tuus: Sol ait; Non sum ego, quia eclipsim patior: Luna dicit; Non sum ego Deus tuus, quia mutor: Totus denique mundus clamat; Non sum ego Deus tuus, quia deficio. En Deus tuus, ad eum accede. Mundus clamat, ego deficio: dæmon, ego decipio: caro, ego inficio: Christus, ego reficio. *Venite ad me omnes*, nec tamen tu venis In medio tui Christum quære, quia medius vestrûm stetit: non longè est à te: *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.*

Galat. 6. — *Eccl. 10.* — *Esther. 3.* — Simile. — *Psal. 72.* — *Lu 15.* — *Augustinus.*

EGO vox &c. Christus Verbum est mentale Patris, Ioannes huius Verbi vox dicitur multis de causis. Primò: Verbum respectu loquentis prius est quàm vox; prius mente concipio

quod voce dicturus sum, quàm ore promam: sed respectu audientium prior est vox verbo mentali; prius tu vocem meam audis, quàm percipias mentis meæ conceptũ: ita Patri loquẽti prior est Christus; *Ante me factus est*: sed mundo audienti

Luc. 1. prior est Ioannes; *Præibis ante faciem Domini* &c. prius nascitur, prius prædicat, prius moritur. Secundò: Verbum & conceptus mentis meæ per vocem audienti fit manifestus: Sic Ioannes vox Christum manifestauit mundo, ostendens eum Dei agnum. Tertiò: Vox transit, conceptus manet; cùm conceptus meus in mente tua crescit, iam vox deficere incipit: sic illum

Simile. oportet crescere, me autem minui, ait vox Ioannes. Annuntiat Lucifer solis aduentum luce ab eo mutuata, & sole orto ab-

Ioan. 1. sconditur continuò: sic factum cum Ioanne, quia *non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine*. Vide, quàm conuenienter Ioannes vocem se dixerit. Ex quo sequitur maxima Ioannis perfectio; quod enim vicinius & similius est verbo mentis, vox est illud explicans: ita Christo coniunctissimus & simillimus Ioannes est, adeò vt Christus reputatus sit. Sed aduerte Ioannem non dicere: Ego clamo voce, sed, *ego vox*: non enim est aptus officio prædicandi, qui solũ voce clamat, sed qui totus est vox, ore clamans & opere In literis ÆEgyptiorum hieroglyficis vir sapiens notabatur per manum ori linguæque admotam; manus enim operari debet quæ lingua loquitur. Seneca: Talis sit tibi magister, qui idem sit dicens & fa-

Iudic. 6. ciens. Sic vincitur Madian ab his, qui vna manu tubam, altera

Esaiæ 58. lampadem portant: *Quasi tuba exalta vocem tuam*, dicitur præ-

Luc. 13. dicatori, sed manu lampadem tene: sint *lucernæ ardentes in ma-*

Genes. 25. *nibus* tuis, ne fortè tibi dicatur: *Vox quidem vox Iacob est, manus autem manus sunt Esau*; vocem enim electi præ se ferre, opera verò reprobi, indignum prorsus est. Quid proderit, si pater filiũ admoneat: Caue à ludo, & impiorum societatem deuita, & similia dans salutis monita, si videt filius patrem contra agere?

Ambrosius. Sicut gallus prius se excitat, & à se puluerem & somnum de-

Simile. pellit, & hoc perfecto canit, & alios excitat: sic prius tu es excitandus mundandusque, & tunc alios valebis excitare. Quî enim fieri potest, vt zelo moueatur in aliorum vitia, qui eisdẽ detentus est? Rectè ergo Ioannes vt clamet, vox totus dicitur

Augustinus. esse. Sed quid clamat ista vox? *Parate viam Domini*, &c. Duę sunt viæ Est via Dei, & est altera via Dęmonis, mundi, & carnis: via

Cicel. 1. Offic. virtutum, via Dei; via vitiorum, altera. De quibus Cicero ex Xenophonte Herculis vitam scribente optimè refert: Herculẽ

adhuc

adhuc iuuenem in desertum exeuntem locum duas vidisse vias; vnam voluptatis, (in qua mulierē serico & auro pulcherrimè ornatam, ei omnes mundi delicias offerentem, eumq́; , vt se per illam sequeretur, inuitantem, vidit) alteram virtutis; (in qua matronam seueram, non delicias & voluptates, sed labores, sudores & pericula, quorum tamen finis ac præmium esset illum Deum fieri, pollicentem, inuenit) dubiumque aliquanto tempore hæsisse, sed tandem, vt Deus esset, virtutis viam sequi decreuisse. O si tu modò quisquis es hęc rectè perpenderes; duæ hę viæ ante te sunt: virtutis à dextris, vitiorum à sinistris est. *Auerte pedem tuum à malo: vias enim, quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt.* De quibus Dauid: *Viam iniquitatis amoue à me: in via tua viuifica me: Ab omni via mala prohibui pedes meos: viam mandatorum tuorum cucurri.* Differunt hæ viæ: vitiorum spatiosa est: *Lata porta est, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* Si finis eius infernus, quomodo tot eam ingrediuntur? quia lata est. quomodo lata: quia est via sine via: omnia enim iniusti viam faciunt, hortos, vineas, sata: non est eis seps, nihil sibi vetitum arbitrantur, cuiusque voluntas sibi via; prouocantes se inuicem aiunt: *Venite fruamur bonis quæ sunt. Non sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra* O insani, miserrimi, qui hāc viam ingressi eius finem non attenditis? quis tam amens qui ad supplicium lætus it, quia per pratum ducitur, non videns suspendium in prati fine? quid lætaris miser peccator quòd via tibi est læta: en in fine eius mors æterna. Sed via Domini arcta est, & angusta porta quæ ducit ad vitam: sicut non licet viatori ingredi sata hortosque, qui prope viam sunt: ita hanc Dei viam ingredienti non licet præterire mandata, terminus positus est voluntati eius. Vis nosse, quò tibi tandem perueniendum est: sta super vias, & interroga de semitis antiquis, & ambula in eis: considera cum Dauide vias tuas, & conuerte pedes tuos in testimonia Domini. Verùm contingit tibi, quod Leuitis hodie interrogantibus Ioannem: audierunt de Christo testimonium perhibentem, sed non crediderunt, nec eius testimonium de altero receperunt, qui de se ipso recepissent. accedis ad concionem, vt viam cæli agnoscas; ostenditur tibi, nec arripis. Multi, licet errorem viæ cognoscant, scire nolunt viam rectam, dicentes; Non ambulabimus.

Prou. 4.
Psal. 118.
Matth 7.
Simile.
Ierem. 6.
Psal. 118.

Dirigite viam Domini. Via Domini lex eius est: viam dirigere, est cōponere te, tuaq́; omnia secundùm Dei legem. Venit

Deus è cælo ad nos, quis non se paret, vt tantum suscipiat Dominum? *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hierusalem. Exalta, noli timere: dic ciuitatibus* Iudæ: *Ecce Deus vester, ecce Dominus venit.* Vt hæc clamet venit Ioannes, & nos vobis hodie idem clamamus: Adorna thalamum tuum Sion, præparare in occursum Dei tui: vt eum dignè suscipias, omnia peccata proijce. Sed notat Chrysostomus: *Parate*, ait, *& dirigite viam Domini*: non dicit, Fac viam: facta iam est, compone tu eam. Anima nostra Dei est imago, in ea scripta est naturalis lex. Semē Dei, ait Cicero, in nobis est, nos dirigens, si non impediatur: insuper tu qui fidelis es, Christi legem habes in corde scriptam: viam vides, eam ingredere. Ne mutes viam, iam Dei viam tenens, iam vitiorum; vnam tene. *Rectas facite semitas eius.* Gregorius exponens illud Iob: *Nescierunt vias Domini, nec intellexerunt semitas eius*, per viam intelligit innocentiam, per semitam pœnitentiam. Qui viam rectam tenet, semita nō indiget; sed si viam perdidit, indiget semita striĉtiori, vt ad viā reuertatur: sic qui innocentiam perdidit, quæ via est, ad eam reuertatur per pęnitentiam. Vel aliter: Via, mandata Dei sunt; semita, consilia: cui semitæ se committentes perfecti, ab omnibus se abstinentes, *vt nubes volant*; sine onere & labore in stadio currunt. Hanc si ingredi libet, in te illud implebitur: *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror iunci & calami, & via sancta vocabitur*: vt sponso dicere possis: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum*; qui vocatus adueniet per gratiam &c.

Esa.49. *in Tuscul.* *Iob.24.* *Esa.60.* *Esaia 35.*

DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

THEMA: *Vox clamantis*, &c. Luc. 1.

IOANNES vox est, baptizans in aqua; Christus Verbum mentis, baptizans in Spiritu sancto & igne: sic omnis prædicator voce resonare potest; sed Dei est spiritum concedere & ignem, sine quo vox est cymbalum tinniens, vel æs sonans: hunc à Christo petamus per Mariam.

APPROPINQVANTE iam Christi aduentu, ponitur hodie

dicante oculos nostros tantæ rei nuntius: *Videbit omnis caro salutare Dei nostri*: qui meritò ad maximam animorum præparationem nos excitare deberet, ne spiritales hæ nundinæ sinè maximis nostris lucris prætereant, de quibus scriptum est: *Et particula bonæ diei non te prætereat.* si enim cùm descenderet Angelus, Dei personam agens, pręcepit populum sanctificari, multo magis ad Dei ipsius aduentum nos parari atq; mundari oportet. Pro cuius rei intelligentia aduertendum, licet Deus iam in mundum venerit, cum ex Virginis visceribus processit tanquam sponsus de thalamo suo; tamen hisce diebus peculiari quadam ratione in mundum venire dicitur, & in fidelium animas illabitur: & licet omni tempore misericordias largiatur, hoc potissimum tamen, quo eius aduentus celebratur, maiora præstat beneficia. Quæ omnium Sanctorum doctrina probatur primò: Ecclesiæ oratio debitè facta secundùm regulas Euangelij semper obtinet à Deo quod petit, vel quid maius; Christus enim eam exaudiendam esse promisit, eaque in orando, vt in alijs, à Spiritu sancto regitur: (*Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, & postulat pro nobis &c.*) illa verò ab initio Aduentus postulauit, vt ad animas nostras veniat dilectus noster, & singularibus donis eas ornet: sine dubio id obtinebit. Secundò: Ecclesiæ festa non sunt comedię mortuę, in quibus aliqua quasi ab histrionibus repræsentantur, sed viuæ rerum imagines, quæ vitam donant ijs quæ aguntur: omnia quæ in Ecclesia, plena sunt vita & spiritu: cùm proponitur Dei in mundum aduentus, verè fit aduentus Dei in animas nostras; nascitur Christus denuò in eis, illis vnitur nouo amoris nexu, & talis gratia fidelibus conceditur, vt se habeant sicut qui natali interfuerant. (quod de natali dicimus, de reliquis festis intellige.) Sicut sol cùm per anni circulum redit ad signum, in quo à Deo primùm conditus est, eosdem influxus in terram demittens, operatur eadem quæ initio operatus est: sic Christus Sol iustitiæ rediens per Ecclesiæ repræsentationem ad ea mysteria, in quibus fuit, dum cum hominibus conuersatus est, similibus nos bonis ditat, ac ditauit tunc in mundo eius conspectu fruentes. Quæ doctrina summæ consolationis fidelibus est, ne se dicant infelices, quod Christum non viderint: dum enim Ecclesiâ hæc agit mysteria, ipse gratiam confert, ac si nasceretur, resurgeret, &c. Hoc ipse significauit, cùm dixit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Noli mæstus esse, quod Christum non vide-

Eccl. 14.
Exod. 19.
Rom. 8.
Simile.
Matth. 28.

tis,ecce tecum est omni die; tecum in diuinissimo Eucharistiæ sacramento;tecum in adiutorium tuum intendens; tibi in omnibus prospiciens; tecum demum per Ecclesiæ repræsentationem, quæ viua est. Cuius rei manifestum indicium est,quod in his festis iusti hunc solem iustitiæ animis suis propinquare sentientes, experiuntur noua ad virtutem incitamenta,nouo lumine illustrati, nouis ardoribus inflammati. Sed aduertendum non ad omnes hos diuinos effectus prouenire, sicut etiam cum hæc mysteria peracta sunt in terris per Christum, non omnibus profuerunt, quia omne agens agit in patiente disposito. *Licet enim ad omnes* misericordia Dei extendatur,etiam ad peccatores;illi tamen, qui resipiscere renuentes,in peccato manere volunt, his omnibus bonis se priuant,nec meliores his festis fiunt,sed proficientes in peius maiora his diebus perpetrant peccata,luxuriæ, ludo, ebrietatibus
Hebr.10. vacantes,Filium Dei conculcant,sanguinem Testamenti pollutum ducunt. O miseri, sic suscipitis Christum venientem? hunc ex eius aduentu fructum colligitis? hæc rependitis beneficijs eius? Si tanto zelo insequutus est Christus templi violatores dicens, *Auferte ista hinc*: quanto insequeretur festorum
Esaiæ 1. contemptores? Propter hos dictum est: *Neomenias vestras, & sabbatha vestra odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui*
1.Reg.5. *sustinens*.hi similes sunt Azotijs, qui festum se putant arcæ agere,si iuxta Dagon eam collocent, sed eos durè contriuit Deus,& Dagon deiecit:sic hi Christum Dominum & eius natale,peccatis vitijsque adiungunt. Quàm aliter nobis agendum sit,ratio manifesta conuincit, & Paulus monet, dicens:
Rom.13. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis; non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, sed*
Esaiæ 1. *induimini Dominum nostrum Iesum Christum. Lauamini,mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum.* Agnoscamus misericordiæ tempus,quod pr manibus esse Lucas ostendit, dicens:

Anno quintodecimo Imperij & cæt.quibus verbis monstrat Iudæorum regnum penes extraneos iam esse;quod signum erat
Genes.49. aduentus Messiæ,iuxta Iacob vaticinium. Sed ô misera Synagoga, quæ non cognouisti tempus visitationis tuæ! elapsum tibi est misericordiæ tempus, benignitatis annus, & innumera incidisti mala, eò quod non cognoueris Saluatorem tuum. Caueamus nos ne in similem culpam incida-

mus,

mus, ne prætereat hoc viſitationis tempus. Audi Paulum: *Fratres, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Ad te dicit Dominus: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Vt verò te dæmon deludat, ait: Da mihi hodiernum diem, craſtinum Deo dabis. Idem cras dicet: & ſic te detinet, vt tempus labatur, & omnino intereas. Vidi, ait Baſilius, auis aſtutæ miram artem, quæ videns aucupem venientem, dum eſt cum paruulis pullis in nido, & eos ob debilitatem prædæ expoſitos, quia non poſſunt vno volatu effugere, opponit ſe aucupi, vt ille ſpem facilè capiendi concipiens, eam perſequatur pullis relictis; eoque appropinquante iterum illa euolat, nec longè diſcedit, ne ſpem capiendi deijciat auceps; & ſic eum detinet ac deludit, donec videt pullos ſuos iam longè abſceſſiſſe & ſecuros eſſe. Simile dæmon agit, vt te deludat, morari te facit in peccato ſpe falſa longi temporis futuri, quaſi in manu tua ſint tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, vt præſens cùm perdideris in æternum doleas. Sed interim mirandum maximè, quàm facilè iacturam temporis faciamus, ac ſi tempus nihil eſſet æſtimandum, cùm tamen ſit immenſi valoris. Vide quanto pretio tempus ſit habendum: vno temporis inſtanti, ſi bene eo vti noueris, cælum, & vitam æternam mercari potes. Quantum vna hora temporis ſit æſtimanda, interroga à Latrone, qui ea lucratus eſt cælum. Interroga modò à damnato, quanti æſtimaret horam vnam, quæ ei modò concederetur, in qua infinitas poſſet euadere pœnas. Tu verò contemnis, & perdis, quaſi ſtercus eſſet vile. Qui ſtercus domi retinet, conſiderat, quò tandem illud tranſportari poſſit: ſic conſiderare ſoles, qualiter tempus tranſiges, quaſi nihil eſſet. Tu *tempus faciendi*, quod ad laborandum in Dei vinea datum eſt, in peccatis conſumis; ſed ſumet aliquando id ſibi Deus, vt tuum iam non ſit, ſed Dei. *Venient dies, quando deſiderabis videre vnum diem Filij hominis, & non videbis*: & Angelus *iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, quia iam non erit tempus.* Credibilene eſt Domine Deus meus, vt aliquando deneges nobis horam temporis, qui ſanguinem non negaſti tuum? Vtique hoc nobis eueniet. Interroga ab eo, quē Gregorius narrat clamaſſe hora mortis, inducias vſque mane, nec tamen ei conceſſæ fuerunt. Quid inde nobis colligendum, ſi ſapienter colligimus, ſi ſyllogizamus prudenter? Vtiq; illud Pauli: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum: Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* O optima conſequentia!

[Margin notes: *2. Cor. 6.* — *Baſil in hom. exhortat. ad Baptiſmum.* — Simile. — Simile. — *Pſalm. 118.* — *Luc. 17.* — *Apoc. 10.* — *Galat. 6.* — *Coloſſ. 4.*]

Sed quid est redimere tempus? Sicut vt captiuum redimas, das numos; sic tempus accipe animæ tuæ conueniens, licet opus sit emere datis numis: Licet ergo cura temporalium tibi relinquenda sit, *quære primùm regnum Dei, & iustitiam eius*. Vel: Tempus tibi datum, vt salutem animæ consequaris, quasi captiuum est, dum in negotijs sæcularibus insumitur; redime illud in spiritualibus rebus impendens. Duo præcipua in hac re tibi consideranda sunt. Primum, Bona quæ operatus es quadraginta annis; si ambulasses solicitus cum Deo tuo, vno anno hæc omnia facere potuisses: ergo triginta nouem annos perdidisti; quam tot annorum rationem reddes, qui redditurus es etiam de minimo verbo otioso? Secundum, quod non cognoscens tempus visitationis tuæ, tantam oportunitatem cum Iudæis (qui Christo prædicante cùm facilè bona spiritualia & æterna acquirere, iudicem amicum reddere, officijs obligare &c. possent, spreuerunt) è manibus tuis elabi permittis. Ad ianuas cordis tui pulsat modò Christus: ad portas domus tuæ iacet in pauperibus: non agnoscis, non aperis. O quãtum postea dolebis, cum tempus oportunum, dies salutis præterijsse intellexeris! Modò agnosce tempus, ne tibi dicatur, quod Iudæorum populo dicit Ieremias: *Miluus in cælo cognouit tempus suum; turtur, hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus verò meus non cognouit iudicium Domini*. Hoc ergo misericordiæ tempore, & oportunè venit Ioannes in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ: propter quam ait Soto dictum esse à Christo: *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur*. Conuenienter sanè Deo mundum intrante pœnitentia prædicatur, (*Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*) vt expulso vno contrario, regno scilicet peccati, regnum Dei subintraret. Qui enim videt Deum, continuò agnoscens defectus suos pœnitentiam agit. Vide hoc in Iob: *Nunc autem oculus meus videt te, idcirco ego me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere*. Et hæc est præclara dispositio, vt Deus in anima suscipiatur: Si enim anima coram Deo suo posita, se peccato fœdatam conspiceret, præ verecundia id ferre non posset: & si animæ in Purgatorio daretur optio, vt vsque ad mundi finem ibi arderet, vel continuò vno tamen peccato veniali inquinata, in cælum euolaret: præeligeret tamdiu ardere, vt purgata tandem in Dei conspectum veniret. Si ergo Deo tuo vis tota pulchra, decoraque nimis esse, pœnitentia te ablue. Si enim

Ierem. 8.

In 4. d. 14. q. 2. art. 2.

Matth. 11.

Iob. 42.

coram

coram Aſſuero nullus apparet in veſte vili,quomodo coram Deo in viliſſimis & pannoſis veſtibus apparebis? Ideo ſuſcepturi Deum,qui diligitis eum,odite malum,& à vobis per pœnitentiam abijcite:ſic eum conuenienter ſuſcipietis. *Heſt.6.*

SED quia ſatis non putat homo Regem ſuſcepturus hoſpitio,ſi domum mundet,niſi etiam ornet;ornanda etiam domus noſtra eſt pijs operibus,virtutumque ornamentis. Sed inquiris: Quomodo pauper domum ſuam ornabit, vt regem hoſpitio ſuſcipiat? quomodo homo animam ſuam ſic exornare poteſt,vt infiniti Dei ſit apta domus?Reſpondetur:Quæ habes ornamenta,præpara;reliquum,quod tibi deeſt,Deus ſecum adducet. Sicut Rex quacunque excipiatur domo, etiam ornatiſſima, ſecum defert lectum & alia ad regium cultum pertinentia: ita Deus mentis tuæ domum quantumlibet ornatam intrans, ornamenta ſecum ducit cæleſtia, vt ei digna ſit.Sicut virgines intraturæ ad Aſſuerum vltra cultum muliebrem,quem ex domo propria quæuis ſecum ducebat, ex triclinio Aſſueri iterum ornabantur:ſic ex Dei triclinio ornabitur anima tua,vt dignè eum ſuſcipere poſſis. Pulcherrimam domum Domino præparaſſe putauit Salomon; ſed quia adhuc tanto Deo parum hoc erat,impleuit eam nube, & gloria Domini.Præſta ergo quæ potes, aderit tibi Deus reliqua adijciens.Sed ais:Quomodo parabo domum mentis meæ? Reſpondet Ieremias:*Statue tibi ſpeculam,pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam*. Primò ſpeculatorem te oportet eſſe, vt contempleris immenſi magnitudinem beneficij, ne fortè tibi dicatur:*Opus Domini non reſpicitis,nec opera manuum eius conſideratis*.Amantiſſimum tibi ex remotiſſima regione venientem continuò inuiſens,plura ab eo interrogas: Quàm longam ſuſceperit viam;quomodo ſe habeat poſt tam longũ iter,cuius cauſa illud ſuſceperit &c Idem fac cum Deo è cælo in terram veniente;interroga,cuius cauſa venerit, & dicet tibi:Tui cauſa,propter amorem in te immenſum negotia tua peracturus venio. *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis,&c.*Hæc attentè conſiderans,tanta charitate Dei tui inſpecta, ſine dubio ardebis.Secundò: *Pone tibi amaritudines*. Fac, vt prædicat Ioannes,fructus pœnitentiæ dignos:quò plus delectatus fuiſti in peccatis,eò plus es accepturus tormenti & luctus.*Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctus.* Vnde Gregorius:Notandũ, ait, quòd non ſolùm fructus pœnitentiæ, ſed dignos pœnitentiæ

Simile. *Heſter.2.* *2.Paral.3.* *Ierem.31.* *Eſaiæ 5.* *Simile.* *Apoc.18.* *Hom. hodierni Euangelij.*

tentiæ admonet esse faciendos. Quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur, vt licitis vtatur; at qui illicita admisit, tanto à se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse. Per hoc ergo quod dicit: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, vniuscuiusque conscientia conuenitur, vt tanto maiora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora sibi intulit damna per culpam. Tertiò: *Dirige cor tuum in viam rectam*. Quæ verba, Hieronymo teste, 70. verterunt: *Sume cor tuum, & da super humeros tuos*. quid est super humeros ponere cor? quod magni ponderis est, super humeros ponis: desideria bona, nec oneri, nec ponderi sunt; sed executio eorum, cùm opere complentur, hoc pondus est, onus est. *Da* ergo *cor super humeros*, id est, comple opere omnia bona tua desideria, licet tibi sint ponderi. Hoc prædicat Ioannes: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*. Quid enim desideria prosunt, quæ opere non implentur? Non inniti debes, nec fidere in his quæ non egisti, dicens; Postea pœnitentiam agam, in testamento restituam; sed in his potius quæ à te iam peracta sunt.

Matth. 23. *Vox clamantis in deserto*. Peccator desertum est: est enim sine Deo: *Ecce relinquetur domus vestra deserta*. Anima peccatoris bonum semen diuini verbi non recipit, nec aratrum patitur, quo durities cordis eius auferatur; & sic desertum est, aliud

Prouerb. 24. non germinans quàm spinas & tribulos. *Per agrum stulti transiui, & ecce totum repleuerant spinæ*. Præterea, sicut in deserto sunt venenata & fera animalia, sic de impij anima dicitur. *Possidebunt eam onocrotalus, & ericius; & ibis, & coruus habitabunt in ea*, &c. *& erit cubile draconum, & pascua struthionum. occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum*: quia vnum peccatum alterum post se trahit. Sicut in deserto si qui nascuntur fructus, sunt insipidi & agrestes; sic peccatorum opera, etiam bona, nullius sunt meriti. Sed hoc profectò mirum, quòd, cùm omnes horreant desertum huius mundi, Deus semper in eo clamat: Tu Deum fugis, ille te quærit; elongaris

Prouerb. 1. tu ab eo; ille ad te vociferatur, & hoc clamore grandi. *Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam: Vsquequo paruuli diligitis infantiam*? Quotidie Dei voces audis clamantis ad te, vt in eius redeas amicitiam; summam dignationem mirare. Sed inquiris, quę sint hæ voces, quibus ad te clamat? Multę vtique. Primò clamat beneficijs naturalibus, quibus te cumulat, vt vel saltem carbones congerens super caput tuum te vincat: dignus

gnus eras æterno ſupplicio, recipis verò à Deo ſubſtantiam, honorem, vitam, vt dicas: Loco iræ, quam merui, innumera bona à Deo accipio. *O quàm bonus & ſuauis eſt Spiritus tuus in* Sapient.16.
omnibus! & ideo eos, qui exerrant, corripis, & admones, vt relicta malitia ad te conuertantur. Sed multi ſurdi his vocibus ſunt, quos arguit Hieremias: *Populo autem huic factum eſt cor in-* Hierem.5.
credulum & exaſperans; receſſerunt, & abierunt, & non dixerunt in corde ſuo, metuamus Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo, plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis Qua in re duriores ſumus & ferociores tygribus & leonibus, qui eum ſequuntur, & ei obtemperant, a quo paſcuntur: tu verò quò plura à Deo quotidie recipis, eò durior & inſolentior, verè ſurdus es, qui voces tantas non audis. Clamat enim hoc cælum, clamat omnis creatura: En ego tibi inſeruio, Deo iubente, vt tu Deo obtemperes. Quomodo tot vocibus non moueris? Loquitur ſecundò Deus, & clamat in Prædicatoribus: *Non enim vos eſtis, qui lo-* Matth.10.
quimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Hinc Paulus: *Gratias agimus Deo: quia cùm accepiſſetis à nobis verbũ auditus* 1.Theſſ.2.
Dei, nõ accepiſtis illud vt verbum hominum, ſed ſicut verè eſt verbũ Dei. Et ſic, *abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarum tuarum.* Pſalm.41.
Abyſſus miſericordiæ abyſſum miſeriæ in voce prædicantium: qui nubes ſunt in alto Eccleſiæ conſtitutæ, vt doctrina ſua Eccleſiam irrigent. *Concreſcat in pluuiam doctrina mea.* Hac Deut.32.
voce mundus conuerſus eſt. Ergo *fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti.* Cuius vocis tãta antiquitus auiditas fuit, vt Rom.10.
ſe inuicem prouocarent dicentes: *Venite, aſcendamus ad mon-* Eſaiæ 2.
tem Domini, & ad domum Dei Iacob: docebit nos vias ſuas. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo: ſed iam Pſalm.118
deſpicitur vox hęc. Huiuſmodi vox Ioannis fuit: de qua Pſal. *Vox Domini ſuper aquas multas, Deus maieſtatis intonuit. Vox Do-* Pſalm.28.
mini in virtute, vox Domini in magnificentia: Vox Domini præparantis ceruos ad curſum vitæ rectę. Antequam homo peccaret, loquebatur Deus: *Fiat lux*, &c. poſt peccatum ſtatim clamat ad Adam, dicens: *Vbi es?* grande malum peccatum eſt, quod Deum clamare compellit. Elongatus eſt à Deo peccator: clamat ergo Deus quaſi à longinquo vocans: accedamus ſupplices, &c.

(***)

IN VI-

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

THEMA: *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Matth. 1.

HABITAVIT Deus inter homines in vmbra legis scriptæ triplici in habitaculo: Primò in tabernaculis, & tentorijs: tertiò in magnifico illo Salomonis templo: inter hæc intercessit parum temporis, in quo habitauit in regia Dauid. *Omnia in figura contingebant illis* Significatum ergo est primùm Deum inter homines habitasse in tabernaculis, id est, in Prophetis, & figuris legis: & sicut domo ædificata tentorium deseritur; sic, inquit Esaias, *relinquetur filia Sion sicut vmbraculũ in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.* Postea verò inter homines habitauit in magnifico illo templo corporis sui, de quo ait: *Soluite templum hoc.* Inter hæc tempora fuit aliud felicissimum, ei maximè, cui tanta erat seruata felicitas, in quo habitauit in regia Dauid, id est, in Virginis sanctissimæ visceribus; quod tempus his diebus celebramus. Est hodie lætissima Maria similis auroræ iamiam pariturae solem, nec vllo grauatur dolore; Sicut enim verbũ ab intellectu producitur sine corruptione & dolore, imò maxima sui perfectione & integritate: sic peperit Maria Verbum Patris. Ad eam accedamus, &c.

1.Cor. 10. Esaiæ 1. Ioan. 12. Concil. Ephes.

HODIERNA die lætissimum vobis nuntium damus: quia mane videbitis gloriam Domini: de qua die Eliseus: *Cras modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei statere vno in porta Samariæ.* Cras enim venit ad nos panis de cælo viuus ad Bethlehem domum panis, vt famelicum mundum satiet, repleatque bonis. Quis silebit tam desideratum nuntium? Si nobiscum Deus factus Emanuel noster, quid iam nobis desiderari potest? Tantæ in hoc nobis diuitiæ, tanta bona sunt, vt si Angeli nos zelare possent, de hac solùm re inuidia mouerentur: & Bernardus, & alij dicunt, Luciferum hanc tantam humanæ naturæ felicitatem, sibi reuelatam, inuidentem, è cælo vt fulgur deiectum. *Hæc* igitur *dies boni nuntij est; si tacuerimus, sceleris arguemur.* Fuit hoc nuntium mundo omnibus votis desideratissimum sicut captiuis redemptio, infirmis salus. Vnde Ecclesia: *Quis det te Deum meum fieri fratrem meum sugentem*

4. Reg. 7. Cantic. 8.

tem vbera Virginis *matris meæ, vt deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat?* cùm omnis creatura adoret & genuflectat humanitati Christi, quis nos deſpiciet? Non Pater, qui nos videt Filij fratres; nec Filius, qui dicit, *Vade ad fratres meos;* non Angeli, qui licet ante ſe adorari ab omnibus permitterent, ex quo Deus homo factus, dicunt; *Noli me adorare, conſeruus tuus ſum.* Apocal. 19.
Hoc idem erat deſiderium Dauid ſummis votis petētis: *O quis* 2. Reg. 23.
mihi daret aquam de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem! hanc enim deſiderabat aquam, quæ à Christo fonte patente domui Dauid colligitur. Videns Iob vitæ ſuæ terminum appropinquare, Iob. 9.
nec tamen ab eo videri hoc eximium bonum, ait: *Dies mei velociores fuerunt curſore: fugerunt, & non viderunt bonum: pertranſierunt quaſi naues poma portantes,* quæ fructum deferunt, quem non guſtant: ſolùm odore fructus flagrant. Quibus ſimiles fuêre Prophetæ, qui nuntiârunt mundo Christum; ſed eum non viderunt, ſolum odorem eius ſenſerunt; de quo Iſaac ad Iacob: *Ecce odor filij mei, quaſi odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*
Attigit eius nares Christi odor, qui fuit ager plenus gratijs, *de* Geneſ. 27.
cuius plenitudine omnes accepimus. Iuxta fidem defuncti ſunt omnes, Hebr. 11.
non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes & ſalutātes. Et hac de cauſa tam ſolicitè Patres curârunt ſepeliri in terra Iſrael: vt qui videre Christū non poterant, ſaltem ab eo calcarentur. Sic *Ioſeph fide* Christi in terram illam venturi *mandauit* Hebr. 11.
de oſſibus ſuis. Hoc nuntio, & hac ſpe conſolatus eſt Deus mundum annis multis, vt deſperatione non rueret. Hoc primùm Adę reuelauit, ne omnino deſperaret. Cùm enim ille ſummo ingenio eſſet, & conſideraret bona quæ amiſerat, mala in quę inciderat, & in quæ vniuerſum genus hominum immiſerat, an non animo caderet? Sed Deus iratus dum contra eum ſententiam ferens, ei ironia myſterijs plena loquitur: *Ecce Adam, quaſi vnus ex nobis factus eſt,* (ſignificans vnam ex diuinis perſonis aliquando veſtiendam eſſe ſimili veſte, qua Adam indutus erat) ſimul mali remedium manifeſtauit, in ſerpentis maledictione manifeſtè oſtendens futurū ſemen mulieris, quod noxij ſeminis caput contereret, illumque & eius poſteritatem à dæmonis erueret poteſtate. Id ipſum etiam Noe oſtendit in Geneſ. 8.
arcu; Abrahæ manifeſtè reuelauit, qui ideo dicitur Christi diē Ioan. 10.
vidiſſe; & propter myſterij huius apertiorem in dies cognitionem dicitur in Cantic. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgēs, pulchra vt luna, electa vt ſol?* quibus verbis triplex Eccleſiæ ſtatus oſtenditur, naturæ, legis, gratiæ. Naturæ ſtatus

auro-

aurora dicitur; in quo parum erat lucis, propter solis distantiam: ita tunc mysterium hoc obscurius reuelatum fuit. Lex luna fuit, clariore luce hoc ostendens mysterium. *Fide Moyses grandis factus, negauit se filium filiæ Pharaonis;* &c. *maiores diuitias æstimans improperium Christi, thesauro Aegyptiorum.* Sic Prophetis hoc mysterium clarius reuelatum est, & per eos mundo annuntiatum, vt sic per temperatam in lucidissimam solis lucē procederemus Sed gratiæ tempus iam sol est, omnia iam manifesta sunt: Pariet filium cras, quem vocabis Iesum. quid hac luce clarius?

Hebr. 11.

SED tanto ac tam felici nobis proposito nuntio operæ pretium est, vt illud nos Deum oremus, quod Manue, cùm vxori eius apparens Angelus Sampsonem nasciturum prædixerat, orauit: *Obsecro Domine, vt vir Dei, quem misisti, veniat iterum, et doceat nos, quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est.* Sampsonem figuram Christi gessisse manifestum est: sicut ille à Dalila, quam dilexit, traditus in mortem est: sic Christus à Synagoga. Quid ergo faciendum puero huic, qui nasciturus est? si de figura tanta habita cura est, de eo, quod per eam figuratum est, non habenda maxima? His solùm orietur Christus, qui hac anxij cura se præparauerint ad eius natiuitatem. *Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ:* Deus quidem *solem suum* materialem *facit oriri super bonos & malos,* sed Christus *sol iustitiæ* solis timentibus Deum oritur. Infelix homo, cui Christus non nascitur, aliquando dicturus est: *Sol iustitiæ non ortus est nobis.* Qui terrenis occupatus festis, & comessationibus his diebus vacans, hunc solem non considerat, eius bonis non fruetur. Ad quem Esaias: *Tibia, & tympanum, & lyra in conuiuijs vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis.* Opera creationis, opera fuerunt linguæ; opus redemptionis, opus est manuum Dei. Hoc maximè nobis inspiciendum est; de quo scriptum est: *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* Procedit arca Dei, Maria in Bethlehem. En arca ista in via est: *arca Dei in papilionibus, & ego domi manebo?* ei nō est locus in diuersorio, & nobis deliciæ parantur? eamus cum illa in Bethlehem. *Ite in Bethlehem, & inuenietis infantem,* dicunt Angeli pastoribus: *Ite in Bethlehem, & interrogate diligenter de puero,* dicitur Regibus. *Transeamus* & nos *in Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est,* considerantes diuinam in nos dignationem. Tam dignum est illuc homines

Iud. 13. Malach. 4. Matth. 5. Sap. 5. Esaiæ 5. Psalm. 138. Iosue 3. 2. Reg. 11.

properare, vt omnes etiam Angeli eò descenderint, Paulo testante: (*Cùm introduceret primogenitum in orbem terræ, dixit: Adorent eum omnes Angeli Dei.*) Primum ergo, quod puero nasciturο facturus es, hoc sit, vt ei assistas, cum contempleris, ei gratias agas, quoniam venit. Alijs euntibus ad vitulos aureos Ieroboam, ad ludos, ad comessationes, &c. quæ sunt vituli, quos dæmon proponit, vt deseramus Deum Israel; tu cum Tobia perge in Hierusalem ad templum Domini: inuise venientem Christum consideratione tua, lectione pia, pauperum subuentione. Secundum quod huic puero facere debemus, est illum in cordibus nostris reponere, vt vnum cum eo simus, qui propter nos vnus nobiscum factus est. Amor ita vnit amantes, vt deside rent vnum fieri: sed quia si hoc fieret, deberet vnus aut ambo corrumpi, facit saltem vnionem, quam sine corruptione potest, vt vnum sint intellectu, voluntate & conuictu. Deus infinito amore hominem diligens, cum eo vniri desiderans, cùm *non* sit ei *impoßibile omne verbum*, sic potuit homini vniri, vt Deus fieret homo, & homo Deus; Deus & homo vnus Christus: & tali id arte fecit, vt neuter corruptus sit: nec verò naturæ confusæ, nec personæ diuersæ, sed vnica persona, Deus & homo est. Fecit insuper amor exstasim: effert enim amantem extra se in amatum. An non extra se, & in nobis Christus, qui exiuit à Patre, & venit in mundum? Quomodo nos tanto respondebimus amori? An non desiderabimus in Deum mutari, & vnus spiritus cum eo fieri? De qua nostra cum Christo vnione Paulum tripliciter loqui notandum est: *in Christo*, *cum Christo*, *per Christum*. Primò *in Christo* sumus, vt membra in corpore, vt palmes in vite, à qua recipit vt fructum det: à Christo enim omne bonum nostrum, sine quo nihil possumus facere. Esto ergo in Christo: sed *qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare*. Secundò *cum Christo* tanquam eius socij simus. Adeamus ergo eum in omnibus sicut paruuli matrem; quia non sumus sufficientes aliquid boni vel cogitare ex nobis: & ipse ad hoc descendit, vt nos comitetur in via, sicut Raphael Tobiam. Sed quomodo, ais, ero ei socius? Resp. Exinaniuit semetipsum in omnibus, exinani te, & cum eo eris. Tertiò *per Christum*, quia per eum omnia dedit nobis Pater: iam enim non dicemus; *Memento Abraham, Isaac, & Iacob*; sed, *Respice in faciem Christi tui*; &, *Per Christum*

Hebr. 1. *Tob. 1.* *Plat in Tim.* *Lucæ 1.* *Athanas. in Symbol.* *Dionys.*

Domi-

Dominum nostrum. Ei ergo vniamur, & adhæreamus, vt membra capiti, vt eius socij, à quo omnia nobis bona, & per quem omne bonum ad nos à Patre descendunt Præparemus domũ nostræ mentis, vt in ea nascatur & habitet: nec enim fugiet nos, licet stabula bestiarum habitacula fuerimus, qui natus in præsepio est. Sed quo modo in mente nostra congruam ei habitationem construemus? Faciamus quod Sunnamitis Heliseo, quæ ait ad virum suum: *Animaduerto, quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter: Faciamus ergo ei cænaculum paruulum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cùm venerit ad nos maneat ibi*. Primùm ait, *Animaduerto*: quia mulier hęc non aduerterat, non susceperat Heliseum digno hospitio, vnde ille pertransibat, nihil fructus ei relinquens; modò aduertens, excipit vt debet, & ei conceditur animæ suæ desiderium, filius. Nobis quoque animaduertendum quis, quantusq́ue sit, qui ingreditur ad nos, Deus scilicet noster, *magnus Dominus & laudabilis nimis*; quia hoc non aduertimus, licet frequenter transeat per nos in Eucharistia, Natiuitate, &c. non eum hospitio digno recipimus *Faciamus ergo ei cænaculum*. Primò, vetus dissoluentes, ædificemus cubiculum nouum; nouus ille homo est, noua quærit omnia: petamus ergo ab eo cor nouum & spiritum nouum dicentes: *Cor mundum crea in me Deus*. Puteos Isaac, (animas nostras,) quos Philistæi (aduersæ potestates) repleuerunt terra, id est, carnalibus sensibus, & terrenis ac luteis cogitationibus, purgemus ab omnibus sordibus, abijciamus ab eis terram, & inueniemus in eis aquam viuam, de qua dicit: *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*. Mundemus cor nostrum, quod templum Dei est, & omnem immunditiam inde eijciamus, sicut Ezechias fecit; hæc enim impedit Dei in nos plenum aduentum. Secundò, hoc cœnaculum sit paruum, quia soli paratur Eliseo. Sic cor tuum præpara, vt soli Deo illud serues; nec enim Deum & mundum simul capere potest. Sella vna sit cordi tuo, qua Deus insideat; licet enim plura alia in cor tuum se ingerant, non verò quietò sedeant, da operam, vt statim inde egrediantur. Vnus lectulus paruus, in quo solus Deus quiescat; quia *coangustatum est stratum, ita vt alter decidat* Quã solus Deus esse vult in hominis corde! ideoque illud tot verbis explicat: Vnum, ait, cœnaculum, vna mensa, vna sella, vnus lectus, vnum cãdelabrum; quia *vnum est necessarium* Hinc ille ait: *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*.

4. Reg. 4. — Psal. 47. — Orig. hom. 13. in Genes. — Ioan. 7. — Esaiæ 28.

Dic ergo in corde tuo cum Psal. *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, spes mea Deus in æternum* Sed etiam ponamus mensam, & candelabrum, quæ etiam in Tabernaculo esse Deus præcipit. De qua re Origenes; Præcipit afferri oleum mundum à populo, & à sacerdote incendi lucernam &c. Lucerna hæc nobis splendet, quando oleo bonorum operum fuerit accensa; cùm verò deficiunt opera bona, extinguitur lucerna, & sic in tenebris ambulamus: ideo habere lucernas ardentes in manibus iubemur. Cùm attuleris hoc oleum, eris oliua fructifera in domo Dei. Hoc verò oleũ ex oliua esse debet, non ex alijs seminibus; quia omnia opera nostra in pace & charitate fratrum facienda sunt, vt Deo placeant. *Fructus iustitiæ in pace seminatur*: ideo concinunt nunc Angeli; *In terra pax hominibus*, Christusque mundum ingressurus, totum orbem pace voluit disponi: vbi sunt fratres congregati in vnum, ibi nascitur, ibi est in medio eorum. Quando ergo dixeris: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; quando aliam lucem non habes, qua dirigas gressus tuos, nisi Dei legem; quando operibus charitatis hanc lucem nutrieris, candelabrum apposuisti Eliseo. Hæc etiam ardens lucerna est feruens desiderium, quo Christi in te aduentum ardẽtissimè exoptas, quæ optima est dispositio, vt in te nascatur, & ad te veniat. Sicut enim vt in mundum veniret, tam voluit desiderari, vt dictus sit, *Desideratus cunctis gentibus*, &, *Desiderium collium æternorum*, &, *Qui mittendus est*, &, *Ipse erit expectatio gentium*: sic vt ad te veniat, ardet desiderio eius: pete eius in te aduentum gemitibus inenarrabilibus. Hoc significat, O illud Ecclesiæ toties hoc tempore repetitum, quo suum explicat desiderium. *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes! O si quis daret mihi aquam de cisterna, quæ est in Bethleem!* Sed vbi, inquis, hanc lucernam, hoc desiderium accendam, vt ardeat? *In meditatione mea exardescet ignis*, ait Christus. Considera te nihil esse sine Christo, omnia verò bona cum ipso ad te ventura, & huius considerationis igne lucernam tuam desiderij accendes. Restat ponenda mensa Eliseo, Audi Spiritum sanctum: *Quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende quæ posita sunt ante faciem tuam.* Proponit Deus tibi mensam, sed & tu mensam Deo propone, cibans illum, à quo etiam cibandus es. Vtrumque ille dicit: *Ego sto ad ianuam, & pulso; si quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* Cibat te Dominus donis cælestibus, ciba illum in pauperibus, ciba bonis actibus, pro-

Leuit. 23. Hom. 13. in Leuit. 1. Ioan. 1. Luc. 2. Iacob. 3. Luc. 2. Luc. 10. Psal. 118. Genes. 49. Esa. 64. 2. Reg. 23. Psal. 38. Prou. 23.

pone ei non vulgarem cum Loth, sed cum Abraham panem ex simila factum, id est, maiora alijs virtutum opera præsta, in omnibus operibus tuis præcellens esto: cura maximum habere amorem, Christi desideriũ eximium, opera charitatis gran-
Psalm.147. dia, & mensam proposuisti ex simila, vt dicatur tibi; *Adipe frumenti satiat te* Si sic te paraueris, erit tibi, quod Iacob ait: *Cras respondebit mihi iustitia mea*; cras videbis in te Christum natum, &c.

IN NATIVITATE DOMINI.

THEMA: *Verbum caro factum est*, Ioan. 1.

3.Reg.1. DIES festus agitur in Hierusalem, cùm Salomon regio diademate ornatur; sed tunc etiam exultabat Adonias cum suis: sic hodie cùm spiritualiter gaudendum nobis esset cum Rege nostro Christo, immiscet dæmon gaudium aliud, inane & mundanum. Si autem in hac solennitate veram animi lætitiam exoptas, quære cum Rebecca quis sit
Genes.24. qui obuiam venit, qui natus est, & audiens Sponsum tuum esse quomodo ei non aperies? quomodo non confunderis, si adulterum dęmonem domi contines? Vt tantum beneficium frustra nobis non sit, opus est gratia.

VARII sunt Angelis & Sanctis in cælo loquendi de Deo modi, qui si hominibus concederentur, apti essent tanto mysterio, vt Verbum Patris caro factum exprimeretur; lingua carnis ad tam grandia explicanda rudis est. Primus, fit voce exteriori: 2. interiori conceptuum manifestatione; quos loquendi modos conuenientes esse præsenti festiuitati, patet ex
Luc.2. Angelorum dicto: *Gloria in altißimis Deo* &c. gloria de opere tali ab Angelis danda est Deo. Tertius modus adhuc altior est, quo corda igne amoris ardentia sibi inuicem demonstrant, exprimentes, vt possunt, quanta sit diuina bonitas, quę sic eos inflammat. Et hæc locutio nobis vtilis esset: omnes enim cor da igne charitatis accensa habere deberemus, & tanto Dei beneficio suscepto, ea inuicem ostẽdentes, sic de hac tanta solennitate loqui. O quàm multi hodie muti apparerent, si sic eis loquendum esset, quorum animi frigidi sunt, nec tanto igne
Esaiæ 64. calescunt! *Vtinam dirumperes cælos & descenderes: à facie tua montes*

tes turbarentur, & aquæ arderent igni Ita planè futurum putabat Esaias, aquas etiam frigidissimas arsuras igne tanto, hoc est, corda hominum peccatorum frigore gelida, tanto beneficio inflammanda. Caro pueri calefacta est, cùm Eliseus incubuit super eum; quo significatur, omnem carnem igne diuini amoris accendendam, cùm Deus mirabilem illam vnionem cum carne faceret: & tu alges? nihil tanto beneficio moueris? 4. Reg. 4.
Quartus loquendi modus præcedentibus excelsior est: cùm enim 1. verbis exterioribus, 2. interiori conceptuum manifestatione, 3. cordium & affectuum ostẽsione beatæ illæ mentes Deum laudauerunt, demum à diuina magnitudine se superatas cognoscentes, Deum dicunt ineffabilem, & sic à laude cessantes conticescunt. Hæc summa diuina laus, de qua Psalm. secundùm Hieron. translationem: *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Psalm. 62. Hæc optima laus huic mysterio, hic loquendi modus eo dignus, vt audientes, *Verbum caro factum est*, in ecstasin per admirationem raperemur, nec verbum vllum proferremus. Sic Habacuc: *Dominus in templo sancto suo*, (in humanitate) *sileat à facie eius omnis terra*. Abac. 2. Vbi Hebræa: *Iehoua in templo sanctitatis suæ, sileat coram tanto Deo omnis terra* Sed quid mirum quod omnis terra sileat, & attonita hæreat, cùm etiam ipsi Seraphini attoniti & stupentes hoc intueantur mysterium, vt figuratum est in Cherubinis propiciatorium spectantibus, versis ad se vultibus, quasi stupentes sint. Exod. 25. Cyprianus: In cæteris mirabilibus quocunque modo aliquæ satisfaciunt rationes, hic solus me complectitur stupor. Ser. de Christi Natali. Hic ergo congruus modus de tanto mysterio loquendi, si audientes *Verbum caro*, omnes nos inuicem spectantes attoniti stupentesque hęreremus.

SED licet conuenientius de hoc mysterio loqueremur modis præfatis, quàm lingua rudi & imperita; adhuc tamen illa nobis loquendum est: ideo enim Verbum in carne ponitur, vt caro de tanto mysterio verba proferat; & quomodo taceat lingua carnis Deum pro homine carnem factum? Laudate Deum quantum potestis, ipse enim maior est omni laude. Carnis ergo lingua aliquid dicamus, & historiam tantæ rei explicemus.

Exijt edictum. Orbe vniuerso in pace summa composito, clausit Augustus templum Iani, vt, teste Orosio, rubigo ianuas corripuerit; vt notaretur summa pax per Christum in mundo efficienda, qui erat pax nostra, & fecit vtraque vnum,

Psal.71. Esaiæ 2. *Orietur in diebus eius abundantia pacis : non leuabit gens contra gentem gladium , nec exercebuntur vltra ad prælium .* Iussit ergo Augustus describi vniuersum orbem sibi subiectum , dato censu aliquo;quod, Iosepho teste, Iudæi initio ægrè tulerunt; sed Iocaro Pontifice, ne Romanis resisterent, persuadente, paruerunt, licet Iudas Gaulanites, (de quo Act.5.37.) soluendum negans, auertit post se plebis partem: qui census deinde annuatim colligebatur; quare, liceret censum dare Cæsari, an non, Christum postea interrogabant. *Quæ descriptio facta est à Syriæ præside Cirino.* Iudæa, quæ, teste Plinio, sub Syriæ nomine comprehendebatur, tunc Præsidem non habebat Herode regnante. Qua in re, licet Augustus aliud intenderit, Deus voluit, vt Maria cum Iosepho iret in Bethlehem, vt ibi nasceretur Christus, iuxta vaticinium Michææ Nota hic, quomodo vniuersum euertit Deus mundum , vt Maria veniat in Bethlehem: nec enim Deo maximum videtur, vniuersum, si oportuerit, mundum commutare, vt iusto bene in hoc sit Ibi ergo cùm Maria esset, *Peperit filium suum primogenitum, pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio.* Vbi 1. considerandum, Mariam virginea integritate salua peperisse. Refert Innocentius III. fuisse Romæ templum Paci dicatum , quod pronunciauit Apollo duraturum, donec virgo pareret: quod illi impossibile putantes, æternum crediderunt; sed Maria pariente hoc die corruit. Basilius asserit, traditione vsque ad ipsum delatum , Zachariam patrem Ioannis Baptistæ occisum inter templum & altare, quia Mariam in templo inter virgines collocabat, post partum eam asserens virginem permansisse. Sicut enim stella sine vlla sui corruptione radium emittit: sic illa stella maris Filium suum enixa est, qui radius est & splendor Patris. Et sicut verbum mentale absque mentis corruptione concipitur & procedit: sic Verbum Patris in matre conceptum & ex ea natum sine eius corruptione. Vnde Mariam in porta Sanctuarij clausa Ezech.43. significari omnes Sancti intelligunt: Hieron. ibid. Chrysost. hom de Ioan Baptista. Ambros. epist. 81. Cypr. de Symb. Apostol, Augustin. serm. 2 de Natiuit. Christi, & ser. 14. & Damascen. li. 4. ca. 15. Euseb. Emiss. hom. 1. de Nat. Christi.

[Margin: Libr.18. Antiq.cap.1.; Matth.22.; Hom de Natiuit.Christi.; Simile.]

Appropinquante iam hora partus diuini, incipit facies Mariæ immutari; & sicut paulo ante solis ortum rutilat lætissimum cælum, & aureum apparet aspectui; talis tunc Maria erat: & cùm omnes mulieres tristantur; (*Mulier cùm parit tristitiam habet*) tunc maximum Mariæ gaudium extitit: quia cùm

bonum sit sui diffusiuum; cùm summum bonum diffunditur à Maria in mundum, est ei maxima gaudendi ratio. Exultauerat, vt ipsa testatur, spiritus eius in Deo salutari suo in cóceptione tanti Verbi: nunc cor & caro exultant in Deum viuum. Exultatio eius ante natiuitatem, similis gaudio est animarum sanctarum, quæ sunt in cælo, quæ solis oculis mentis Deum contemplantur: sed post partum gaudium Mariæ simile est gaudio Beati post iudicium, cùm anima & corpore beatus erit. Quis nobis (ô Beata Virgo) posset tui cordis arcana re- *Ambrosius.* serare, cùm natum tuum hinc adorares vt Deum, hinc oscularis vt filium?

Natus est vobis hodie Saluator. Israelitæ ab inimicis oppressi clamabant ad Dominum, & continuò suscitauit eis Saluatorem: At hic verus Saluator, non à tyrannide Romanorum, sed *saluum faciet populum suum à peccatis*, quorum multo maior *Matth. 1.* tyrannis est. Fingamus duas Respublicas, vnam liberam & do- *Simile.* minam mundi, fame, peste, & doloribus innumeris oppressam: aliam à tyranno dominatam sine fame &c. quam harum diceres liberiorem? Sine dubio primam iudicares captiuam. De hac ergo peccati tyrannide 1. saluat nos Christus: 2. à morte æterna: 3. saluabit tandem ab omni dolore, angustia, & captiuitate. *Hoc vobis signum; inuenietis infantem.* Promittens Deus libertatem, cuicunque illam promittat, etiam signum eius da- *Iudic. 6.* re consueuit. Sic Gedeoni in vellere, & rore; Ezechieli in sole; *Ezech. 38.* Achaz offertur signum, quid ille elegerit: modò promittitur *Esaiæ 7.* tantus Saluator, & æterna salus; meritò ergo magnum signũ exhibendum est. Sed vt credatur tanta salus, qualis est æterna, quod signum sufficere poterit? Sine dubio signum, quod Angeli pastoribus dant, multo maius est eo, quod promittitur: promittitur quidem æterna salus, sed datur signum, Verbum caro factum, positum in præsepio, quod multò maius est. Sicut non valdè mirandum est, quod Rex ditet seruum suum; sed maximum planè, quod pro eo pauper esse velit: ita certè non adeò mirabile est, hominem liberari, saluti restitui, gratia gloriaque donari; sed mirabile prorsus atque stupendum, Deum carnem fieri, & pauperem pro nobis factum, vt nos ditaret, in præsepio collocari. Hoc verè signum est maximum. Vnde Io- *Ioan. 1.* annes, cùm dixisset: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; vt id crederetur, maius quid subiungit: *Et Verbum caro factum est*: quod tantum opus est, vt si cum eo cónferatur omnium Angelorum creatio & glorificatio, multo minus sit. Post mysterium

Bernard. ad Eugenium. Trinitatis, ait Bernardus, vbi tres personæ sunt in vna essentia, maximum mysterium Deus homo, vbi tres naturæ in vna persona. Deus fit homo, mortalis, exiguus, vermis: homo vero Deus, immensus, infinitus, æternus. Quod admirata Ecclesia ait: *O admirabile commercium!* &c. Summũ ergo opus hoc summum etiam ostendit amorem: ideo maximum est signũ spiritualis nostræ liberationis; quia in hoc pro homine, cuius non indigebat, fecit, quod nullus hominum pro seipso fecisset. Posset, cùm homo fieri voluit, in cælo empyreo humanitatem creare gloriosissimam: vel, si cum hominibus conuersari volebat, eam in virili ætate, vt conditus est Adam, condere, & ab omni dolore immunem conseruare: vel si aliquid ei patiendum esset, in horam mortis id reseruare. Sed, ô Domine, tanta tua benignitas, vt qui extra sinum Patris nullo alio locorum spatio caperis, voluisti te sic constringere, vt in matris esses vtero. *Non horruisti Virginis vterum*, & ante gustasti amaritudinem passionis, quàm lactis dulcedinem: qui nostræ peregrinationis finis, tam voluisti peregrinus esse, vt non sit tibi locus in diuersorio: qui cælum habes sedẽ, in præsepio poneris: qui medius es inter Patrem & S. Spiritum, medius voluisti esse animalium: qui operis lilia & rosas, nudus vilibus pannis indueris. Immensus amor iste. Non sine causa media nocte nasceris; (*Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus, Domine, exiliens de cælo à regalibus sedibus venit*) quia charitas, quæ te ad ista trahit, est humano intellectui incomprehensibilis.

Sapient. 18.

Sed audiamus signa pastoribus data: *Inuenietis infantem pannis inuolutum positum in præsepio*. Signa hæc potius videntur Deũ occultare, quàm manifestare. Primò dicit: *Inuenietis infantem*. Infans est puer sine verbo: si esse eius personale est Verbum esse, (*in principio erat Verbum*) quale erit signum infans sine voce? Secundò, *pannis inuolutum*. Quis immensum, qui cælum & terram implet, pannis inuoluit? Tertiò, *positum in præsepio*. Quomodo in præsepio, qui ait: *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*? Vt ergo in his signis gloriam Dei inueniamus, necessaria est cælestis lux, qua circumfusos pastores Euãgelista dicit. *Inuenietis infantem*. Tempus fuit cùm hoc Verbum timeri voluit, & tunc loquebatur terribiliter; tunc quęsiuit Adam tremenda illa voce, *Adam vbi es*? & fugit Adam: tũc loquebatur in monte tanta maiestatis ostensione, vt diceret Israel: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*. Sed nunc

Ioan. 1.

Genes. 3.

Exod. 20.

infans

infans fine voce. Primus Deo titulus ab antiquis datus, *Optimus*, eſt; maximus Romanorũ titulus, *Pater patriæ*. Volẽs Deus haberi optimus pater patriæ, maiora fecit, quàm fecerat, vt ſe oſtenderet potentem, & iuſtum. Ideo hodie *apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei* Iam cęli aperti ſunt, iam mel liflui facti ſunt nobis. O diem feliciſſimũ! ô diem ſummis votis in mũdo exoptatum, in quo talis Deus infans apparuit! Infans eſt, non eum peccatoribus terrorem incutit, quem noſtro primo parenti: cui nocet infans? quem carpit? Talis tibi iam Deus eſt; accede, âma, amplectere, oſculare. Sed ais: Peccaui nimis, quomodo accedam ad Deum? Sicut tu timens, timuerũt fratres Ioſeph, audientes: *Ego ſum Ioſeph* &c ſed accedit ad eos Ioſeph, cõplectitur, plorat ſuper eos, & tũc fidenter ad eum accedũt. Lachrymas amoris & dulcedinis modò Domin⁹ infans effundit, vt eas vidẽtes, fiducialiter ad eũ accedamus: quæ duri ties his non emollietur? *Pannis inuolutum*. Propter peccatũ veſtibus homo indiget, ex quibus qui honorem ſibi deſumit, ex ignominia honoris amplitudinem ſibi conciliat, ſimilis ei, cui ab inquiſitoribus hæreticæ prauitatis veſtis ignominioſa paratur, velletque eam ex ſerico confici. Sed ſi veſtis ſignũ peccati, quomodo ea Chriſtus induitur? Hęc dies miſericordia ſuperfluit: non enim ſolùm miſit Filium Deus in mundum in ſimilitudinẽ carnis, ſed carnis peccati; & ſic induitur veſte peccatoris. An exigua hęc tibi miſericordia videtur? Roga amicũ, vt tua cauſa induatur veſte, qua notantur ij, qui ab inquiſitoribus damnantur, & non faciet: Chriſtus tamen, quæ ſua eſt infinita miſericordia, cùm tam peccatũ execretur, quàm ſui Patris gloriã exoptet, ignominioſa vſus veſte, peccatoris ſimilitudinem induit, factus ſerpens, ſed æneus, q̃a venenũ non habuit.

Tit. 3.

Geneſ. 45.

Num. 17.

Poſitum in præſepio. Summo cum gaudio Maria editum Chriſtum intuens, attingere non audet, ſciẽs Deum ſuum eſſe: ſed perfecta charitas foras miſit timorem, & quaſi mater accipit, oſculatur, complectitur, ſed ſtatim reclinat eum in præſepio. An non melius, ô Virgo beatiſſima, inter vbera tua commorabitur hic myrrhæ faſciculus? An non hoc inhumanum videtur tenerrimum infantem nunc natũ in duro ponere præſepio? Hoc nobis certũ ſit, ſicut Spiritu S. Maria concepit Chriſtum, ſic eodem inſpirante facta omnia quæ circa eum egit. Vt quid ergo Domine in præſepio reclinari vis? non tibi aptior locus maternum pectus? Vtique poſt paternum pectus nullibi dulcius conquieſcit, quã in matris gremio; ſed reſpon-

det: Erat Adam in paradiso in honore, non intellexit, compa ratus est iumentis, mittitur in mundum, in bestiarum locum: venit Christus peccatum Adæ soluturus, eius personam agens, postquam fuit in virginalis vteri & pectoris paradiso, exit in bestiarum locum, quod est presepe. Ad quid putas venit puer hic, nisi vt omnium hominum persoluat peccata? Iam asperitate præsepis pœnitentiam agit pro delictis nostris. Quis locus durior & abiectior, quàm præsepe puero, crux viro? Hos elegit Christus: tu verò, ô homo, quid eligis? quid alta
Bernardus. & deliciosa quæris, cùm videas Christum in præsepio? Aut Christus decipitur, aut mundus errat: ille decipi nequit, qui sapientia est: ergo mundus. Vidimus cur Christus præsepe elegit, videndum restat propter quid Maria eum ibi reclinat. Habet regina ornamenta sua, monilia &c. Mariæ vnum erat ornamentum Christus, quo pulchrior illa est, quàm terra omni arbore & flore, & quàm cælum stellis ornatum: quomodo ergo Luna nostra tam pulchra Sole iustitiæ, quomodo Regina nostra tanto ornata monili illud à se tollit, & in præsepio ponit? maximè cùm omnia in eo vno haberet, & summis gaudijs perfrueretur ex illius consortio. O Virgo benedicta, si hoc mente valemus comprehendere, quas tibi referemus gratias pro munere tanto? A te tollis Filium, vt nobis des: ponis illum in præsepio, loco bestiarum, vt nos bestiæ eo fruamur. Felix beataque dies, qua nobis à Patre & Matre Christus conceditur.

IN NATIVITATE DOMINI.

THEMA: *Verbum caro factum est. Euangelizo vobis gaudium magnum, &c.* Ioan. 1.

TRITVM est prouerbium: Vbi Rex, ibi regia curia: cùm Rex cæli in stabulo sit, sine dubio ibi est vniuersa curia
Hebr. 1. cælestis; quod ita esse confirmat Paulus: *Cùm introduceret* Pater æternus *primogenitum in orbem terræ, dixit: Adorent eum omnes Angeli Dei.* Quòd si ille, qui in Regis aula amicum habet, certum auxilium se habere credit, vt omnia negotia perficiat ex voto: nos qui in cælesti Bethlehemitica curia matrem habemus sanctissimam Virginem, quæ & mater Regis

gis est, certissimum in ea habebimus confugium. Ad eam ergo accedamus, dicentes: *Monstra te esse matrem* &c.

AGENDVM hodie nobis est de vniuersali totius orbis lætitia, quam Angeli pastoribus annunciant futuram omni populo: quæ vt ab ipso principio intelligatur, ostendendum nobis erit, Christum Verbum carnem factum primum esse omnium, quæ Deus facere decreuit, & finem, propter quem omnia alia condidit, siue quæ in cælis, siue quæ in terris. Pro cuius intelligentia notandum, Deum quid creare, non esse aliud, quàm aliquid sui communicare creaturæ: cùm verò in Deo sit infinitum esse, potest infinitis modis se diffundere, creans perfectiores & adhuc perfectiores sine vllo limite creaturas: sed optimus modus, quo se Deus perfectissimè potest communicare, est per hypostaticam vnionem, in qua non datur creaturæ Dei participatio, sed ipsum esse diuinum, vt verè dicatur, & sit Deus. Cùm igitur in omni opere suo voluerit Deus suam potentiam, bonitatem, sapientiam, & gloriam manifestare; hæc autem omnia maximè manifestauerit in hac hypostatica vnione, qua non sui partem, sed totum suum esse humanitati dedit, & in illa omni creaturæ: hoc præcipuũ opus fuit, quod diuinus ille artifex primùm intendit in omnibus, quæ extra se operatus est, & reliqua omnia propter ipsum, vt illud comitarentur, eique inseruirent & ornamento essent: ad eum modum, quo pictor intendit in tabula præcipuam aliquam imaginem effingere, in cuius circuitu plura alia depingit, vt præcipua imago magis ac magis eluceat, pulchriorque appareat. Præterea, cùm omnia quæ à Deo sunt, ordinata sint; sicut omnia propter sui gloriam fecit, sic vnum propter aliud: & sic aut Christus propter nos, aut nos propter illum. Quod ille propter nos, non adeò in eius gloriam cedit, ac maiestati illius consonat, quàm si nos propter illum: & maioris momenti est bonum animæ Christi, quam bona omniũ Angelorum & hominum: nos ergo propter illum esse oportet, vt minus bonum propter maius. Hoc manifestis verbis de Verbo in carne Paulus asserere videtur, cùm ait: *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ*, (non quod ante omnia natus, sed quia de illo ante omnia à Deo decretum fuit) *quia in ipso condita sunt vniuersa, quæ in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Throni siue Dominationes, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex*

Simile. *Coloss. 1.*

mortuis, vt sit in omnibus primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum recōciliare omnia. Hinc
Esaiæ 4. etiam Christus in scriptura dicitur germen & fructus: *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ*
Psalm. 84. *sublimis. Terra nostra dabit fructum suum*, id est Messiam. Sicut enim fructus præcipuum est arboris, & cuius producendi gratia arbor plantata est; ita Christus est, cuius producendi gratia tota rerum moles constituta est. Ideo tempus Messiæ dicitur à Paulo plenitudo temporis: (*Cùm venit plenitudo temporis,*
Galat. 4. *misit Deus Filium suum*) quia tunc res est perfecta & plena, quando assequitur finem suum, ad quem condita est. Quia ergo dū Deus factus est homo, mundus assequitur finem, in quem est constitutus; ideo tunc temporis plenitudo dicitur. Rectè ergo vniuersus mundus lætatur Christo nato, tanquam in fine assequuto, in quem conditus fuerat. Quod idem de homine, qui paruus mundus à Philosophis appellatus est, intelligi potest. Christum non habes, nihil es: si eum habes, perfectus es. Terram appellat scriptura inanem & vacuam ante solis crea-
Genes. 1. tionem: quia homo sine Sole iustitiæ est ac terra sine sole materiali. Cura ergo in te Christus nascatur; tunc enim perfectus consummatusque eris, tunc exultare & lætari poteris.

SED visa vniuersali omnium in Christi Natali lætitia, sigillatim percurremus omnium creaturarum lætitiam. Leo
Serm. 1. de Natiuit. Papa: Saluator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus &c. Gaudeat iustus, quia appropinquat ad palmam: gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam: gaudeat gentilis, quoniā vocatur ad vitam. Hodie vniuersa creatura exultat: cælum, terra, Angeli præ lætitia gestientes cantant, & vsque ad infimam creaturam descendit gaudij ratio. Dicebat Franciscus, se hac die, si Rex esset, frumentum per campos dispersurum, vt aues etiam tali die lætarentur. Sed quæ Angelis causa gaudij? Innumeræ sanè. 1. quia vident in hoc opere maximè ostendi Dei sapientiam, potētiam, bonitatem, sicque maximè Deum glorificari; quod est summum eorum desiderium. 2. vident sibi germanam naturam à Deo susceptam in suppositi vnitatem, vt impleat cæli ruinas, & Dæmones, sibi inimicissimos vincat. 3. cùm custodes sint hominum, nec huius custodiæ finem assequi possent propter cælum clausum, vident venire eum, *qui habet clauem Dauid, & aperit*, & crescente numero beatorū, eis gloria crescit. 4. vident animam Christi beatam, de cuius gloria magis illi gaudent, quàm de sua. Sanctos verò Patres in

in Limbo detentos tanta lætitia diei huius fraudatos non est fas credere. Siue enim ea, quæ futura sunt, considerent; siue quæ præcesserunt, vndique illis gaudij materia est. Si futura, quia natus est, qui eos in libertatem vindicabit: (*Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi*) Si quæ præcesserunt, quia vident omnia eorum promissa, quæ Deo præcipiente mundo prædicauerunt, impleta, & omnes figuras veritati redditas. Videt ibi Adam seipsum formatum sexta die ex virgine terra, significasse secundum Adam, qui sexta mundi ætate ex Virginis visceribus erat proditurus: videt fontem illum exeuntem de Paradiso significasse Christum, qui ex Maria oriebatur, quæ Paradisus est omnium gratiarum: Videt ironiam: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis*, veritati redditam. Videt Noe se arcam fabricantem, in quam ingressus mundum restituit diluuio deletum, significasse sapientiam ædificaturam sibi domum, in quam intraret, vt mundum peccato perditum restauraret. Videt Abraham impleri, quod ad eum dixit Dominus: *Suspice cælum; numera stellas, si potes, sic erit semen tuum*; Christus scilicet, cuius virtutes nullis numeris possunt comprehendi. Videt Isaac illud: *Ecce odor filij mei, quasi odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. quæ verba Christum respiciebant, qui ager est plenus, cui benedixit Pater omni benedictione; de cuius plenitudine omnes accepimus. Videt Ioseph accepisse se nomen Saluatoris mundi huius pueri nati nomine, qui verè Saluator est mundi. Videt Moyses virgam illam, quæ in manibus virga est, in terram proiecta serpēs apparet, Christū denotare, qui in pectore paterno virga est virtutis Dei, factus homo serpens apparuit in similitudinem carnis peccati. Videt petram, quæ largas dedit Israeli aquas, Christum significasse, ex quo omnibus gratia dimanat. Videt Aaron florētem virgam siccā & fructū proferētem significasse, quod *egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet* Dies nos deficeret, si omnia, quę hunc puerum figurabant, recensere deberemus: omnia autē hæc impleta viderunt sancti illi Patres, & summa lætitia perfusi sunt.

SED iam Christi in hac die lætitiam quis enarrare sufficiet? Rem desideratissimā adeptus est, coniūnctus dilectissimæ humanitati. Nondū homo factus ait: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*. Hoc nunc consecutum (cū impletum desideriū gaudium parit) qua non lætitia putas exultare? *Egredimini, & videte filiæ Sion Regē Salomonem in diademate, quo coronauit eū mater sua in die despōsationis eius, et in die lætitiæ cordis illi⁹*. Sed, ô Domine,

Psal. 15.
Genes. 2.
Genes. 3.
Genes. 8.
Genes. 15.
Genes. 27.
Genes. 41.
Num. 17.
Esaiæ 7.
Prou. 8.
Cantic. 3.

quid lætaris de hominum societate? quæ inde tibi commoda venerunt: adeò desideras homo apparere, vt omnes homines nunc scribi feceris ab Augusto, vt inter homines numerareris: tam gloriaris de humanitate tua, vt semper te filium hominis dicas? Et ideo pœnis ærumnisque subijci voluisti, vt te hominem esse ostenderes: peccatum verò vel leuissimum non admisisti, quod contra hominis naturam, & bestiarum est:
Psalm. 48. *Comparatus est* peccator *iumentis insipientibus* Mira, fratres, confusio hinc nobis oritur & verecundia. Ille delicias suas dicit esse cum filijs hominum, gloriam suam hanc esse testatur, incommodis multis obnoxius de nostro consortio tamen gaudet; nos eius societate omnibus bonis ditati, eum despicimus & fastidimus, &c.

Ioan. 16. SED de Mariæ lætitia quis dicere valeat? Si *mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem pepererit, iam non meminit pressuræ propter gaudium. quia natus est homo in mundum:* quod Mariæ gaudium, quæ exultatio cùm pepererit sine dolore? Si Sara facti nouitate commota dixit:
Genes. 21. *Risum fecit mihi Dominus, & quicunque audierit, corridebit mihi*; eò quòd sterilis, & in summa senectute peperisset; ideoque filium appellauit Isaac, id est risum: quomodo Maria non ridens gaudebit? & omnis audiens, virginem Deum parere, non cum ea ridebit? Sed quæro à te, ô Virgo beatissima, quodnam præeligis, Christũ in vtero retinere, an editum brachijs amplexari? Videtur primum præeligendum, quia maior est cum Christo vnio: tu tamen optabilius iudicas, eum natum videre, & brachijs tuis tenere.
Simile. Sicut qui thesaurum inuolutum inueniens, aperit, intuetur, complectitur: sic Mariæ contigisse non dubitandum. Posuerat Deus Pater thesaurum absconditum in agro vteri Virginei: desiderat Maria hunc videre, manibus euoluere, amplexari & exosculari. O immensa gloria matris! *Gloria matris filius sapiens.* An non infinita gloria Mariæ, dum se videt Virginẽ, & matrem, & matrem Dei tanti? Tanta gloria matris est, vt dicat Bernardus, nescire se, quid maius, humiliatio filij, an exaltatio matris. Sicut gloria Christi est, taliter hominem factum, vt non desierit Deus esse: sic Mariæ gloria, quod taliter mater est, vt non desierit virgo esse. Sicut optimus Deo titulus: Deus homo: sic Mariæ, Mater Virgo: Summa ergo eius hodie est lætitia.

DE pastorum gloria atque lætitia, quid dicemus? Nouus homo Christus nouum regnum, & noua facit omnia; ex qui-

bus

bus illud vnum eſt,quòd pauperes principes ſui regni fecerit, quibus primùm cæleſtis regni promiſſio datur: *Beati pauperes, quoniam veſtrum eſt regnum Dei.* Vnde ſicut in hominum regno nuncia omnia læta primùm principibus dantur, indeque ad pauperes deſcendunt: ſic Chriſti nati nuncium primùm euangelizatur pauperibus paſtoribus. Meritò igitur gaudent, qui infimi, in Eccleſia primi & principes conſtituuntur. Luc. 8.

VERVM vt de omnium noſtrum lætitia aliquid dicamus, lætemur & exultemus, quia natus eſt nobis Chriſtus, verus Noe, qui verè *conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum, in terra cui maledixit Dominus* Dolore affligeris? angeris aliqua anguſtia? vide an Chriſtiani ſit, an Ethnici. Chriſtiani dolor non eſt quòd ſit pauper, quòd honore careat, quòd infirmitate grauetur: in his enim cum Paulo dicit: *Tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: gloriamur in tribulationibus.* &, *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*: hoc eſt Chriſtiani cor, hæc vox fidelis Quæ ergo eius anguſtia? *Terra, cui maledixit Dominus*: de qua Paulus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*? Tolle à me hanc terram, quæ ſpinas & tribulos germinat: hanc, quæ me accendit ira, eleuat ſuperbia, inflammat cupiditate Hoc eſt Chriſtiani onus, hic labor. Affligeris hac de re? Exulta, naſcitur tibi modò verus Noë, qui labores tuos leuet gratia ſua, qui iram mitiget, libidinem extinguat, carnem domet, ſuperbiam frangat. Hic plantauit vineã, ex qua vinum illud prodeat, de quo dicitur: *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo.* Iſte conſolabitur te, iſte manſueſcere faciet ferociſſimas beſtias paſſionum tuarum, vt eas non timeas, nec tibi noceant. Veniat ergo hic Saluator noſter, ſuſcipiamus eum cum gaudio. Lætemur, quia venit Princeps, *cuius imperium ſuper humerum eius*; Paſtor, qui eripiet gregẽ à leonibus, vt Dauid; Doctor iuſtitiæ; Iudex, qui ex vſuris & iniquitate nos liberet; Sacerdos, qui thuribulo Deum placare nouit, hodie ex ſacrario exit, & officium plorando incipit, quod in cruce perficiet dicens: *Conſummatum eſt.* Naſcitur Agnus, qui *aperiet librum & ſoluet ſignacula eius*; Agnus, qui tollit peccata mundi.

Geneſ 5. 1. Cor. 4. 2. Corinth. 7. Rom. 7. Prouerb. 31.

IN DIE SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

THEMA: *Video cælos apertos, & Iesum stantem,* &c. Actor. 7.

DVO mira sunt sponsalia: alterum S. Spiritus cum Maria, quando virtus Altissimi obumbrauit ei, cuius fructus extitit Iesus, qui heri natus est nobis; alterum Christi cum Ecclesia, in quo tanta fuit huius sponsi in charissimã sibi sponsam amoris magnitudo, vt in ipso Virginis vtero, quasi in thalamo, voluerit arctissimo omnium fœdere cum illa copulari, exieritque in hunc mundum quasi *sponsus procedens de thalamo suo.* Huius fructus seu filij sunt omnes Sancti, præcipuè verò illi qui martyrij palmam sunt consecuti: quorum primogenitus hodie celebri festo recolitur Stephanus: qui verè nasci dicuntur, cùm ex huius mundi, vt puer ex vteri, angustijs in cælestem patriam euolant, & sic eorum mortẽ Ecclesia natale dicit. Vt tantum hoc natale explicemus, opus est gratia, &c.

Num. 13. MISSI exploratores à Moyse, vt considerent terram promissam, eam quidem laudant; sed populus audiens difficilem, vt eam obtineant, cum Gigantibus fore pugnam, animo deficit, quem Iosue & Caleb ne animum desponderet, exhortati sunt. Omnes viam in cælum aggressi sumus, innumera patriæ illius bona nuntiata sunt nobis, sed cùm itineris difficultate, & pugnæ, aliquando animo deficere solemus, proponit nobis Dominus viros, qui verbis & exemplis nos erigant; quod præcipuè Martyres præstant, quorum dux hodie proponitur Stephanus, vt erubescamus, qui nondum vsque ad sanguinẽ restitimus. Et licet eos facilè liberare posset, noluit tamẽ, quia ipsis, qui sic maximas adepti sunt coronas; & nobis expediebat, vt exemplum relinqueretur patiendi minora, vt Dei regnum assequamur. Nullus planè est, qui cælestem non desideret beatitudinem; at plures eam sine vllo labore ac difficultate adipisci vellent. Sed obsecro, quanta hæc stultitia! Si quis de infima plebe, sese edendo, bibendo, ludendo, ambulando, &c. iactaret futurum Regem; hunc sanè arguens, diceres: Si Regis filius esses, posses hac viuendi ratione Rex esse, hæreditario iure; at cùm de infima plebe sis, in bellum tibi proficiscendum,

Simile.

&cùm

& cùm per multos aſcendens gradus, ducem egiſſes exercitus, & tandem multis deuictis hoſtibus, Rex eſſes, magni ducere deberes. Simile quid multis Chriſtianorum vſu venit. Si te interrogo; Putaſne te ſalutem æternam conſequuturũ? certò citoque reſpōdebis: Spero & firmiter credo. Quid aliud te dixiſſe putas, quàm Rex ero in æternum? (Omnis beatus Rex eſt, coronaq; illa perfruitur, de qua Apoc. 2. *Eſto fidelis vſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*) Quæ ergo præſtas, vt in tantum regnum aſſumaris? Comedo, ais, deambulo, ludo; ſic me regẽ futurum ſpero. Si Dei naturalis filius fores, rectè diceres: at cũ vile ſis figmentum, niſi armis te accingas, fortiter cum hoſtibus concertes, ingentia facinora perpetraueris, regnare non poteris. *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* 1. *Pet.* 4.
Iuſtus ornatus omni virtute vix in regnum veniet, tu miſer peccatis obuolutus, quid te ſomnias Regem futurum? *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Ideo Ioannes in Sanctorũ manibus videt palmas: (palma triumphantibus dabatur in eximiæ victoriæ ſignum) quo ſignificatur, Sanctos maxima viciſſe diſcrimina, difficiles peperiſſe victorias. Sed cùm varia bellorum genera ſint, quid cauſſæ, quòd in ſpiritualibus certaminibus præcipuè à ſuis militibus Chriſtus Dominus exigat, vt ſanguinem fundant, mortem oppetant, & diuerſa paſſionum genera experiantur? quid magnum in hac paſſione eſt, vt illam præcipuam Deus habeat? Reſpondetur: Cùm beatitudo hominis præcipua ſit corona, (iuxta illud Pauli: *Illi vt corruptibilem coronam accipiant, nos incorruptam*) ad eam conſequendam præcipuus fortitudinis actus meritò exigitur. Cùm verò fortitudinis (quæ moralis eſt virtus medium conſtituens inter timores & audacias) actus duplex ſit, (1. iram ſecundùm rationem excitare, vt quando oportuerit inimicum fortiter aggrediaris: 2. animum roborare contra timorem, vt eo repreſſo triſtia vſque ad mortem pati pro virtute paratus ſis.) inquirit Diuus Thomas, quis horum excellentior & difficilior ſit; & reſpondens, timore compreſſo pro virtute pati, probat ex hoc, quòd timor maximè animo dominatur: aliæ paſſiones quærunt aliud bonum, quod ſubiectum non habet; ſed timor conſeruat bonum habitum, quia eſt de malo imminente, quod priuat bono habito: facilius verò relinquitur bonum quod non habetur, quàm quod habetur, & ideo timor maximè dominatur animo, eique reſiſtere præcipua eſt fortitudo. Quod etiam experientia docet: ira

2. *Tim.* 2.
Apocal. 7.
1. *Cor.* 9.
2. 2. *qu.* 123.

& audacia facilè in nobis excitantur,ſed timor difficilè cohibetur,quòd cùm fortitudo efficit,maximum opus præſtat. Et
Prouerb. 16. hæc eſt ſententia Salomonis: *Melior eſt patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo,expugnatore vrbium*. Meritò igitur Chriſtus hunc præcipuum fortitudinis actum (honeſtatis cauſa pati,nec virtutem vllo timore deſerere)à ſuis exigit. Hinc etiam ſequitur,fortitudinem Chriſtianam, gentium omnium fortitudinem facilè ſuperare.Iactet Roma ſuos Fabios, Metellos,Scipiones,Cæſares:oſtendat Græcia fortiſſimos duces:glorientur plurimos hoſtes à ſe debellatos, ciuitates dirutas,regna expugnata;quæ omnia ad primum genus fortitudinis ſpectant,quod longè inferius eſt.Nos Chriſtiani oſtendemus eis Chriſtum,D.Stephanum,omnes Martyres proprio ſanguine madidos,tantaq; paſſos vt humanam ſuperent credulitatem, ne virtutem dèſererent:qui omnes multò fortiores Romanis extiterunt;(qui fortes in aggrediendo inimicos, infirmi in ſuſtinendo mala,quæ vt effugerent,mortem ſibiipſis conſciſcebant,vt Cato Vticenſis, Antonius,& alij.) quia licet fortium ſit inimicos aggredi,fortiſſimorum eſt ab inimicis pati, nec deficere in tribulationibus.

TAM verò præclarus hic actus fortitudinis eſt, vt hodierna die Stephanus,cùm lapidaretur,videret cælos apertos,& Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Mirum profectò videtur, cùm Chriſtus ad Patris dexteram iam ſederet,quomodo eum non ſedentem,ſed ſtantem Stephanus videt. Meritò in primo omnium Martyre oſtendit Chriſtus, quod in alijs omnibus exhibuit.Primò enim ſtare Chriſtus viſus eſt, quaſi paratus in eius adiutorium:ſine Chriſto enim iuuante, quomodo Martyr iſte,& cæteri qui eum ſequuti ſunt, tanta potuiſſent tormenta tolerare?Secundò ſtantem Chriſtum videt, quaſi rem
Simile. penitus admirandam ſpectantem: Quemadmodum in publicis ſpectaculis proximus feneſtræ ſedens,omniaque quæ in foro aguntur facilè videns,ſi fortè aliquid nouum & mirabile accidat, cùm ſedens intueri poſſes, rei nouitas & magnitudo,vt attentius conſideres,te ſtare compellit: ita Chriſtum (qui ſedet ad dexteram Patris conſiderans ſuos in palæſtra huius mundi verſantes) mirabilem fortitudinem Martyris ſui videntem,inauditum hoc ſpectaculum ſtare compulit. Hoc ergo adeò mirum Stephani facinus epiſtola hodie nobis recitata ob oculos ponit. Eligunt Apoſtoli Diaconos ſeptem, à quibus iuuentur in pauperum miniſterio: inter quos electus

Stepha-

Stephanus plenus gratia & Spiritu sancto faciebat prodigia, & signa magna in populo. Sed continuò cõtra eum bellum insurgit: nec mirum; quia sicut *tunc is qui secundùm carnem, persequebatur eum qui secundùm spiritum, ita & nunc*: si Isaac puteos fodit, Philistei terra eos implent: vestem polymitam facit Iacob Iosepho, cõtinuò fratres eum occidere parant: laudatur Dauid, & excipitur cum tanta gloria; continuò Saul inuidet, & eum persequitur. Ducitur in iudicium, vbi eius vultum intuentur vt vultũ Angeli stantis inter illos, quia iustus in medio tribulationis splendet vt aurum in igne. Vbi paleę fumant, ait Augustinus, aurum rutilat; quia tribulatione peccator denigratur, fumatque vt paleæ; perfectus lætatur gloriaturque. Eijciunt Stephanum extra ciuitatem: norunt iniusti prompti esse ad malum, non ad bonum. Orat pro inimicis, vt Christus in cruce; & sua oratione, ait Augustinus, nobis lucratus est Paulum. Hîc rectius dicere possumus, *Faciebat prodigia*, &c. quàm cùm cæcos illuminabat, &c. qui pro inimicis se lapidantibus orat, prodigium facit stupendum. Verè hic est *plenus gratia*. Qui *plenus* est *gratia* facit prodigia, non timet eos qui occidunt corpus, omnia in bonum illi cooperantur, nihil est ei impedimento, quò minus in Deum euolet. Ad hunc statum nos peruenire curemus; nec contenti simus, si gratiam adepti, donec plenam maximamque assequamur. *Qui iustus est, iustificetur adhuc. Non impediaris orare semper, & non verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* In his congregandis diuitijs auaros nos esse oportet, vt maiorem nobis gratiam cumulemus, esurientes sitientesque iustitiam: quis enim eorum, qui mundum diligunt, si vlterius progredi potest in his quæ mundi sunt, non progreditur? In mundo non permisit Deus, vt statum quisque suum pro libito vsurparet; quod si permisisset, omnes Reges esse vellent: in gratia id permisit, vt si Rex volueris esse, possis. Ad hoc ille in mundum venit, vt in omni bono crescamus; vnde ait ipse: *Ego veni, vt vitam habeant, & vt abundantius habeant.* Hoc iam ex præsepio clamat. Hic est vir, quem videt Ezechiel: *Et in manu eius calamus mensuræ:* venit enim, vt nobis regulas normamque tradat vitæ. Vis nosse, quibus vestibus induaris? attende eius pauperes pannos: quas delicias in mundo quæres? ecce positum in duro præsepio: quas hîc celsitudines quærere habeas? ecce in stabulo inter animalia.

Galat. 4. Genes. 26. Genes. 37. 1. Reg. 17. Apoc. 22. Eccl. 18. Ioan. 10. Ezech. 40.

SED inter alia, ad quæ Christus in mundum pauper venit, illud non infimum est, vt Martyres suos roboraret exemplo,

& simul omnes nos confirmaret, ne in tribulationibus deficeremus: ideo in eis se nobis socium adiunxit, vt dicere posPsalm 90. sit: *Cum ipso sum in tribulatione.* Quando tres pueri in fornace erant Babylonica, descendens quartus similis filio Dei, fecit *quasi ventum roris flantem*, & igne læsi non sunt: nunc ad nos descendit, non Angelus similis filio Dei, sed ipse Filius Dei, vt nobis sit socius in omni tribulatione nostra, (cùm piè viuere volumus, sine dubio tribulatio nobis parata est,) præcipuè verò Martyribus, qui plura pro Deo perpessi sunt. Hac ratione primùm Christi celebratur Natiuitas, qui caput est Martyrum; deinde Protomartyris Stephani, qui voluntate & re; tertiò Ioannis, qui voluntate solùm; post hunc Innocentium, qui re ipsa sine voluntate Martyres fuêre. Parum ergo erat Augustinus. Dominum hortari Martyres verbo, nisi firmaret exemplo, quo confirmati se libenter in tribulationes dederunt: quia Eccles. 23. magna gloria sequi Dominum. Hinc Paulus: *Per patientiam* Hebr. 12. *curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Hanc à puero sustinet, delicias fugiens, paupertate delectatur; veniens tollere peccata mundi, radices eorum diuitias, &c. omninò aufert; docens nos cælestem, ab omni terrenarum cupiditatum fæce alienam vitam ducere, seipsum exemplar Christianæ vitę exhibet. Sed sicut idolorum cultores in montibus & syluis eis sacrificabant, vt sæpe scriptura meminit: sic modò peccatores putant in dignitatibus, diuitijs, & delicijs Deo inseruiendum & sacrificandum; & cùm in eminentiori loco sint, putant se cælo propinquiores, cùm tamen ibi lon-3. Reg. 12. gius distent. Et sicut Ieroboam vitulos suos in sylua collocat, ibi ordinans conuiuia & festa plurima, quibus paulatim populum, vt libenter idola veneraretur, induxit: sic dæmon vt animam perdat, non id vi agere conatur, sed iuxta eam nemus plantat, in diuitijs ac delicijs eam collocat; & miser homo, cùm omnia ei pro voto eueniunt, beatum se putans, dicensq; sortes suas in præclaris cecidisse, rectè secum agi credit: sed paulatim, rebus sibi prosperè succedentibus, in multa peccaOsee 4. ta, quæ vitare non curat, prolabitur. Hebræi, cùm eis multa Ezech. 21. Deus esset mala comminatus, baculos in sublime iactabant, Celius Rho- (imitantes Chaldæorum superstitionem, qui per virgas & badiginus lib. 7. culos diuinabant) & si pro voto cadebant, securos se credebãt, antiquar. non diuinis attendentes minis, sed casui baculi, si sic, vel sic ca lect. 6 p. 29. debat. Similes his sunt modò de populo Christiano, quibus si prospe-

prospera ex voto succedunt, Deum sibi propicium putant; non curantes, quòd cùm peccatis sint inuoluti, Deum iratum habent. Vilipendenda ergo temporalis prosperitas, aut vita deliciosa, cùm videamus Christum eam despicientem, & asperam amplectentem: magnifacienda ea, quæ ad Deum nos ducunt, quibus diuinæ efficimur consortes naturæ, gratia scilicet, & virtutes.

NEC verò iam nobis timori labores & passiones sint, nec mors ipsa, quibus aperta ianua est cæli, vt hodie Stephano: *Video*, ait, *cælos apertos*. Cælos esse clausos magis Iob angebat, quàm omnis dolor: *Si*, inquit, *sustinuero* passiones multas, non mihi patet cæli aditus, sed *infernus domus mea est*: quasi dicat: nihil curarem omnes passiones meas, si, cùm eas sustinuissem, cælum mihi domus esset. Non sic actum cum Stephano, qui inter lapides crepitantes cælos sibi aperiri conspexit. Beatus homo, cui cæli patebant. Nos ergo felices, qui post huius vitæ labores continuò cælum apertum videbimus, & gloriam ineffabilem, &c. *Iob 17.*

IN DIE S. IOANNIS EVANGELISTAE.

THEMA: *Vidit discipulum, quem diligebat Iesus.* Ioan. 21.

DVO fuerunt filij pulchræ Rachelis; Ioseph, (qui fratrum inuidia venditus, Aegyptum frumento recondito graui inopia liberans, Saluator mundi à Pharaone dictus est) & Beniamin, quem mater Benoni, id est, filium doloris mei: pater Beniamin, id est, filium dexteræ appellauit. Rachel pulchritudine sua eius typum gessit, de qua canit Ecclesia: *Cuius pulchritudinem sol & luna mirantur.* ei duo sunt filij: 1. Ioseph Christus Dominus, qui & venditus 30. argenteis, & mundi Saluator dictus est, cuius natalem diem proximè celebrauimus: 2. Ioannes Euangelista, qui & Benoni, id est, filius doloris, (quia sicut primum filium peperit summo gaudio, sic secundum tempore summi doloris, cùm scilicet Christus in cruce pendens, solitudinem matris considerans, ait: *Mulier ecce filius tuus*: eum relinquens loco sui ipsius) & Beniamin, id est, filius dexteræ (quia tempore summæ gratiæ & misericordiæ, cùm summus sacerdos proprio sanguine mundũ Patri recõciliauit, natus est) meritò appellatur. Vt huius filij laudes eximias prædicemus, præsto nobis erit Matris auxilium, &c.

AD dignè loquendum de Ioanne, alius Ioannes desiderãdus esset; quem cùm non sit facilè reperire, vt eum dignè laudemus, ijs nobis intendendum est, quæ ipse de se scripta reliquit, quæ hodierno Euangelio proponuntur *Vidit discipulum quem diligebat Iesus*. Cùm innumeros, ô beatissime Ioannes, titulos habeas, cur hoc solum nomen tibi vsurpas: *Quem diligebat Iesus*? cur non dixisti, Hic est discipulus filius Mariæ, qui meruit eam in matrem habere, quę Dei mater esse digna fuit? vel si inuidiã hominum & Angelorũ timens hoc nomen tibi non vsurpasti, cur saltem non dixisti: Hic est supremus Ecclesiæ Martyr? Cùm enim omnes Martyres pro dilecto Iesu mortui sint, tu cum sanctissima Matre cum dilecto commortui estis in cruce. Cùm amans plus sit in amato, quàm in se; plus patitur in amato, cùm torquetur ille, quàm in seipso, si torqueretur: & cùm videt dilectum super omnia mori, plus ibi moritur, quàm si ipse acerrima morte occumberet. Martyribus in tormentis, cùm conspicerent se ea pati pro eo, qui eadẽ & maiora pro ipsis fuerat perpessus, magna; Mariæ & Ioanni videntibus Christi mortem, nulla remanebat humana consolatio: & sic eorum dolor eis vitam ademisset, ni Deus singulari prouidentia ipsis astitisset. Quomodo ergo inter Martyres primatum tenens non te hoc nomine iactas? Posses etiam summus omnium Patriarcha nominari. Eximij Patriarchæ habiti, Enoc in naturæ, Elias in lege scripta; quia à Deo translati in corpore & anima: sed tu eos longo superas interuallo, qui non raptus aut translatus, sed gloriosa resurrectione anima & corpore es glorificatus. Potuisti etiã dicere: Hic est primus Prophetarum. Licet enim in Ecclesia Christi fuerint multi Prophetæ, vt ex Apostolicis actibus constat, tamen solam Ioannis prophetiam, vt diuinam, Ecclesia recepit, quæ tanta mysteria continet, vt, Hieronymo teste, plura contineat mysteria, quàm literas, in eaque omnes Ecclesiæ militantis euentus, futuraque omnia vsque ad mundi finem contineantur. Potuisti etiam non arroganter dicere: Hic est aquila inter Euangelistas, quia sicut aquila suis se pennis super omnes volucres erigit, sic tu sapientia ac vitæ sanctitate super omnes euectus es.

CVM igitur hæc omnia dicere potuerit, solùm dicit: *Quem diligebat Iesus*. Hic eximius titulus, hoc nomen gloriosius. Sicut enim miserrimum, quod creaturæ contingere potest, est, odio esse Deo: (quod adeò malum est, vt damnati omnibus tor

mentis

mentis præferant) sic maximum bonum diligi & in pretio haberi à Deo. Plato in Socratis conuiuio dicit: Amorem Dei vnicum mundi beneficium, & causam omnium bonorum: tantum enim in creatura boni est, quantum à Deo diligitur. Felix nimium Ioannes, qui sic dilectus à Christo est, vt fidenter dicere possit: *Discipulus, quem diligebat Iesus.* Ait Salomon: *Nescit homo, an odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Et Paulus, qui plus omnibus laborauit, qui in cælum raptus; *Nihil,* inquit, *mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum:* sed Ioannes fidenter loquitur: *Discipulus* &c. Dicit Aristoteles, studiosum virum in laudibus suis parcum esse; si igitur Ioannes tanta de se dicens, parcè dixit; qualia erant, quę dicenda restabant?

In orat. Aristophanica.

Eccl. 9.

1. Cor. 4.

SED non fuit Ioannes dilectus solùm, verùm plus cæteris Apostolis à Christo dilectus; ipseque Christum super omnes dilexit. Quod Ioannes Christum præ omnibus Apostolis dilexit, probat Hieronym. Cùm *fortis sit vt mors dilectio,* quando cęteri Apostoli relicto eo fugerunt, ipse eum sequutus fuit vsque ad Caiphæ domum, & illuc Petrum introduxit; & cùm cæteri præ timore latitarent, ille astitit Christo in cruce pendenti. Ioannem à Christo plus cæteris Apostolis dilectum, ostenditur eo verbo: *Discipulus, quem diligebat Iesus.* Cùm enim nomen pluribus commune, alicui tribuitur vt proprium, ostenditur in re per nomen significata ipsum reliquos excedere. Verbi gratia: multi Philosophi sunt; quod verò, cùm Philosophum nominas, Aristoteles intelligatur, ostendit ipsum excellentissimũ Philosophorum esse: multi sunt sapiẽtes; quod verò sapientis nomine Salomon accipiatur, ostendit summã eius sapientiam. Sic multi à Christo dilecti, quòd verò his verbis, *Quem diligebat Iesus,* Ioannes intelligatur, ostendit ipsum super omnes dilectum. Hic verò singularis Christi in Ioannẽ amor in multis ostensus est. Primò, in secretorum reuelatione: (quod opus amici esse ipse Christus testatur: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.*) Ioanni super omnes mysteria & secreta reuelauit. De Verbi diuinitate, ait Augustinus, præstantiorem, quã reliqui Apostoli cognitionem est adeptus, vt eius testatur Euangelium: Mysteria tanta cognouit, vt ab eo Angeli didicerint, teste Chrysostomo, & omnia Ecclesiæ secreta ei in Apocalypsi reuelata sint. Secundum amici opus est, amicum à nulla re propria excludere. Cùm aliquem Regi charissimum ostendere

Libr. 1. contr. Iouin.

Cant. 8.

Ioan. 19.

2.

Ioan. 15.

Simile.

vis,dicis:nunquã à Rege discedit. A nullo eorũ, quæ Christus gessit,exclusus Ioannes est,& ad plura solus admissus.Si eligit duodecim Apostolos;si tres,qui videãt trãsfigurati gloriam;si tres,quib.declaret animi mœstitiã;si duos,qui cœnã parẽt,Ioannes sẽper vnus eorũ est: ad omnia,ad quæ alij,admissus est, & ad aliqua solus: vt cruci assisteret, vt matrẽ ei cõmendaret, solus ipse fuit.Tertiũ amici opus est,vt possit cũ amicó agere, siue lætitiæ,siue tristitię tẽpus sit. Interrogabant Petrus & discipuli,cũ placido vultu erat,sæpe Christũ;at in Cœna, quãdo turbauit semetipsum,solus Ioannes,recũbens *super pectus eius,* interrogare audet:*Quis est qui tradet te?* Sunt blanditię quæ seruis,sunt quę filijs dilectissimis conueniunt.Hoc interest inter blanditias alijs Sanctis exhibitas, & eas quib. Ioannes potitus est;quòd illę seruorũ sunt,Ioãnis filij & vnicè dilecti. Considera maiestatẽ Christi,& tempus illud cœnæ, quãdo iam mors Christo imminebat,& anima eius turbata erat,quando Iudas Christum proditurus è cœnaculo exierat,tali obsecro tẽpore, quis pater,quęue mater filium demulceret,eique blandiretur? At hoc tẽpore Christus quasi sui, & omniũ, quæ ei imminẽt tormentorum oblitus, Ioannem demulcet & super pectus recipit An non hoc dilectissimi filij signum est? Plutarchus refert, cùm incubat aquila super oua,illum filium, qui ex ouo oritur, quod iuxta cor ipsius est,vnicè esse ab ea dilectum, eiq; maximè similem. Talis meritò dicendus Ioannes,qui in Dei pectore quiescens iuxta cor eius fuit. Ioannes Baptista in vtero Spiritu sancto repletus, in eremo educatus, mirabilem & angelicam vitam degens, non audet Christum contingere,
Ioan.1. nec se dignum reputat, qui soluat corrigiam calceamẽti eius:
Luc.7. Magdalena,quæ dilexit multum, retro & secus pedes accedit:
Ioan.21. Thomas non audet vulnera attingere,nisi iussus: sed Ioannes tam dilectus, tam fidẽs,vt iniussus caput reclinet super pectus. O dilectissime discipule, quis tantũ beneficium nõ inuideat? quis tantam gloriam non zeletur? O blanditiæ omnes excedentes blanditias! ô beneficium cuncta superans beneficia!

VIDE verò, iuxta ea quę dicta sunt,an Ioanni mirè conue-
Deut.33. niant verba illa Deuteron. *Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo,quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Ioannem Beniamin & amantissimum Domini fuisse, confidenter in eo habitasse, & inter humeros illius quieuisse monstrauimus, restat quomodo quasi in thalamo tota die moratus sit. Quod vt patens fiat, attendendum

x 72 ...
...6 quo 6 ...

tres thalamos ſponſo Chriſto fuiſſe. Primus vterus fuit Virginis,in quo ſponſatus eſt noſtræ naturæ, & inde prodijt, vt Eccleſia canit, *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Secundus crux fuit, in qua Eccleſiæ deſponſatus fuit, vbi ex latere eius ſponſa educta eſt, ſicut ex latere dormientis Adam Eua. Tertius eſt gloria cæleſtis, in qua matrimonium conſummatur cum Eccleſia;de quo Apocal.*Venerunt nuptiæ agni,& vxor eius præparauit ſe.* Quaſi in primo thalamo Ioannes fuit,cùm verbo Chriſti effectus eſt Mariæ filius:quaſi in ſecundo fuit,cùm iuxta crucem ſtetit,&compaſſione ac dolore ſimul crucifixus eſt cum Chriſto: quaſi in tertio eſt, cùm Chriſto ſimillimus corpore & anima glorioſus in cælo ſedet. Sicut enim Ioſeph, cùm ſingulas ſtolas ſingulis dediſſet fratribus, Beniamino omnium dilectiſſimo duplicem veſtem dedit, eumq́; quinq; ferculis vltra reliquos paſcit:ſic Ioanni, verè Beniamino,non animæ ſolùm,vt Apoſtolis reliquis; ſed & corporis, quæ ſecunda veſtis eſt; & in illo cæleſti conuiuio quinque corporis ſenſuum, quę quinque ferculis ſignificatur,gloria circũfluit. *Apoc.19.* *Geneſ.47.*

Sed inquiris: Quid grande Ioannes præſtitit; vt (quaſi in primo Chriſti thalamo) Virginis filius eſſet,vtq́ue(quaſi in thalamo tertio)ſtatim ei gloria corporis & animę concederetur? Respond.primò:quia virgo fuit; ideo Virginem virgini Chriſtus commendauit. Secundò: quia Chriſto (quaſi in thalamo 2. crucis) in omni tribulatione aſtitit; ideo meruit Mariam matrem habere,&gloria corporis ante omnes ornari: Vt indè agnoſcas, quis tibi apud Deũ locus maneat,ſi in tribulatione fidelis, nulla res aduerſa te à Deo potuerit ſeparare. Quantum .n.hoc Deus magnifaciat,oſtendit,cũ ad ſuos ſic loquitur:*Vos eſtis qui permanſiſtis mecũ in tentationibus meis,et ego diſpono vobis regnum.* Multas poſſet virtutes, propter quas regnũ cæleſte eis concederet, ſed maximè hanc animi conſtãtiam commemorat. Sic Mathathias Abrahamum commendat, quod in tribulatione fidelis inuentus fuit;ideo amicus Dei appellatus eſt. *Hieronym.* *Luc.22.* *1.Machab.2.*

SED interrogat Petrus: *Domine, hic autem quid? Sic eum volo manere,donec veniam:quid ad te?* Primò notandum, Dei voluntate longam fuiſſe Ioannis vitam, propter Eccleſiæ vtilitatẽ. Sicut enim in mundi origine diu ſeruati ſunt homines, vt mundũ implerent ſobole:ſic initio Eccleſię aliquis ſeruandus Apoſtolus erat diu,ad filios Eccleſiæ augendos; vt eſſet mundi lucerna, ad quã omnes (vt cũ Ebion & Cerinthus hæreſes ſuas diſſeminarẽt) in omni dubio cõfugerent. Finito prælio,

2.Reg.21. in quo Dauid erat periclitatus, dixerūt ei serui eius: *Nō egredieris nobiscum amplius in prælium, ne extinguas lucernam Israel.* Ioānes in dolium olei feruentis missus, diuina seruatus prouidentia, nō amplius permissus in aliud discrimen venire, ne extingueretur Ecclesiæ lucerna. Secundò: Hæc verba, *Sic eum volo manere,* sic de Ioanne accipi possunt: Volo naturali morte, nō martyrio, vitam finiat. 1. quia sic ego volo. 2. quia te & reliquos Apostolos, qui tempore passionis meæ fugistis, (quod minus tunc præstitistis vt postea impleatis) pro me mori oportet: Ioannem, me vsque ad crucem sequutum, mihique tum commortuum, non oportet. Tertiò notandum est illud: *Quid ad te?* Si tam leuem curiositatem sic Christus carpit, quomodo hodie mundum reprehenderet, qui sui oblitus perpetuò aliena curat; suamque quisque relinquens domum, per alienas di-

Eccl.32. uagatur? *In multis esto quasi inscius,* ait Sapiens, & dic tibi, *Quid ad te?* Te circunspice, vitam tuam corrige: quid tibi cum alijs? *Sic eum volo manere, donec veniam.* Licet aliqui authores dicant Ioannem seruari cum Elia & Enoc in paradiso, vt testis sit cōtra Antichristum; tamen omnes ferè Sancti affirmant, eum mortuum, & suscitatum, corpore & anima in cælo regnare.

Euseb.19. De eius morte sic Ecclesiastica refert historia: Cùm Ioannes esset 99. annorum, exijt ab Epheso cum discipulis, quibus præcepit, vt ligonem & sarculum secum deferrent; & in montem conscendit, vbi nunc magnificentissimum templum in eius honorem est constructum. Et versus ad discipulos ait: Hîc, filij mei, fodite. Deinde vbi se totum consignasset, dixissetque; Et tu mecum esto Domine Iesu Christe: adstantibusque subiunxisset; Pax vobis, fratres: in foueam demisit pallium, & ipse in eam descendit: discipuli autem lamentabantur multum. Tunc splendor tumulo circumfusus, eius aspectum circumstantibus ademit: quo postmodum remittente, inane apparuit conditorium, nec ipse postea in terris visus est: sed ex eius sepulchro minutus quidam puluis continuò exoritur, qui accedentibus salutarem in omni morbo medelam præstat.

Mortuus igitur Ioannes, & suscitatus in gloria est cælesti.

IN DIE SANCTORVM INNOCENTIVM.

THEMA: *Surge, & accipe puerum, & matrem eius,* &c. Matth. 2.

QVAECVNQVE corpore magna sunt, etiam exigua admota luce, facilè; quæ parua, non sine eximia reperiri possunt. Deus in sua diuinitate magnus, naturali lumine, quod perexiguum est, à Philosophis inuentus est: sed Deum paruulum factum nisi fidei luce quæras, non inuenies. Quæsiuit eum hodie Herodes, sed non hac luce, ideo non reperit. Vt illum nos inueniamus, mentis ac fidei nostræ lucernam in ipso charitatis & gratiæ lumine accendamus, quod est Maria. &c.

INIMICITIA, quæ inter Christum & Dæmonem Luciferum semper fuit, nullis verbis explicari potest. Hanc antiquissimam affirmat Bernardus. Cùm Angelis modò conditis reuelatum Verbum caro factum adorare, eique, vt Regi, capitique suo subdi Deus iussisset, Lucifer cum Angelis malis (indignum prorsus reputans, Angelicam naturam humanæ sub esse) id renuens, è cælo in profundum proiectus, inuidia ac odio stimulatus, totis viribus laborauit, ne Deus homo fieret, ne hominem, qui longè natura inferior est, in superiore dignitate constitutum, seque illi subiectum videret. Ideoq; Adã tentauit, vt in eo omnẽ inficeret humanã naturã, atq; adeò Deus eam assumere indignum duceret. Deinde vt omnem è terra aboleret sobolem, ex qua Christum proditurum intellexerat, per Pharaonem omnes masculos, per Aman omne Hebræorum genus, per Athaliam omnes filios Dauid, per Antiochũ omnem progeniem Iacob delere conatus est. Denique cùm tandem post multa sæcula in mundo iam esset Dei Filius factus homo, nunc per Herodem eum interficere parat: sed non est consilium, non est sapientia, nec prudentia contra Dominum, qui consilium prauorum dissipat. Vnde Christus hodie liberatur, & in AEgyptum ducitur: & veluti Sampson examẽ apum in ore leonis relinquens, fauum mellis inde sustulit; ita modò Pater æternus, relictis Innocentibus, qui diuinæ quædam apes erant, in leonis Herodis ore, Christum, mellis fauum

Exod. 1. *Esther.* 7. 4. *Regum* 11. 1. *Mach.* 2. *Iudic.* 16.

fauum in humanitatis conditum cera, eripuit.

SED hîc occurrit dubium, quomodo Christus fugerit relictis Innocentibus in tanto vitæ discrimine? Ratio dubij illa
Esaiæ 55. est: Tu, Domine, ille es, de quo per Esaiam Pater loquitur: *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus* Quis verò dux tam deiecto est animo, qui videns milites suos fortiter cum inimicis contendere, ipse solus fugit, milites q; suos iam
Matth. 14. iam perituros relinquit? Insuper nonne tu dixisti: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas*? quæ gallina est, quæ, si videat miluum pullos inuadere, de pullorum vita nihil curans, aufugiat? Quid, quod tu
Ioan. 10. dixisti: *Ego sum Pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro omnibus suis*: &c. An non mercenarium te reputabit, qui fugientem fuerit intuitus? Respond. Quod hodie Christus, Innocentibus relictis & Herodis crudelitati expositis, in Aegyptum fugit, ideo fecit, quia & nobis, & Innocentibus id maximè erat expediens. Quod nobis, res est manifesta: si enim Christus infans occubuisset, etsi quidem pro peccatis nostris satisfecisset, tamen mundus eius diuina doctrina, & exemplo caruisset: Nam quis mundo cælestia enuntiaret, nî *Vnigenitus, qui est in*
Ioan. 1. *sinu Patris*, ea enarrasset? *Qui de terra est, de terra loquitur: qui de cælo venit, super omnes est.* Quis etiam exemplo doceret nos viã in cælum, nisi Christi exempla corã oculis haberemus? *Christus*
1. Pet. 2. *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplũ, vt sequamini vestigia*
Matth. 11. *eius. Discite*, ait ipse, *à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Subtrahit ergo modò se morti, non eam recusans, sed in tẽpus commodius differens, vt prius omnẽ edoceat virtutẽ verbo & exẽplo. Ad ea verò, quæ obijciebãtur, facilè respõderi potest. Opponebas 1. Dux est. Est quidẽ; sed strenui ducis est cũ videt pedites fortiter pugnare, licèt aliqui occũbant, ab eis se subtrahere, & equites conglomerare, cum quibus & hostes aggrediatur, & omnino expugnet: licet ergo Innocentes vita priuẽtur, expectat Deus noster, donec equites Apostolos & discipulos colligat dispersos, quibus hostẽ omnino deijciat, dęmonẽ è regno mũdi deturbãs: nec in hoc Innocentibus defuit, imò maximè astitit: cũ enim sũma gloria Christiani militis sit pro Christo mori, felicissimi pueri, qui flore decerpti, antequã in vsũ rationis deuenissẽt, qui fructus est, coronam adepti Martyrũ sunt,
Apocal. 14. nec aliquo actuali peccato inquinati, *sequuntur Agnũ quocunq; ierit.* Obijciebas 2. Christũ Pastorem. Est quidem; sed pastoris est, cũ videt agnos absq; herba, ducere in pascua vberrima. (*In monti-*

montibus Iſrael paſcam eos, in paſcuis vberrimis.) Hos ergo agnos à ſterili mundo in ſinum tranſtulit Abrahæ, inde eos tranſlaturus in gloriam. Quòd ſi de meritis percontaris, quibus ad tantam deuenerint gloriam; quęre etiam, ait Bernardus, demerita, quibus ab Herode trucidarentur: non minor Dei miſericordia Herodis crudelitate. Si ergo ille vt nocentiſſimos iugulauit, cùm innocentes eſſent; an non miſericordia Dei eos ſine meritis proprijs coronabit ſumma gloria?

AVDIAMVS iam Euangeliſtã eorũ certamẽ nobis proponẽtem: *Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph.* Modus hic frequẽs Prophetis loquẽdi, *in ſomnis*. Nu. 12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomniũ loquar ad illũ.* Sic Pharaoni & Nabuchodonoſori Deus futura oſtẽdit. Ariſtot. Quia mens ſomno ab exteriorib. omnino rapitur, ſolet aliquãdo diuina & intelligibilia participare. *Dicẽs: Surge, et accipe puerũ.* Cur, ô Angele, nõ dicis: Accipe Vnigenitũ Patris, Regẽ cæli? &c. Sed ecce hic qui magnus eſt, puer factus eſt, paruulus natus; & tã mirabile hóc Angelis, vt ſępe illud repetãt, quaſi inauditũ prodigiũ. Hunc qui tãtę maieſtatis eſt, *verbũ abbreuiatũ fecit Dominus ſuper terrã.* Cũ quis hoc nomẽ, Maieſtas, cõtractiorib. notulis ſcribere vult, literã. M. inter duo pũcta collocat: Chriſtus inter duos populos, inter duo animalia, inter Ioſeph & Mariã, verbũ abbreuiatũ eſt, Maieſtas breuiata. *Et matrẽ eius.* Facilius animus Mariæ à corpore recederet, quã à Filio. Serua, ô beata Virgo, theſaurũ iſtũ, ſerua margaritam: dum enim tecũ Filiũ habes, adeſt tibi diuinus ignis, cor tuum inflãmans; te benigniſſimo aſpectu ęternus Pater, & vniuerſa curia cęleſtis aſpicit. Quàm verè Ieſum in gremio tenens canis: *Quid mihi eſt in cælo, et à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum?* Potiori iure quàm Anna dicis: *In te vno omnia habentes, te non debuimus dimittere, tu lumen oculorum, tu baculus, tu omnia nobis:* quę. n. matres filijs ſolent dicere amẽtes amore filiorũ, quę nõ vera, ſed ridicula ſunt: ea omnia tu Filio tuo veriſſimè dicis. *Et fuge in Aegyptũ.* Sũma Dei miſericordia, qui refugiũ eſt noſtrũ, fugit: potuit ſe abſcondere, potuit ſe defendere, ſicut defendit Eliã igne, Eliſeum Angelorũ exercitu, Iſrael ab Aegyptijs, Hieruſalẽ à Sennacherib: ſed fugere maluit, vt doceamur, aliquãdo nobis maximè neceſſariã fugam. Vox ad Arſeniũ facta, eſt: *Fuge.* Fugiẽdæ occaſiones peccatorũ, præcipuè dũ in te eſt puer Ieſus. Sicut. n. recẽs plãtata arbor facilè eradicatur; ſic incipiens viam virtutis, facili negotio

Lib. de ſomno.

Pſalm. 72.

Tobiæ 10.

4. Reg. 1.

4. Reg. 6.

Exod 3.

3 Reg. 25.

Simile.

retror-

retrorſum conuertitur. Sicut qui graui laborauit morbo, necdum omninò conualuit, ſi nociua non vitet, facilè in eundem incidit; ſic à peccato liberatus, ſi peccati occaſiones minimè fugiat, in illud iterum facilè prolabitur. Ideo ſi puerili es virtute, recede ab occaſione, & ab omni amico, qui tibi Herodes

2.Theſſ.3. eſt, ſi in peccatum trahit: ſubtrahe te *ab omni fratre ambulante inordinatè*, neque *cum huiuſmodi cibum ſume; quia qui communica-*

1.Cor.5. *uerit ſuperbo, induet ſuperbiam.* Sed, Domine, cur fugis in AEgyptum? Abſtulerat Deus omnia primogenita AEgypti in egreſſu filiorum Iſrael: nunc eis reſtituit primogenitum ſuum pro omnibus illis. Percuſſerat AEgyptum plagis multis: nunc medicinam præſtat omni malo. Percuſſerat eos tenebris: nunc ſolem ſuum ſuper eos oriri facit, quo tenebræ pellantur. Vnde affirmat Hieronymus, ingreſſo Ieſu AEgyptum o-

Eſaiæ 19. mnia concidiſſe idola; & ſic interpretatur illud Eſaiæ: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem,* (quæ vel humanitas eſt Chriſti ſine peccati pondere; vel Maria, quæ eſt nubes pluens iuſtum) *& ingredietur AEgyptum, & commouebuntur ſimulacra AEgypti à facie eius.* Quem locum ſic etiam explicat Chryſoſtom. ſuper Matth. 2. & Albertus Magnus refert, AEgyptios ædificaſſe altare Deo, qui proſtrauit idola. Et ſicut quondam Io

Geneſ.38. ſeph in AEgyptum venit, fami remedium afferens: ſic Chriſtus verus Ioſeph in AEgyptum deſcendit, panis verus, vt famem inde pellat.

Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum. Summum Dei beneficium fuit, vt Filium ſuum vnigenitum mundo daret;

Daniel.2. & tamen Deum eſſe in mundo, mundum conturbat. Sicut Nabuchodonoſor videns ſtatuam ex auro, argento, ære, ferro, & luto, à petra ſine manibus de monte ſciſſa comminui, conterritus eſt: ſic Herodes, audiens Chriſtum, lapidem qui ſtatuam comminuat, in mundo eſſe, conterritus, vt ſe cum regno incolumem ſeruet, eum interficere decreuit; quem ſi agnoſceret, ſe ſuumque regnum ſtabiliret; ſed quia illum perſecutus eſt, illud amiſit, & vitam. Simile quid tu præſtas, dum Chriſtum totius dulcedinis fontem ab animo expellis, vt omni bono fruaris; dum verò proprio bono tibi videbaris conſulere, omne

Ezech.29. bonorum genus amittis. Plena erat Tyrus diuitijs, pronuntiat tamen Deus continuò perdendam, quia in ea non erat Deus, qui ſolus eam poterat tutam conſeruare. *Qui conſurgens,* &c. Attende Ioſeph obedientiam promptam: non cauſatur longum iter, ſed obedit vt Abraham ſine mora nocte ipſa, qua id ei iuſ-

ſum

ſum eſt;nec dubitat audiens fugam neceſſariam Saluatori,nec dicit:Quî fieri poteſt,vt aliorum Saluator ſit,qui,vt vitam pro priam ſeruet,AEgyptum petit ac fugit?Tene Dei verbum firmiſſimum; obedi ei : & licet omnia decidere videantur,tu ne dubites:aderit tibi Deus.Nocte verò ſecedit,quia nox eſt in loco à quo Chriſtus recedit.*Ex AEgypto vocaui filium meum* Hæc verba licet in ſenſu literali de Iſrael dicta ſint,tamen in allegorico intelligenda teſtatur Euangeliſta de Chriſto,cuius ille populus typum geſſit.Sicut enim Iſrael dicitur primogenitus filius Dei, ingreſſus AEgyptum fame vrgente, egreſſus per mare,viam agens in deſerto,ingrediens terram promiſſam:ſic vnigenitus verus filius Dei perſequentem Herodem fugiens, ingreſſus eſt AEgyptum,exijt inde Angeli monitu, baptizatus eſt,in deſerto tentatus,ac tandem ad cæleſtia peruenit. *Tūc Herodes iratus eſt valdè,& mittens occidit omnes pueros.* Hæc occiſio Innocentium fuit poſt annum & dies quatuor à Chriſto nato:eò quod Romæ accuſatus à filijs, impeditus eſt ante eos occidere.Sed quomodo Innocentes,Martyres ſunt ſine voluntate? Reſpondet Auguſtinus: Ille de veſtra corona dubitabit in paſſione pro Chriſto, qui etiam paruulis baptiſmum non prodeſſe exiſtimat Chriſti.Non habebatis ætatem,qua in paſſurum Chriſtum crederetis;ſed habebatis carnem, in qua pro Chriſto paſſuro paſſionem ſuſtineretis.Habent ſe Innocentes cum alijs Martyribus collati,velut excedens & exceſſum. Exceduntur in voluntate ab alijs,qui voluntate acceptantes martyrium egerunt;excedunt Innocentes in cauſa &obiecto martyrij:alij Martyres pro fide & honore Chriſti: Innocentes pro perſona & eius vita tuenda paſſi ſunt. Pugnat vir fortis in ſtadio pro Regis honore;vincit Regis inimicos: ſed alter videns gladium iam iam regio capiti imminentem,opponit ſe ictui: licet primus fortior ſit, ſecundi tamen cauſa potior eſt, quia Regis tuetur vitam. Primum alij præſtitêre Martyres, ſecundum Innocentes. In hoc verò maximè diuina nobis apparet bonitas:quod enim tu potes,& facilè potes,id à te Deus exigit, vt infinita bona largiatur.Stephanus præſtat opus & voluntatem Martyrij; Ioannes voluntatem; Innocentes opus, quo Deus contentus eſt,ſupplens meritis & gratia Chriſti voluntatis defectum. Sic etiam opera noſtra in ſe conſiderata tanto præmio digna non ſunt;vt ſint,adiungit ijs Deus Chriſti gratiam & merita. Quæ ergo potes age: venale eſt regnum Dei: quantum habes,tantum valet. Parum tibi eſt:hoc parum da, & illud habebis.

Oſee 11.
Num.24.
Vide D. Thomam 2.2.qu. 124.
Simile.
Auguſtinus.

SED quomodo qui pacem venit mittere in terram, tam durum [illegible]um Innocentibus indixit? Respond. 1. Gloria Dei illustranda & propaganda est: ad hoc creaturis, quę in hoc conditæ sunt, vtitur. Vnde sicut non fit iniuria instrumento, quo artifex vtitur, etiam si hebetetur, & consumatur: ita nec creaturæ, si in Dei gloria interimatur. Cùm ergo ad Messiæ aduentum mundo edicendum, aptissimum fuerit medium, vt Innocentes occiderentur, iure optimo eorum nece in suam gloriã vsus ille est. Secundò: Summa gratia Innocentibus tributa, cũ pro Deo pati eis concessum est: quod in gratiæ lege lætitiæ plenissimum semper fuit omnibus Sanctis, qui maximè pro Deo mortem oppetere desiderârunt. Hinc Andreas: O crux diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata! & Ignatius: O salutares bestias, quæ mihi præparantur!

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

THEMA: *Erant Ioseph & Maria mirantes*, &c. Luc. 2.

CELEBRAT his diebus Ecclesia summo gaudio maximum illud mysterium religionis nostræ, summum & dulcissimum opus Dei inter omnia quę vnquam fecit, aut faciet, in quo omnipotentiam suam effudit, nec quò progrederetur habuit, *Deus homo*, nostra induitur infirmitate; quod tam mirum est, vt dicat Augustinus sine admiratione considerari non posse. Cui mirabili sacramento vniuersa genuflectit Ecclesia, tantum adorans beneficium, videns naturam humanam in diuino supposito subsistentem in infinitum eleuatam; & quæ post Adæ peccatum tam erat vilis despectaq; vt eam intueri vix Angeli dignarentur, iam & suspiciunt, & venerantur; ipsiq; Cherubim illam aspicientes in figura propitiatorij, quasi attoniti stupent: iam enim homo cõ- *Exod. 25.* sanguineus Dei factus est, Deumq; fratrem compellare potest. Meritò ergo Euangelista dicit: *Erant Ioseph & Maria mirantes*; quia mira res Deus homo. Multi non mirantur, quod maxima admiratione dignum esset (cuiusmodi est, Deum hominem, pauperem, in presepio): sed Angeli, Ioseph & Maria, hoc maximè mirantur. Multi non mirantur Dei patientiam in peccatores, cùm planè res sit omnino mirabilis: tu illi graues irrogas iniurias; ille te conseruat, tibi alimenta præparat, an non

non hoc mirabile? Sed est admiratio ab ignorantia procedens, vt miratur rusticus eclipsim propter ignorationem causæ, quam non miratur astrologus. Cùm verò in mysterijs Filij sui Maria illuminatissima omnium esset, ab ignorantia procedere non potuit hæc admiratio. Est ergo alia, quę dimanat à scientia & cognitione rei, cuius tanta agnoscitur celsitudo, vt sola admiratione explicari valeat: & quoniam humanum superat intellectum, id, quod verbis non potest, admiratione exprimimus. Sic arcus in cæli nubibus nouimus causam, (radios scilicet solares,) sed cùm humana arte tam mirabilis circulus effici nequeat, miramur eum: & licet quotidie intueamur, semper oculos nostros rapit sui pulchritudine. Arcus hic cælestis Christi figuram ad viuum exprimit. Vt enim ille ex radiorum solarium reflexione in nube rorida efficitur, miris ac varijs coloribus constans: sic ex diuino Verbo Sole fulgentissimo intra humanitatis nubem incluso arcus diuinus, ac planè cælestis, fœderis ac pacis signum resultat; quem licet agnoscat Maria, tamen non mirari, tantumq; reuereri sacramentum non potest; & meritò: magis enim mirabile est, Deum paruulum intueri, quàm magnum. Ille enim est, cuius magnitudinis non est finis: ideo magis mirabilis in pręsepio, quàm in dextera Patris; pannis inuolutus, quàm gloriæ vestimentis indutus; inter duo animalia, quàm inter Seraphinos, & militiam cæli vniuersam.

DE his quæ dicebantur de puero. Primò mirantur *de his quæ dicebantur*; & meritò: quis enim non miretur tot testimonia è cælo, & terra; præterita, & præsentia; & tam conuenientia in vnum? Videt Maria figuras Patriarcharum, dicta omnium Prophetarum in puerum hunc duci. Videt hunc Angelos annunciare, & canere; pastores adorare; stellam cæli prodere; Reges reuereri; Simeonem prædicare, lumen esse Israel; Annam confiteri. Fasciculum conficiebat Maria ex his omnibus floribus tam diuersis; quos pijssima affectione contemplata, non poterat non mirari tam diuinos splendores. Secundò, mos est diuinæ scripturæ, extollere minora, cùm vult maxima: sic Magos gauisos gaudio magno valde, cùm stellam rursus viderunt, dicit Euangelista; quasi dicat: Si visa stella tam sunt lętati, quantam illorum putas lætitiam, cùm Christum viderunt? Sic & nunc, si ita admirata est Maria *de his quæ dicebantur de puero*, quomodo miraretur, quando in Filium Vnigenitum, Verbum Patris æterni carnem factum, oculos cōijceret?

Hoc

Hoc explicari non poteſt: hoc pelagus eſt, quod pertranſiri nō poteſt: hîc omnis intellectus hæret, lingua obmuteſcit. Primū
Eſaiæ 9. nomen, quod ei tribuit Eſaias, eſt, *Admirabilis* : nec hoc ei caſu
Pſal. 138. inditum eſt, ſed quia verè mirabilis eſt. *Mirabilia opera tua, Do-*
Pſalm. 6. *mine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! Quis ſicut Dominus Deus noſter?* Miramur videntes in homine vnita, quæ aduerſa ſibi videntur; animam rationalem, & carnem; imaginem Dei, & vile figmentum; ſpirituale, & corporale; corruptibile, & incorruptibile: ſed quanto mirabilius, videre Verbum in carne, immortalem mortalem factum, impaſſibilem paſſibilem, Deum hominem; & hæc tam mirabiliter vnita, vt ſummum non conſumat infimum, nec infimum obſcuret ſummum, ſed quæque natura integra permaneat, ſi-
Ezech. 26. ne al qua ſui læſione. Mirantur Ezechiel & Eſaias, quod Ty-
Eſaiæ 21. rus & Babylon à tanta gloria in tantā ignominiam decidant: an non multò mirabilius, quòd Dei infinita maieſtas deſcendat de cælo à regalibus ſedibus, à throno cæleſti, à ſinu Patris, & in præſepi poſitus ſit, quem cęli & terra capere non poſſunt? In hac verò re imitari Chriſtum poſſumus, ſi mirabiles omnibus fuerimus. Talis ſit vita noſtra, vt impleatur in nobis il-
Pſalm. 63. lud Pſal. *Conturbati ſunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis*
Tit. 2. *homo*, dicens: *Hi ſunt ſemen cui benedixit Dominus*: & is, qui ex aduerſo eſt vereatur, nihil malum habens dicere de nobis. Nunc autem non mirabiles in vita noſtra ſumus, imò deſpectui ha-
Amos 3. bemur, tanquam inſani moribus noſtris. *Congregamini*, ait Propheta, *ſuper montes Samariæ, & videte inſanias multas in medio eius*. O ſi quis ex alto conſpiceret inſanias multas, quæ ſunt in medio noſtri! An non ſumma inſania, Deum offendere, poſtquam homo factus pro nobis eſt? An non inſania, hiſce diebus, quibus talis nobis oſtenditur miſericordia, Deum prouocare ſceleribus? An non inſania tantus terrenorum appetitus? Poteſtne inſanius aliquid eſſe, quàm ita turbari & angi prop-
Pſal. 38. ter ea quæ ſis momento temporis relicturus? *Vanè conturbatur*
Pſalm. 39. *homo, theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.*

Iudit. 15. *Et benedixit illis Simeon.* Meritò Mariam benedicit: *Benedicta tu inter mulieres, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros, vt*
Iudic. 16. *non deficiat laus tua de ore hominum.* Iratus Sampſon (Deus) Philiſtæis (peccatoribus) nullum pactum cum eis inire volebat, non placabatur omni oblatione & ſacrificio, eos occidebat, crude-

crudeliterque insequebatur, & tot vltiones adhibuit, vt Deus diceretur vltionum: donec Dalila (Maria) eum edomuit, in gremio suo reclinauit, ligauit fascijs, & ligatum ducit in templum. Omnes ergo Mariam benedicamus: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* *Et dixit ad Mariam: Tuam ipsius animam*, &c. Solam iam Mariam alloquitur, non Ioseph; tum quia Christus totus ex Maria, non ex Ioseph; tum quia ille visurus non erat Christi passionem. Sed quanti doloris Mariæ fuerint verba ista, dici non potest. Facilius tolerasset martyrium, quàm verbum hoc. Videt se inter extrema: hinc admiratio & gaudium, de his, quæ videt de Filio prædicari; hinc dolor ex prophetia Simeonis: melle gustato, continuò fel ei datur; quia in arca simul sunt virga & manna. Sic Deus cum suis agere solet: *Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit*: iam bona, iam mala tribuit. Quando ergo te videris dulcedine affectum, præpara te ad tentationem: & *in die bonorum, ne immemor sis malorum*: contrà cùm te videris malis irretitum, spera manna & dulcorem: *in die malorum, ne immemor sis bonorum*; quia post tempestatem tranquillum facit, & post lachrymas exultationem infundit. Quàm alacer Aman, quàm tristis Mardochæus! quàm læti idolorum sacerdotes, cùm Danielem in locum leonum tradunt! quàm læti fratres Ioseph eo vendito! sed cito sortes versę sunt, illi tristes, hi læti. Timendum verò maximè hoc est improbis: si enim iustis, & Mariæ iustissimæ, post læta tristia succedunt; quid mali non sperandum est iniusto post huius vitæ lætitias? *Ecce hic positus est in ruinam.* *Nos prædicamus*, inquit Paulus, *Christum crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam.* *Erit Dominus*, ait Esaias, *in lapidem offensionis, & in petram scandali, duabus domibus Israel; in laqueum, & in ruinam habitantibus Hierusalem*, &c. Sed quomodo hoc? Christus lapis est in via positus, vt iter cæli demonstret: si tu impingis in illum, tibi imputetur, non lapidi. Fuit ergo multorum ruina, quia eum repudiauerunt malitia sua. An non tibi est Christus lapis offensionis, dum ex eius passione & redemptione sumis occasionem liberè peccandi, dicens: Passus est pro me, misericors est, non me condemnabit? De qua iniquitate ille per Psalm. expostulat: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.* *Et in resurrectionem multorum.* Ad hoc ille venit: *Ego*, ait, *veni, vt vitam habeant, & vt abundantiùs habeant.* *Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet.* *Spiritus Domini super me, præ-*

Lucæ 1. *1 Cor. 1.* *Esaiæ 8.* *Ioan. 20.* *Ioan 11.* *Esaiæ 61.*

me, prædicare captiuis indulgentiam, & clausis apertionem misit me. Cecidisti? peccasti? elisus es? *Dominus erigit elisos*: Christus venit *in resurrectionem multorum*. Ne desperes, tibi venit, vt vbi abundauit delictum, superabundet gratia. Accede, pœnitentiam age, adiunge te illi. Sed venit *in resurrectionem multorum*, non omnium, quia non omnes à peccato surgere volunt: licet ex se ille omnes saluet; sed nō omnes salutem eius recipere volunt. *Alijs sumus odor mortis in mortē, alijs odor vitæ in vitam*: sicut florentis vineæ odor homini suauis, serpenti est intolerandus. *Et in signum, cui contradicetur.* Fuit Christus scopus, contra quem omnis dęmonis & mundi sagitta directa est: omnis homo arma contra eum arripuit, Iudæus, Gentilis, Romanus, Græcus: & à nobis etiam cōtradicitur: cùm enim ille nobis sit signum in via cęli, ne erremus per eam; ei opponitur, qui aliam sequitur viam. Docet ille te paupertatem, & austeram vitā: tu dicis;

Sapient.2. *Venite, fruamur bonis, quæ sunt.* Docet te humilitatem: tu dicis; *Quis noster Dominus est?* Sed res est maximè miranda, & cuius ratio penitius est inquirenda, cur tanta in Christum mundi contradictio? ille omnibus proficuus, nulli noxius, legem amoris mundo proposuit, pertransijt benefaciendo, & sanando om-

Psalm.2. nes: *quare ergo fremuerunt gentes*, &c. *principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius?* Respondetur: cùm homo spiritu & carne constet, summa religionis Christianæ est, spiritum eleuare, carnem deprimere & humiliare.

Galat.5. *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis*: & hoc sub nomine crucis, mortificationis, & abnegationis docemur. Ex quo sequitur Primò: Eos, qui Christi legem sequuntur, maximè Deo esse charos; qui enim Spiritus purissimus est, quem diligat, nisi sibi similem? similitudo enim amoris est causa. Hinc affirmauit Plato, eos, qui mentem colunt, Deo esse gratissimos: & in hoc agnoscimus, ait Ioan-

1.Ioan.4. nes, nos à Deo diligi, quia *de Spiritu suo dedit nobis*. Secundò: Hos esse maximè infensos sceleratis hominibus, quia omnino eis dissimiles sunt: produnt namque iniquorum peccata; sicut linea recta iuxta obliquam, obliquitatem eius apertius ostendit. Sed quid mirum, spirituales viros à carnalibus infestari, cùm caro ipsa spiritui, cui alligata est, à quo vitam & de-

Genes.25. corem recipit, sit contraria? Sicut duo paruuli in vtero Rebec-

Augustinus. cæ collidebantur, sic in vtero Ecclesiæ duo sibi populi iugiter aduersantur: bonorum dissidium est, vt qui mali sunt, corrigantur; malorum est, vt qui boni sunt, consumantur. Non ergo tua

go turbetur pius persecutione malorum. Argumentum est re- Seneca.
cti, malis displicere. *Si de mundo fuissetis, &c.* Inter clarorum virorum Apophthegmata refertur, principem optimum, cùm ab improbo laudaretur, ad comites conuersum interrogasse, num mali aliquid designasset, quod ab improbo laudaretur. Tertiò: Christum, eiusque Euangelium maximè à mundo impugnandum. Quod adeò verum est, vt à mundi exordio nihil ita impugnatum sit, ac Euangelium. Aduersus illud Romani Principes acerbissimis odijs dimicârunt; omnes hæretici armis eloquentię certauerunt; Philosophi sapientię humanę armis armati sunt; carnales homines vitijs decertant; deniq; draco ille magnus, & Sanctorum sanguine rufus, dæmonum potentia, mundi malitia, carnis cupiditatibus instructus, semper bellum gerit. Nam cùm omnes hi sub carnis vexillo militarent, quomodo non contra eum dimicent, qui de Spiritu sancto conceptus, totus spiritualis carnalia omnia è mundo eliminare contendebat? quid frenetici facturi essent, nisi in medicũ insanire? Sic Christus positus in signũ cui contradiceretur.

Et erat Anna Prophetissa de tribu Aser. Benedicitur à Moyse Aser: *Sicut dies iuuentutis tuæ, sic et senectus tua*: quæ benedictio im- Deut. 33.
pletur in hac Anna, quæ à iuuẽtúte vsq; in senectã seruiuit Domino. En verè viduã, de qua Psal. *Viduã eius benedicens benedicã*: Psalm. 131.
quæ cũ 84. annos viduitatis haberet, & quinq; annis vixerit cũ viro, esset eo tẽpore 106. annorũ. Discamus ab ea perseuerantiã, & assiduitatẽ in oratione, ieiuniũ & in omni bono constãtiã: *qui* .n. *perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit*. Sola perseue Matth. 10.
rantia coronatur. *Puer autẽ crescebat, &c.* Crescebat corpore, & experimentali & acquisita scientia, quã proprio ingenio inuestigabat: reliquæ ab eo manifestabãtur amplius quotidie, in se non crescebant. Docet verò nos *in omni opere bono* fructificare, Coloss. 1.
& crescere in melius, *quæ retro sunt* obliuiscẽtes, *ad anteriora* nos Philip. 3.
extendẽtes. Sicut .n. parũ esset puerũ nasci, nisi cresceret; sic post Simile.
quã per baptismũ natus es in nouã vitã, crescere te oportet in illa: ad quod Eucharistia tibi cõceditur, vt sicut in corpore corporeo cibo, ita in spiritu spirituali crescas. *Et gratia Dei erat in illo.* Omnẽ gratiã adunauit Deus in Christo: ad quẽ nobis accedendũ est, vt eã participemus. Est ille velut hæreditas nostra, *factus omnibus obtẽperãtibus sibi causa salutis æternæ*: est arca depo- Hebr. 5.
siti, in quo omnes nostri thesauri: Omnis Christi gratia, omne meritum, omnis satisfactio, omnia deniq;, quæ in eo sunt, nostra sunt. *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Psalm. 143.

IN CIRCVNCISIONE DOMINI.

THEMA: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen,* &c. Philip. 2.

MAXIMVM profectò & mirabile nomen, quod super omne Dei nomen, & cui omne genu flectendum *cælestium, terrestrium & infernorum*, est IESVS: quod
1.Cor.12. cùm nec corde cogitare, nec inuocare, nec dicere, nisi in Spiritu sancto possimus, necessaria nobis est gratia, &c.

Prouerb.16. *OMNIA propter semetipsum operatus est Dominus*, in omni opere suo intendens gloriam suam manifestare, vt eximiam Dei maiestatem suspicientes, eum vereamur, eique genu flectamus: quam genu flexionem, animiq; submissionem seu reuerentiam illi exhibendam prædixit, Esaiæ 45. *In memetipso iuraui, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* & Rom. 14. *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Hanc subiectionem Deus ab omni creatura postulat; quę si absit, nullum bonum à Deo
Psalm.61. expectandum est. Hinc Psalm. *Nonne Deo subiecta erit anima*
Mich.6. *mea? ab ipso enim salutare meum.* & Michæas: *Quid dignum offeram*
Simile. *Domino? curuabo genu Deo excelso.* Sicut enim vt inferiora corpora à cęlestibus recipiant influxum & motum, eis subijci & subordinari oportet: sic, nisi quicquid nobis est Deo submitta-
1.Pet.5. mus, nullum ab eo impetrabimus bonum. Hoc est illud Petri: *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Ex quo patet nostra, non Dei interesse, quod hæc ei fiat genu flexio; nullum enim in eum ex ea redundat bonum, sed in nos, qui Deo humiliati, ab eo bona accipimus. Vt verò omnis creatura Deo genu flecteret, nihil non molitus est, multaque in hunc finem summę maiestatis nomina vsurpauit; sed nunquam illud assequutus est, donec nomen, IESVS, ei est impositum. In ipso mundi exordio, & in lege naturæ, opera fecit mirabilia, nomina sibi maiestatis imposuit; sed num ei genu flexum est? Nequaquam; post mirabile mundi opificium, quo Angeli & homines Dei potentiam, sapientiam, & bonitatem mirati, summum illi honorem habere, genuque flectere debebant, Lucifer, cum
Esaiæ 14. Angelis plurimis, teste Esaia, dicit: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; super astra Dei exaltabo solium meum, & ero similis Altissimo.* Et Angelus quidem hæc, sed quid homo? For-

mauit

mauit eum Deus;inſpirauit in faciem ſpiraculum vitæ;ducit in paradiſum,quem illi donauit; adducit omnia ad eum animantia,eorum dominum conſtituens;dat ei adiutorium ſibi ſimile,quo ſpeciem propagare poſſet;ſilet tamen,nec aliquid, quod laudem Dei reſonet, eloquitur, nec vllum gratiæ verbum,& humilitatis,in ore ipſius fuiſſe ſcriptura teſtatur. Gratiam ergo Dei non agnoſcens, nec ſicut Deum glorificans,euanuit in cogitationibus ſuis, & putauit ſe Deum eſſe poſſe, credidítque dicenti: *Eritis ſicut Dij*. Ecce nec Angelus, nec ho- *Geneſ.3.*
mo genu Deo flectit poſt innumera creationis beneficia. Sed quid filij Adæ continuò fecerunt? In illo naturæ ſtatu cœpêre homines genua idolis flectere; *Mutauerunt gloriam incorrupti* *Rom.1.*
bilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, volucrum, & ſerpentum:non intelligentes *eum qui eſt,aut ignem, aut ſpiritum,aut cita-* Sapient.13.
tum aërem, aut gyrum ſtellarum,aut nimiam aquam,aut ſolem,& lunam, rectores orbis terrarum Deum putauerunt,aut opera manuum ſuarum adorârunt.In lege verò ſcripta, cùm ſe Dominus amplius manifeſtaſſet hominibus,nihilominus populus ille idolorum ſeruituti ſe dedit, adeò vt in Aegypto conſtitutus ea *Ezech.20.*
coleret,& procedens inde in deſertum,continuò vitulos fecerit,& ingreſſus terram promiſſam quotidie poſt Baal iret, adeò vt quaſi magnum quid dixerit Elię Dominus: *Reliqui mihi* *3.Reg.19.*
ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Quomodo ergo,vel quando implebitur Domine,quod iuraſti per Eſaiam;*Mihi flectetur omne genu?* En in naturæ,nec ſcripta lege hoc factum, quando ergo implendum? Reſpond. Factus eſt Deus homo, accepit nomen IESVS, & tunc impletum eſt: *quia in nomine Ieſu omne genu flectetur, cæleſtium*, &c.quæ verba Ambroſius enarrans, ait: Multa Domine feciſti pro me, & non genu flexi. Feciſti me,& feciſti mundum propter me:dominum orbis me conſtituiſti, & non genu flectens adoraui te.At poſtquam te vidi pro me humiliatum, plagatum,cruci fixum, ſtare non potui; ſed tanto pondere amoris victus, in terra proſtratus, adoraui te. Fuit quidem principio nomen hoc ſignum cui contradicetur; ſcopus, quo omnes mundi ſagittæ directæ ſunt;(propter nomen,IESVS,omnes Eccleſiæ perſecutiones exortæ) ſed adeò potens hoc nomen fuit,vt vicerit omne mundi numen, fuitque ſimile virgæ Moyſi, quæ *Exod 3.*
omnes ſerpentes deuorauit,quia omnia idola deſtruxit,& *exaltatum eſt nomen eius ſolius*.

VT verò qualiter hoc factum ſit intelligas, attende. Ante

Dei in carnem aduentum fuit à gentilibus diuinitas in mille partes diuisa: Vniuersi Deum Pan, cęlum Iouem, solem Apollinem, lunam Dianam, ignem Vestã, aerem Iunonem, aquas Oceanum seu Thetyn, aquas dulces Acheloum, maris Neptunum, terram Rheam seu Opem, plantarũ Dionysium seu Bacchum, florum Atim, bellorum Martem, amorum Venerem & Cupidinem, orationis Mercurium, Deos & Deas constituentes, in diuersis indigentijs ad diuersa numina currebant, eis flectentes genua. Sapientiam à Minerua, iustitiam à Nemesi, regnum à Ioue, nuptias felices ab Hymenęo, gratias à Venere petebant, & ad eam dementiam deuenêre, vt perniciosis rebus numina dederint, (Febri phanum publicè in Palatio Romani dedicârunt, & aram malæ fortunæ in exquilijs, vt Plinius est auctor) scelerumq; & furtorum Deos assignare voluerint, atque vt idem Plinius iocatur, cœperit quisque sibi componere suos Ioues, Iunones, Veneres, Genios, Lares, Penatesq;: ex quo perditissimi mores & grauissima scelera in mundum inualuerunt: cùm enim Deos suos haberent scelerum inuentores, & patratores, quid eorum exemplo non faceret effrenata libido? De quibus latè disserit Paulus: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis: Tradidit eos in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate*, &c. Ecce quibus mundus genua flectebat ante Christi aduentum: ingreditur ille mundum, assumit nomen, IESVS, quod significat vniuersalem redemptorem omnium, vt ei soli omne genu flectatur. Sed quomodo? Attende. Hoc in Deo nostro peculiare est, quòd (cùm alij dij non curarent, modò adorarentur, alios etiam coli) solus semper voluit haberi Deus. *Dominũ*, inquit, *Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Videte quòd ego sim solus, et nõ sit alius Deus præter me. Ego Dominus, hoc est nomẽ meum, & gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.* Accepto ergo nomine Iesu, omnes ad se iam vocat, vt ei genu flectant; *Euacuauit omnem principatum, & potestatem, et virtutem: vt iam amplius genua non flectamus illis, sed ei, in quo omnis vis & potestas coniuncta est.* &, *Expolians principatus, & potestates, palam triumphans illos in semetipso, traduxit confidenter omnium aliorum vim ad seipsum.* & ideo clamat: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Iam qui indiget sapientia, postulet, non à Minerua, sed ab eo, qui est Sapientia Patris: qui sanitatem desiderat, non Apollinem aut Aesculapium imploret; sed eum, de quo

scriptum

Porphyrius. Eusebius Cæsariensis. Plato. Hesiedus lib. de Genealogia Deorum.

Rom. 1.

Deut. 6. Deut 32. Esaiæ 42.

1. Cor. 15.

Coloss. 2.

Matth. 11.

ſcriptum eſt; *Miſit Verbũ ſuũ, et ſanauit eos*: qui iter proſperum in *Pſalm.106.*
terra ac mari, non Aeolũ, & Aſtręos; ſed eũ adeat, *qui ventis & Matth.4.*
mari imperat, et obediũt ei: qui fruges vberes, nõ Cererẽ, aut Bac-
chum; ſed eũ, qui quinq; panes multiplicat, aquã in vinũ con-
uertit: qui diuitias, non Plutonẽ; ſed eũ *qui eſt diues in omnes qui Rom.10.*
inuocant illũ; in quo omnes theſauri: qui aquã, non ad Oceanũ; ſed
ad fontẽ viuũ, cuius qui biberit aquas, non ſitiet: qui optimas
nuptias, non ad Hymenæũ; ſed ad eum, qui naturã humanam
coniunxit diuino ſuppoſito: qui delicias, nõ à Venere; ſed ab
eo, qui torrẽte voluptatis ſuę potat ſuos: qui regnũ, nõ à Ioue;
ſed ab eo, qui ait: *Ego diſpono vobis regnũ*, & qui dicturus eſt: *Ve- Matth.25.*
nite benedicti, percipite regnum. Ad nullum aliud numen no-
bis eundum, nulli alteri genu flectendum. Hoc ſignificat no-
men, IESVS, vniuerſale remedium. Ecce iam impletum iura-
mentũ Dei: *Mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua.*

HAEC numinum ad Ieſum attractio manifeſtè apparuit, cùm hoc nomen, IESVS, cœpit in mundo prędicari: nam Dij, qui ante reſponſa ex idolis dabant, continuò ſiluerunt: quod & ipſi eorum cultores fatentur. Porphyrius ſcripſit librum de Oraculis deficientibus, & inter alia dicit:

Ablata eſt Pythij vox, haud reuocabilis vllis
Temporibus longis; etenim iam ceſſat Apollo,
Clauibus occluſis ſilet.

Hoc quoque affirmat Plutarchus, addens vocem delatam ex
Echinadis inſulis tẽpore mortis Chriſti, magnũ Pana ipſorũ
mortuũ eſſe. Suidas refert, Auguſto hecatõben (quod erat ſa- *In Auguſto.*
crificiũ ſolẽne centum boũ) Apollini Delphico offerenti, &
quis eius ſucceſſor foret quęrenti, Apollinẽ non reſpõdiſſe: in
ſtauratoq; ſacrificio, cur nõ reſpõderet interrogãti, ſic locutũ:

Me puer Hebræus, Diuos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede iubet, triſtemque redire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitis abſcedite noſtris.

Et ob hãc cauſam rediens Auguſtus Romã, in foro Capito
lij tẽplũ ædificauit, & altare hoc titulo: Ara primogenito Dei.
Addunt Eutropius, (a) Oroſius, & (b) Innocẽtius Papa, Sibyl- (a) *Lib.6.*
lã Auguſto demõſtraſſe in ſole Virginẽ cũ filio, quẽ Deũ eſſe *cap.16.*
dixit, & adorare vt Deum præcepit. Ceſſarunt ergo oracula (b) *Feria 3.*
Deorũ, ablata ab eis omnimodè dominandi poteſtate; Chri- *de Natal.*
ſtus omnia ad ſe attraxit numina, quam attractionem per *Chriſti.*
Prophetas futuram prædixerat. *In nouiſſimis diebus erit mons Eſaiæ 2.*
domus Domini præparatus in vertice montium, (id eſt, Chriſtus

super omnes Deos) *& fluent ad eum omnes gentes. In illa die proijciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui. Erit fons patens* (Christus homo factus, qui est fons occultus Vnigenitus in sinu Patris inuisibilis Deus) *domui Dauid in ablutionem peccatoris, & menstruatæ, & tunc disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà. Disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis, & erit Dominus solus in die illa.* Impletumque est illud: *Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus.* &: *Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Restat ergo, vt nos impleamus illud: *Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius. Sanctum & terribile nomen eius:* sanctum & dulcissimum inuocanti; terribile dæmonijs, contra quos inuocatur. Hoc nomen, IESVS, sit nobis refugium in omni tentatione & tribulatione.

Zachar.13. *Gregor in Ezechiel.hom. 20.* *Ezech.30.* *Malach.1.* *Psalm 85.* *Psalm.148.* *Psalm.110.*

SED dubitas: Non omne hominis genu huic nomini flexum est, nam magna pars populi Israel non genu flexit Christo Domino, & gentes multæ; vbi est ergo illud: *Viuit Dominus, quia mihi flectetur omne genu;* & illud: *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei?* Respond. Sicut sol omnibus mundi partibus illuminandis sufficiens, non omnes partes simul collustrat, sed cursu completo nulla pars manet lucis eius beneficio priuata: sic ortus est Christus Sol iustitiæ, vt illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum; sed sunt tenebræ, quæ eam lucem non comprehenderunt. Et sicut fermentatur massa paulatim, non simul; sic humani generis massa nomine diuino fermentatur paulatim. Vaticinium ergo illud Pauli, *quo cælestium, terrestrium & infernorum* genu Christo flectendum prædixerat, in cælestibus adimpletum nemo dubitat; de terrestribus id à nobis probatum est; restat videndum, quomodo etiam in inferis id impleatur, vt huic nomini genu flectant ipsi etiam dæmones: & respondetur, etsi omne Dei nomen in inferno à damnatis blasphematur, tamen hoc nomen, IESVS, dæmones reuerentur, & eo audito genu flectunt. Franciscus Venetus affirmat se experimento didicisse, dæmones non posse resistere, quin, velint, nolint, genua flectant, quando nomen, IESVS, debitè pronunciatum ipsis proponitur venerandum: scribitque Hebræos, in diuinis nominibus peritissimos, nihil iam Dei nominibus operari posse in dæmones eijciendos, quia

Esaiæ 40. *Psalm.44.* Simile. *In Harmon. mundi, cant. 2. ton 2. Cap.16.*

omnis

omnis vis ad nomē, IESVS, transijt: & Doctores super illud: *Filij vestri in quo eijciunt dæmonia?* dicunt, Iudęos, videntes sua exorcismata nihil valere ad dęmones pellendos, & Christi discipulos in nomine Iesu ea pellere, eodem nomine vsos. SED dubium est, quid hoc nomen, IESVS, habeat, vt ei omne genu flectatur, & sit nomen super omne Dei nomen? Quod super nomen omnium creaturarum sit, non mirum, cùm sit Dei nomen, secundùm illud Pauli: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Sed cur super omnia Dei nomina hoc esse voluit? Hieron. ad Marcellam de decem Dei nominibus opusculum condidit: (a) Dionysius 45. Doctores (b) Hebręi ex cap. 14. Exod. 70 colligunt Dei nomina, & super omnia illa nomen, IESVS, positum est. Ratio est: 1. quia sicut in auro cætera metalla, ita in hoc nomine continetur virtus, significatio & mysteria omnium diuinorum nominum. 2. quia hoc nomen est misericordiæ, quæ est super omnia opera eius: Et ideo dicitur: *Oleum effusum nomen tuum*; sicut enim oleum supernatat cæteris liquoribus, sic misericordia, & nomen misericordiæ omnibus nominibus. 3. quia nomina egregijs factis acquisita summè ab his ęstimantur qui ea comparant. Sicut nomen Israel datum Iacob post luctam, nomen Africani & Asiatici datum Scipioni, tale est nomen Iesus, quod acquisiuit factis, homo nascens, moriens in cruce. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, propter quod dedit illi nomen quod est super omne.* Hinc est, quod hoc solum nomen iam inuocamus, (iuxta vaticinium Zachariæ: *In die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum.*) & desideratissimum mundo fuit. *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ*: mel in ore, melos in aure, iubilus in corde. Mel fuit in ore Pauli, qui in suis epistolis hoc nomen vsurpauit quingenties. Aristoteles scribit, nomen poni solere ab aliqua proprietate. Proprietas Christi ad nos aduentantis est amor; (*Sic Deus dilexit mundum*, &c. *Ignem veni mittere in terram*, &c.) veniens ergo amore ductus, vt nos in sui amorem suauissimè trahat, si nomina maiestatis assumeret, non hoc assequeretur, (hæc enim habet Iudæus, & timet,) assumpsit nomen, IESVS, amore plenissimum, quod Saluatorem mundi, & vniuersale omnium malorum remedium significat. Accedamus igitur ad eum, qui venit vt saluet nos; en vocat: *Venite ad me omnes*, &c. *Omnes sitientes venite ad aquas.*

Lucæ 11. — *Hebr. 1.* — (a) *In lib. de Diuin. nom.* — (b) *Francisc. Venetus in Harmon. mundi cant. 2. ton. 6. 7. 8.* — *Cant. 1.* — *Philip. 2.* — *Zachar. 14.* — *Esaiæ 26.* — *Bernardus.* — *4. Met.* — *Ioan. 2.* — *Matth. 12.* — *Matth. 11.*

IN CIRCVNCISIONE DOMINI.

THEMA: *Vocatum est nomen eius Iesus.* Lucæ 2.

NON sine diuino consilio actum est, vt diuinum nomẽ, IESVS, nato infanti eo die imponeretur, quo annus inchoatur: sic enim fit, vt felicissimè in nomine Iesu annum auspicemur. *Dimidium facti qui bene cœpit habet.* Quamuis hodierna die beatissima virgo Maria acerbissimum animi dolorem ex teneri filioli sui sanguinis effusione hauserit; tamen in ipsa cordis anxietate & mœrore simul consolatione & incredibili gaudio perfunditur, videns duas maximas ipsius prę rogatiuas, Matris veritatem, & Virginis integritatem; itemq; alteras duas Filij, Verbi diuinitatem, & assumptam humanitatem manifestari Quid enim Filij circuncisio est, nisi publicũ testimonium humanæ naturę (qui verum sanguinem fundit homo est) in Filio, per quam illa facta est mater? Quid nomẽ, IESVS, (peccatorum propiciator, quod soli Deo concessum) nisi testimoniũ diuinæ naturæ, per quã conseruata matris integritas est? Deus nãq; nasci, nisi de virgine matre, non debuit; neq; mater virgo permanere, nisi Deum peperisset, congruenter potuit. Quæ ergo hodie tanta beneficia à Deo sibi collata videt palàm fieri, quam nobis gratiam negare poterit? eam adeamus salutantes: *Aue Maria.*

MAXIMVM negotium est, Deũ nominare; ex quo ingens desideriũ omni creaturę cognoscendi nominis Dei. Cùm Iacob Deo colloqueretur, hoc vnum interrogat: *Dic mihi, quo ap-*
Genes. 32. *pellaris nomine.* & Sapiens: *Quod est nomen eius?* & Esaias: *Nomen*
Prouerb. 30. *tuum, et memoriale tuũ in desiderio animæ. Nomen eius requiretur à*
Esaiæ 26. *generatione in generationem.* Desideras tu similiter nosse Dei no-
Ecclesi. 39. men? Audi. Duplex Dei nomen est, intrinsecum, quo seipse nominat; & extrinsecum, quo à creaturis nominatur. Solus Deus se comprehendẽs, potest se perfectè nominare; & tunc se quasi nominauit cùm Filiũ ęternũ Verbũ dicẽdo produxit. Ex quo
Lib. de diuin nomin. sequitur, Deũ à creatura perfectè nominari non posse. Dionysius: Deus omni scientia & sermone maior est: illius nec sensus vllus, nec imaginatio, nec sciẽtia est; ipsius neq; nomẽ est, nec opinio: quod intelligi non potest, effari quomodo poterit? Apoc. 19. *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse.* Nititur
Lib. de doctr. Christiana. Augustinus plurima nomina Deo dare: quo peracto, fatetur ingenuè nullum nomen satis ęsse maiestati tantę, & si aliquod illi

illi magis conueniens esse potest, illud est, cùm eum dicimus innominabilem, intelligibilem, ineffabilem: & addit: nec hoc nomine, ineffabilis, Deum explicari; si enim hoc nomine cōmodè explicari posset, ineffabilis non esset. Et ideo ipse Deus ait: *Sum, qui sum*; quasi dicat non est nosse nomen meum. Nomen enim, quo aliquā rem appellamus, est signū exterius eius notitiæ, quæ est in intellectu: Vnde res omnes eo modo nominamus, quo eas cognoscimus; & eis rebus perfectè nomina imponimus, quas perfectè cognoscimus; aut si eas non cognoscimus, vtimur certè nominibus, quæ illis indiderunt ij, qui eas perfectè intellexêre. Cùm igitur Deum, sicuti ipse est, cognoscere nequeamus, cùm omnem intellectum excedat; nec nominare possumus. Nec hoc mirum, cùm nec Angelos perfectè nominare valeamus, quos spiritus vocamus, cùm spiritus propriè sit aër. *Exod. 3.* *D. Thom. 1. p. q. 13.*

SED sicut nomē Deus nō habet, ita nec nomine indigeret, nisi homo fieret: homini.n. necessariū nomē est duplici ratione. Altera, quòd quā plurimi homines sunt, & nomina eis, quib. discernātur, sunt necessaria: Deo autem, cùm vnus sit, nomine opus nō est. Altera, quòd naturæ defectum nomina imposita supplēt; illa nos præsentes repræsentāt, vbi nō sumus. Maiores nostros vita iā functos, nomē quasi viuentes facit, vt in hominū memoria perpetuò cōseruētur. Quid nisi nomē Alexādro & Cæsari famæ immortalitatē dedit? & vt nobis innotescant, cōcessit? Cū igitur Deus sit vbiq; præsens, & æternitate omne tēpus ambiens, nulla ratione nomine indiget: hominis autē carnē induens, necessitatē nominis simul cū alijs indigentijs subijt. *Paruo lacte pastus est, per quē nec ales esurit*: indiget pannis ad arcendū frigus, factor ipse tēporū: indiget præsepio, cui *cælum sedes est: qui cū diues esset, pro nobis egenus factus est*: sic etiam eget nomine, 1. quo cognoscatur quantum cęteros antecellat, *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*. 2. quo præsens sit virtute omnibus inuocantibus eū, diues in omnes qui inuocant eum: *quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit*. 3. in quo eius virtus etiam ipso moriente conseruetur, cuius inuocatione Petrus ægros sanitati, mortuos vitæ restituat, & verè dicat: *Non est aliud nomen datum sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*. Verùm grande nobis hodie aperiendum est nominis huius mysterium, nimirum, hoc dulcissimo nomine, IESVS, voluisse nobis Christum declarare, omnia quæ in eo sunt, & vniuersa *Hebr. 1.* *Rom. 10.* *Actor. 4.*

eius

Esaiæ 9. *Lucæ 2.* eius opera, nostra propria esse; (*Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis: Natus hodie vobis Saluator*: nota verba, *vobis, nobis.*) vt non secus de illis lætemur, quàm de bonis nostris. Audis Christi labores, sudores, sanguinis fusionem; audis omnia illi tradita esse, eius imperio cuncta parere, gaude & exulta, tua sunt illa omnia, in illis habes gratissimum, quod Deo offeras pro delictis tuis, munus. *1. Ioan. 2.* *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum*. Et sicut omnes tituli Dei alti & magnifici, in gloriam & gaudium beatorum cedunt: quoniam Deus hæreditas & sors eorum est: (*Ego ero merces tua magna nimis*: *Genes. 15.* *Dominus pars hæreditatis meæ.*) *Psalm. 15.* sic & nos gaudere debemus, quia qui beatis est præmium, nobis est medium; beatorum in gloria per possessionem, noster in terris per spem. Ideo ipse ait: *Ego sum via, veritas, & vita; vita* beatis, *via* bonis, *veritas* vtrisque. Tantam hanc rem (quòd Christus noster est totus) ex quibusdam eius nominibus agnoscendam expendamus. Primò, dicitur Christus seruus hominum, (*Matth. 20.* *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Ego in medio vestrûm sum sicut qui ministrat* *Lucæ 22.*) & vt seruus hodie stigmate inuritur, impleturque secundùm lectionem Hieronymi illud Psalm. *Psalm 39.* *Aures perforasti mihi*: quòd de Christo dictum Paulus asserit: *Hebr. 10.* (In veteri lege iubebantur aures perfodi illi seruo, qui libertati renuncians, seruus efficiebatur sempiternus: vt se ergo ostenderet Christus seruum hominum perpetuum, ait: *Aures perforasti mihi.*) omnia autem quæ seruorum sunt, in commodum heri cedunt: & quicquid acquirit seruus, acquirit domino: dicitur ergo Christus seruus, quia omnia opera & merita eius nostra maximè esse iudicare debemus, & de illis, vt de proprijs gaudere. Secundò, dicitur caput nostrum. *Ephes. 5.* *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* *Simile.* Quemadmodum enim Adam in principium & caput humani generis datus est; ita Christus secundus Adam, in caput & initium in esse gratiæ. Vnde fit, vt sicut membra vnita primo Adæ, contrahunt peccatum; ita eadem membra vnita Christo, gratiam participent ex hoc capite, omnesque fauores & gratiæ Christo collatæ, ipsis dari censeantur. Inde Paulus: *Ephes. 2.* *Qui conresuscitauit nos, & consedere nos fecit in cælestibus in Christo.* Est enim in ipso Christo Iesu Domino nostro vniuscuiusque nostrûm portio, caro, & sanguis. *August. in Medit. cap. 15.* Vbi ergo portio mea regnat, ibi regnare me credo; vbi caro mea glorificatur, ibi gloriosum me esse cognosco; vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio. Tertiò dicitur sponsus: *Matth. 9.* (*Auferetur ab eis*

sponsus: Qui habet sponsam, sponsus est.) Omnia ergo quæ Christi sunt, mea debeo reputare; quia sponsus ille meus omnia sua, seque mihi tradidit, mutuamque fecimus bonorum & malorum commutationem (sponsalia omnia reddunt communia) mihi valde vtilem & compendiosam, illi verò caram & dispendiosam. Ego sponso meo naturam vilem communicaui, ille mihi diuinam suam participauit; ego illi peccatorum meorum sarcinam ferendam dedi, ille mihi merita sua contribuit; ego illi scelerum meorum satisfactionem vindictamq; subeundam, ille mihi operum suorum pręmia commodauit. *Ioan. 3.*

SED veritas hæc, qua diximus omnia Christi nostra esse, maximè in nomine Iesu declaratur. Hac namque appellatione cognoscitur Christus totus mihi esse, quia est omnium malorum meorum depulsor, medicina & remedium; omniumque bonorum causa: Saluator enim hæc omnia complectitur. Indiges patre? voca Iesum, cui fidenter poteris dicere: *Pater noster, qui es in cælis.* Matrem desideras? Iesus tibi mater erit. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tui non obliuiscar.* Fratrem cupis? *Ipse est primogenitus in multis fratribus.* Dux est tibi necessarius? *Ecce testem populis dedi eum; ducem ac præceptorem gentibus,* ait ęternus Pater. Regem inquiris? *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Pastoris cura est tibi necessaria? *Ego sum Pastor bonus.* Luce indiges? *Ego sum lux mundi.* Medico tibi opus est? en medicum. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Cibo cupis refici? *Caro mea verè est cibus.* Veste eges? *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum.* Hæc omnia, & innumera alia in nomine Iesu comprehensa sunt. Hoc est nomen, *Oleum effusum nomen tuum:* si vas tibi non deficiat, oleum non deficiet. *Aperi os tuum, & implebo illud.* Diuitiæ Christi tuæ sunt, de quibus exultans Paulus aiebat: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, euangelizare in gentibus inuestigabiles diuitias Christi;* id est, quas in Christo habemus. Non dicit ineffabiles, sed *inuestigabiles:* quia non tantùm verba ad eas explicandas; sed sensus intellectusque ad eas inuestigandas deficiunt. *Matth. 4.* *Ierem. 49.* *Rom. 8.* *Esaiæ 55.* *Ioan. 10.* *Ioan. 9.* *Matth. 9.* *Ioan. 6.* *Rom. 13.* *Cant. 1.* *4. Reg. 4.* *Psalm. 80.* *Ephes. 3.*

EX dictis miranda multa nostræ religionis intelliges. Primum, quomodo baptizato puero conceditur gratia, & omnia virtutum ornamenta sine vllo proprio actu, & sic decedenti omnia dantur bona cælestia; quomodo bona tanta sine proprio ei merito conceduntur? Ratio est in manifesto, quia omnia Christi bona per baptismum ei applicata sunt. Secundum:

Commi-

Commisit homo ingentia & innumera scelera, in quibus per totam vitam versatus est; mille inferis dignus est: dolet, vnam fundit lachrymulam; omnia ei condonantur, & hæres regni cęlestis efficitur è diaboli mancipio. Quomodo tam facili negotio tot peccata condonantur? Gratias agat Christo, propter cuius infinita merita nobis donantur facilè ingentia crimi-
1 Cor.5. na; quoniam *factus est nobis iustitia, sanctificatio & redemptio; ipse*
Ioan 5. *est propitiatio pro peccatis nostris.* Tertium, quomodo facilè peti-
Hester.2. tiones nostræ à Deo exaudiuntur. Sicut intrantes ad Assuerū, quicquid ad ornatum pertinens petebant, accipiebant; sic animæ Christi sponsæ, in infinitis Christi meritis habent, vnde se ornent, vnde accipiant quicquid petierint. In omni ergo angustia & necessitate ad Christum confugiamus, tanquam ad vniuersale remedium, adoremus & procidamus ante eum, osculemur manus eius, quod nos redimere venerit, & hodie ad hoc opus inchoandum sanguinem fuderit. Inuocemus sanctissimum eius nomen, in quo inimicos omnes superabi-
Prouerb.18. mus; quia *turris fortis nomen Domini.* Hoc nomine munitus
1.Reg.17. Dauid contra gigantem carnis turrim decertauit dicens: *Tu venis ad me in clypeo & hasta, ego in nomine Dei Israel.* Hoc nomen olim Ignatius in corde inscriptum gestans, feras non formidauit. His armis secundus Ignatius, Societatis nuper fundator, egressurus sua religione mundum vniuersum, eam muniuit nomine Iesu, vocans Societatem Iesu, quo nobis hoc nomen maximè honorificandum dedit, sicque voluit cordibus imprimi, vt deleatur nunquam. Concordet vita cum nomine, & professio sentiatur in opere. Mirabili quadam visione, Romam eunti Ignatio Pater æternus ostensus est, & Filius crucem portans, & socij Ignatij eum iuuantes; quos Pater æternus Filio, vt socios, amantissimè commendauit: quos ille in socios assumens, dixit: Ego vobis Romæ propicius ero. Vnde nomen Pater Ignatius religioni suæ dedit, Societatem Iesu. Sit ille nobis propicius per gratiam, quam, &c.

IN EPI-

IN EPIPHANIA DOMINI.

THEMA: *Cùm natus esset Iesus*, &c. Matth. 2.

CVM diuina Scriptura, tum experientia nobis ostenditur maxima Dei sollicitudo in humilibus exaltandis: Sicut enim superbos deijcit: (*Deiecisti eos, dum alleuarentur*) sic maiori conatu humiles exaltat, vt veritas illa comprobetur: *Qui se humiliat, exaltabitur; qui se exaltat, humiliabitur.* Quod sicut in omnibus alijs verum habet, ita & in Christo hodie ostenditur. Videns enim Pater Filium suum sic in mundo humiliari, vt nouissimus hominum fiat, cum eo contendit vt exaltetur, nuncios mittens gentibus & Iudæis, vt sciant Regem omnium natum, his Angelum, illis stellam, qua ducti Reges veniunt, vt impleretur illud: *Et erunt Reges nutritij tui, vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Et quia Filius media nocte (vt à nullo videatur) in stabulo nasci voluit, cōstituit Pater vt meridie ipso Reges per mediam Hierusalem ingrediantur, eum Regem proclamantes; & quia frigore in præsepio reclinatus tremit, eo audito Herodes pauore contremiscat; & quia non erat ei locus in diuersorio, veniant Reges, eum suscipientes depositis coronis; & quia pauper natus est, pretiosa ei dona offerantur. Tanta Dei cura est in humilium exaltatione. Hæc huius mysterij summa: ad cuius intelligentiam oculos mentis conuertamus in Mariam maris stellam, &c.

Psalm 72. *Matth. 2.* *Esaiæ 49.*

CRESCIT iam Ecclesia mysterijs, sicut Christus ætate. Hodie enim flos ascendens de radice Iesse, quæ humilis videbatur, & abiecta, induitur maiestate, & odorem suum spargit vsque ad Orientem. *A solis ortu vsq. ad occasum laudabile nomē Domini.* Hodie fortis armatus Christus, incipit vincere fortē diabolum, atrium custodientem, & vasa eius optima diripere; & hoc ab initio ortus sui, vt adimpleat nomen ab Esaia ei datū, *Accelera, velociter spolia detrahe, festina prædari; quia antequā sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia coram Rege Assyriorum.* Hodiernus dies super omnes lætissimus nobis esse debet, quia huius vi atque virtute omnibus alijs Christi mysterijs fruimur. Hoc enim die Ecclesia ex gentibus collecta, admissa à Deo fuit, vt diuinis eius donis & gratijs frueretur, cùm ante derelicta à Deo esset.

Psalm. 112. *Lucæ 11.* *Esaiæ 8.*

Hos

Ephes.3. Hoc est profundissimum mysterium, de quo Paulus: *Alijs generationibus non est agnitum mysterium hoc, Gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promißionis eius in Christo Iesu.* Hoc mysterium manifestè ostensum est Petro, *Actor.10.* in linteo è cęlo demisso, pleno immundis animalibus. Sic impletur Gedeonis figura, cùm primò vellus rore impletur cælesti, terra sicca manente; secundò contra factum est: Primò enim Iudaicus ille populus, ex quo vt ex vellere sibi vestem humanitatis assumpturus erat, impletur lege & donis diuinis, cùm eis Gentium populus careret: deinde Synagoga reiecta atque derelicta, Gentes Christi lege & gratia cælesti impletæ sunt; quod quidem Iudæis summę fuit infelicitatis, & opprobrij; Gentibus summæ lętitię, & eximij gaudij: quod enim lætius nuntium reiectæ Vasthi dari posset, quàm, Rex tibi conciliari vult, reuocatque in pristinum statum? Vnde Psalm. 86. qui de hac vocatione Gentium loquitur, ait: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Quid enim mirum, lætissimam esse Gentium Ecclesiam, tanto hodie Principi desponsatam? Hodie cælesti sponso iuncta est Ecclesia: nam in Iordane lauit Christus eius crimina: currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias: & ex aqua vino facto lætantur conuiuæ.

Iudic.6.

SED maxima insurgit dubitandi ratio; quomodo in infantili teneraque ætate desponsetur Christus Dominus? Solent aliquando parentes filios paruulos desponsare, duas ob causas. Prima, vt sponsus & sponsa simul à pueritia nutriti ardentiùs se mutuò diligant, & amore crescant, dum corpore crescunt; amor enim, qui à lacte incepit, maximè durare solet, & firmari. Secunda: quando pater filium desponsare vult dispari fœminæ, & quæ nulla ratione cum sponso conferri possit; si sponsi virilis ætas expectaretur, illam omnino in coniugem non reciperet; tunc, cùm puer est, curat pater eum desponsare, vt priusquam ille plenè intelligat quid agat, matrimonium iam ratum atque confirmatum sit. Easdem ob causas Christus infans Ecclesię desponsatur. 1. vt à Virginis vtero *tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, summa charitate velut sororem & sponsam Ecclesiam prosequatur: quia simul orti, simul creuerunt, & nutriti sunt. 2. Cùm dispares sint sponsus hic & sponsa, (ille ditissimus, nobilissimus, pulcherrimus: sponsa nigra, pauper, ignobilis) accelerans Pater, matrimonio Filium iungit, vt, cùm puer crescat, iam factum sit, nec vllo modo infectum fieri possit. O sapientia æterna, quæ falli non potes, probè

Psalm.18.

probè tu nosti ſponſæ tuæ defectus;& tamen ſimulans te pue-
rum nõ intelligentem, quaſi decipi pateris victus amore ſpon
ſæ! O dulciſſime ſponſe, quanti tibi ſtabit hæc deſponſatio!
Duas accepit ſponſas Iacob; vtque ei darentur, 14. laborauit an *Geneſ.29.*
nis: tibi, dulciſſime ſponſe animarum noſtrarum, vna datur
ſponſa, vna columba; pro ea verò non 14. ſolùm, ſed 33. annos
laboras, & totum tibi parum videtur præ amoris magnitudi-
ne. Ne autem tam diſpar ſit coniugium propter ſponſæ miſe-
riam ſponſus bonis eam replet; ſic ornans vt videntes dicant
tanto coniugio dignam. vnde Pſalm. *Aſtitit Regina à dextris* *Pſalm.44.*
tuis in veſtitu deaurato, circundata varietate. Semetipſum tradidit *Epheſ.5.*
pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vi-
tæ; vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut
rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata. Ve-
niunt ergò hodie Reges paranymphi, & populi gentium lega
ti, vt Christo Domino deſponſentur eius nomine, illique ma
nus ſponſæ nomine porrigant. De qua re Pſalm. *Venient legati* *Pſalm.67.*
ex Aegypto, Aethiopia præueniet manus eius Deo; quaſi dicat: Ex
Aegypto & tenebris Gentium veniunt legati ad cæli Regem;
Aethiopiſſa nigra fœdaque feſtinat, vt ſponſum ſibi aſſumat,
antequam Synagoga ei coniungatur. O miſera Synagoga, ſi
agnoſceres, quantam facis hodie iacturam! Surripitur ſpon-
ſus tuus ab alienigena, & hæc in domo tua hodie geruntur, &
tu relinqueris vidua & derelicta. (*Relinquetur filia Sion ſicut vm-* *Eſaiæ 1.*
braculum in vinea, et ſicut tugurium in cucumerario.) Hoc verò Do-
minus ſæpe figuris, & manifeſtis etiam verbis oſtendit. Pſalm.
17. *Conſtitues me in caput Gentium: populus, quem non cognoui, ſerui-*
uit mihi Virgam proiecit Moyſes, vertitur in colubrum; quem *Exod 4.*
cauda excipiens, in virgam conuertit. Sicut Moyſis virga, fa-
ctus eſt coluber, ſic dereliquit Deus Synagogam, in qua tot mi
rabilia operatus fuerat, donec in fine eam iterum excipiat, &
in virgam vertat, cùm reliquiæ Iſraelis ſaluæ fient Illud Oſeæ *Oſeæ 1.*
matrimonium cum fornicaria, & populum ſuum dicere non
ſuum; & non ſuum, ſuum; manifeſtè oſtendit Synagogæ re-
probationem, Gentiumque vocationem; ſicut declarat D. Pe- *1. Pet. 2.*
trus: *Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei*, &c. &
Paulus: *Vocabo non plebem meam, plebem meam*, &c. Quo nobis *Rom. 9.*
apparet exhibitum inæſtimabile beneficium, cùm nos in do-
mum ſuam Deus introduxerit. *Vide bonitatem & ſeueritatem* *Rom.11.*
Dei; in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem; in te autem bonitatem
Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excidêris. An non no-

bis hoc timendum? *Si enim naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat, qui cùm oleaster esses, insertus es in oliuam?* Tantum ergo magni faciamus beneficium, & caueamus ei nos ingratos exhibere.

ECCE Magi ab Oriente. Causa aduentus eorum fuit, quòd viderunt stellam in forma pulcherrimi pueri gestantem crucem, quod fuerat à Balaam prædictum. Hos Reges fuisse, dicit Leo Papa, (a) Athanasius, (b) Tertullianus, Augustinus, & tandem Ecclesia. Dicuntur Magi, id est sapientes, ab Euangelista, non Reges; 1. quia sapientia præstat regno (*Præposui sapientiam regnis et sedibus, et diuitias nihil esse duxi in comparatione illius*) 2 quia sicut coram sole stellæ non apparent; sic coram Christo, nullus Rex dicitur; & coram eius regno, aliorum regnum nihil esse cognoscitur. *In capite eius diademata multa, & habet in vestimento et in fæmore scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantiū: Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos.* Magi ergo deposito regio nomine, coronis & sceptris hunc Regem veneraturi accedunt. Vide iam somnium Ioseph de manipulorum adoratione impletum; Quis enim Iosephi manipulus, nisi Christus? Sicut in manipulo colligantur plures spicæ; sic in Christo tres naturæ. En hunc manipulum super omnes eleuatum: nullus Rex Iudæorum quæritur, vt adoretur, nisi hic. Venerunt Reges prius, vt Salomonem viderent; sed modò ad Christum, vt eum adorent. In quo diuinam maiestatem & potentiam Christus ostendit. En hodie tres Rhinocerotes (rhinoceros animal ferum & indomitum, quem si quis alligauerit, moritur prę tristitia, significat huius mundi potentes, ac principes superbos, qui omnino subijci recusant) alligatos per Christum, & ad eius præsepe commorantes. Verè vis in hoc diuina apparet. *Excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur; & vtinam descenderes, à facie tua montes deflue rent.* Hoc miraculum fuit, quod à Messia faciendum præcinit Esaias: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Hoc præstat puer hic paruulus, Reges & pastores simul habitare facit, & coram ipso sceptrum & baculus, corona & pera pastoralis idem sunt. Præterea, *Ecce Magi.* Ecce miram illorum fortitudinem, qui coram tyranno Herode alium proclamant Regem: qui verè Martyres cum Paulo dicunt: *Non erubesco Euangelium.* Conquerenti Nathan: *Quomodo regnat Adonias,* (Herodes,) *cùm promiseris Betsabee,* (Mariæ,) *eius filium*

regnatu-

Chrysostom. *Num.* 24. (a) *De varijs quæst. q.* 2. (b) *Lib.* 3. *cont. Marcionem.* *Sapient.* 7. Simile. *Apocal* 19. *Psalm.* 94. *Genes.* 37. *Iob* 39. *Esaiæ* 10. *Esaiæ* 11. *Rom.* 1. 3. *Reg.* 1.

regnaturum? (*Dabit illi Dominus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.*) dixit *David*, (Pater æternus:) *Vocate mihi tres viros fortißimos* (Magos) *vt omnibus annuntient, Salomonem* (Christum) *Regem esse, non Adoniam, Salomonemque constituant in patris throno*: illum quærant, vt adorent; ei munera offerant, & turbetur *Adonias & qui cum eo erant* (*Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo*) Sicut regina Saba cum muneribus ad Salomonem veniens plura recipit quàm donat, & tanta ac talia in domo Salomonis vidit, vt deficeret spiritus eius: sic modò veniens ad Christum Gentium populus cum muneribus, plura recipit quàm donat: non videt regiam domum auro ornatam, ministros sericis indutos: nec enim hæc si viderent Reges mirarentur: (quid enim mirum, Deum in maiestate esse?) vt eorum spiritus deficeret, oportuit eum viderent pauperem, & abiectum. *Lucæ 1.* *3.Reg.10.*

VBI est, qui natus est Rex? Qui nascitur Rex, natura Rex est. Aiunt: *Vbi?* Videte, ô sapientes, Deum non esse *vbi*, sed vbique: sapienter tamen dicunt: qui enim vbique erat vt Deus, *vbi* factus est vt homo. Sed attende desiderium eorum inueniendi Regem. Maximum planè hominum desiderium Regem habendi, à quo arceri non potuit Israel, etiamsi tonitruis & fulgoribus Deus se eis iratum ostenderet, & durissimas regni leges proponeret: si verò tyrannus, & regnum durum expetitur, quid non desideret mundus Regem agnum, mitem, benignissimum? regnum & iura suauissima? Hinc illud: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ; Regemque, cuius imperium super humeros eius*; qui verè & iustè iudicat nos; pugnat bella nostra, & graditur ante nos. Hoc ergo nos teneat desiderium quærendi Regem istum, quod tenebat sponsam, dicentem: *Surgam, & circuibo ciuitatem, quæram quem diligit anima mea.* *1.Reg.8.* *Esaiæ 16.* *Cant.3.*

INTRANTES domum. Proprium Magorum, id est sapientum, interiora penetrare; veritas enim intus est, recondita est. Multi vsq; ad virtutis ianuam peruenére, & inde redeunt, nec domum virtutis intrant. Eiusmodi est, qui agnoscit, quàm ei expediat, vitam mutare in melius, & incipit, non perficit; similis Moysi videnti terram promissam à longè, & in eam non intranti. Qui verò sapientes sunt intrent domum, quorum ingressus sine dubio fuit ille, de quo gloriatur sponsa: *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* An non cella vinaria porticus illa Bethlehem, vbi est vinum illud nouum de cælo, quod in *Augustin. de vita beata.* *Deut.34.* *Cant.2.*

nouos vtres mittendum est? quod vinum ad inebriandum potentius? quid esse potest quod magis hominem extra se ducat, quàm Christus in præsepio? O si ingredereris hanc cellam vinariam, si biberes vinum illud nouum, ad quod inuitat dicens: Bibite amici, & inebriamini charissimi! Hoc profunda & ardenti consideratione perficitur: tu verò foris stas, à longè Christum conspicis, fide mortua vel tepida. *Inuenerunt puerum, cum Maria matre eius.* Solet Rex hospitio excepturus Reges magnos, ornare domum pretiosa supellectili, diuitias & omnem regiam gloriam ostentare: tu ergo, ô Rex Regum, quomodo Reges hos excipiens, potentiam tuam ostendis? maximè legatis Gentium, qui ad eos de magnitudine tua loqui debent?

Augustinus. Non sine magno sanè apparatu & superba ostentatione inuenti sunt Iesus & Maria à Magis. Vterque gloriosissimum se ostendit, quia Matrem inueniunt ornatam tanto Filio, & Filium tanta Matre. Pastores inuenerunt *positum in præsepio*; Magi *cum Maria matre eius*. Ornauit se Maria assumens Filium, ornauit se Filius in matre se collocans: Gloria nati apparet in virginitate parientis, & gloria Matris in diuinitate Filij nascentis. Cùm Christus in Matre sua est, est in throno illo mirabili Assueri, qui dicitur thronus regni eius, super quem eum intuita Esther, præ timore exanimata est: vel est in throno Salomonis eburneo, vestito auro fuluo nimis, de quo scriptum est: *Non est visum simile opus in vniuersis regnis terræ.* Post enim pectus paternum nullibi Christus cum tanta est gloria, ac in materno. Quanta verò fuerit Mariæ maiestas, tanto ornata Filio, nullus sermo assequi valet. Qualis esset luna, si in eam sol se insereret, si solùm à longè eam conspiciens, tam pulchram reddit? Omnia ornamenta Mariæ Christus erat: ille monile, ille murænulæ, ille gemmæ.

Lucæ 2. *Augustinus.* *Hester 5.* *3. Reg. 10.*

EXIMIAM Christi gloriam, qua excepit Reges, vidimus, dum in throno dignissimo, Maria, positus est: restat nobis inquirendum, quibus vestibus & ornamentis se induit, vt sponsæ oculis pulcher appareret; solent enim sponsus & sponsa se præcipuè ornare, curans quisque alteri maximè placere, cùm, vt se primùm conspiciant, prodeunt. Hodie primùm se cõspiciunt Christus sponsus, & gentium congregatio sponsa; quomodo igitur ornatur sponsus, vt à sponsa diligatur? Nunquam Deus sic amabilis & totus desiderabilis apparuit, nunquam tam dulcis sponsæ oculis visus. Modò totus factus est dulcedo, amor, & deliciæ; quia hodie apparet benignitas & humanitas

manitas eius. O infinita bonitas, quanto maiestas plus operitur vilitate, eò magis elucet misericordia. Attende autem quomodo glorietur hic sponsus de humana veste: *Gaudens*, ait, *gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis*. Sed quomodo se ornat sponsa, vt sponso etiam appareat amabilis? Vide ornamenta Magorum, & ea imitare. 1. veniunt ab Oriente Christum quærentes, omnia propter eum relinquentes, & stercora & detrimentum putantes. 2. tanto fidei feruore succensi eum Regem proclamant coram Herode, sanguinem parati effundere pro Rege tanto. 3 stellæ ductum sequuntur, donec domum intrent virtutis. 4. procidunt coram Rege tanto, & quò Deo propinquiores, eò humilitati magis student. Agricola in oppido suo magnum se putans, in curia videt quàm nihil est: sic homo alijs creaturis collatus, dominus est, sed coram Deo nihil. 5. thesauros effundunt, seruantes patriæ (Persarum) morem, qui erat vt coram Principe nullus, nisi cum muneribus, appareret. Aperiunt verò thesauros non Herodi, sed Christo: aperi tu tuos Christo, non ludo, mulierculis, &c. *Esaiæ 61.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

THEMA: *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim*. Lucæ 2.

NOLVIT Deus alium authorem præter Euangelistas aliquid certi de se aut actibus suis scribere: vnde liber de Infantia Saluatoris à Hieronymo & Ecclesia, vt apocryphus reiectus est: quare nihil certi, præter id, quod hodierno Euangelio continetur, nobis relictum est de infantia Saluatoris. Ipse solus illam nouit, ipso solo nos possumus aliquid de illa explicare: ideo ab eo gratiam per Mariam petamus.

HODIE proponitur nobis prima Christi lectio. Quòd si prima lectio sapientissimi magistri attentè audiri solet, maxima attentione hæc audienda est, in qua plura docemur. Sententia est Origenis, quod Euangelij doctrina, si in cortice consideretur, vulgaris apparet: sed sicut Christus, eius auctor, exterius homo reliquis similis videbatur; interius eos in infini-

tum excedebat: sic quod interiùs latet in Euangelica doctrina,
Simile. in infinitum reliquas superat. Et ideo sicut elaborantes aurum, nec eius puluerem minimum amitti patiuntur, quòd tam pretiosum sit; sic nos Euangelium tractantes, nec minimum verbum, vel apicem omittendum putemus, quia nihil sine ingenti mysterio est. *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim.* Quid, ô sacer Euangelista, Deo cum tempore? Tempus dicunt Philosophi esse mensuram motus secundùm prius, & posterius; Deus absque vllo motu purus est actus sine principio & fine. (*Ego Deus, & non mutor: Manus mea fundauit terram, et dextera mea mensa est cælos: Priusquā montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus.*) Quomodo ergo qui mensurat cælos, modò à cælis mensurari; qui ante omne tempus est, intra temporis breue spatium contineri potest? quomodo duodecim annorum dicitur esse? Iam patefieri incipiunt diuinæ misericordię in nos: qui enim vt Deus æternus est, & super omne tempus, homo factus propter nos, tempore dimensus est sicut reliqui homines, & temporis ærumnas, frigora, doloresq; passus est. Et quemadmodum Sichem, quia Dinam accipit vxorem, legibus eius subijcitur; & Iacob, quia incola Mesopotamiæ, consuetudini terræ parere cogitur, & Liam primò accipit in coniugem: sic tu, Domine, mundum hunc incolens, factus homo, tempori & hominum miserijs subijceris.

Malach. 3. Esaiæ 48. Psalm. 89.

Genes 34. & 29.

Ascendentibus illis, &c. Aduertenda eximia Mariæ deuotio, quæ lege non cogente, (lex solùm viros obligabat) & licet ipsa verum templum erat, summumq; templum Christum domi habebat, tamen adhuc ascendit, dicens cum Psalm. *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.* Quo nos docet multa opera supererogationis præstare. Sed & aliud exemplum parentibus exhibet in filiorum educatione, docens eos ad templa, resq; diuinas filios ducere, vt à pueritia Deum agnoscant, eique pareant. Cùm quis inter duas vias dubius sistit, maximè ei considerandum quænam illarum sit arripienda: quia paruus error in principio viæ, fit maximus in fine, vt ait Philosophus. Puer ergo in studiosa via constituendus est, vt non declinet ad dexteram, nec ad sinistram; ne, si semel aberrauerit, absque magno labore ad virtutis viam redire non possit. Cùm filius tuus iter longum confecturus est, solicitus es, ei necessaria prouidere, ne in tam longa via deficiat. Erudi ergo filium, salutis monita ei præsta, vt viam longam & diffi-

Psalm. 53.

Simile.

& difficilem ſecurus percurrat. Sic orat Pſal. *Deduc me Domine* *Pſalm.5.*
in iuſtitia tuà; dirige in conſpectu tuo viam meam: *Dimidium facti*
qui bene cœpit habet. Contra, qui malè filios educat, vel in eis
corrigendis ignauus eſt, videbit quod Heli in filijs. *Virga et cor-* *1.Reg.4.*
reptio tribuit ſapientiam: puer qui dimittitur voluntati ſuæ, confun- *Prouerb.29.*
det matrem ſuam. Impletur vero in malè filios educantibus il-
lud: *Erunt vobis quaſi claui in oculis, et lanceæ in lateribus.* Qu. du- *Num.33.*
rior clauus oculis patris filio prauo? quę lanceę fuerunt cordi
Dauid Abſalon & Amnon? quæ lanceæ patri Emor fuit Si-
chem? qui claui filij Heli oculis patris? quid filij Iacob patri?
qui dicit eis: *Turbaſtis me*, &c. Proinde oro, vt exemplo hoc ha- *Geneſ.34.*
bentes filios, prouideamus eis de honeſta educatione: & in *Chryſoſt.*
ſumma vnuſquiſq; eorum curam agat, qui apud ſe habitant. *Tom.1.*
Vt hoc nos Maria edoceat, Chriſtum in templum ſecum du- *Hom.59.*
cit. *Conſummatiſq; diebus.* Docet opera Marię fuiſſe conſumma-
ta. In omnibus enim à Spiritu ſancto directa, in nullo defuit
gratiæ Dei: nos etſi rectè cœperimus, continuò tamen defici-
mus, (*Cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini*) in medio *Galat.3.*
itineris Aegyptum ſuſpiramus, vt Iſrael; & retrò caput verti-
mus, vt vxor Lot. Diſce ergo à Maria non ſolùm bene incho- *Geneſ.19.*
are, ſed & conſummare, implens Spiritus ſancti conſilium: *In* *Eccleſ.39.*
omnibus operibus tuis præcellens eſto. Non eſt excellens opus,
quod conſummatum non eſt.

Remanſit puer Ieſus in Hieruſalem. En puerum (vt vulgo dici-
tur) perditum. Sed quid mirum, perdatur puer, qui perditos
quærere venit? Vis nos perditos videre? audi Pſal. *Erraui ſicut o-* *Pſalm.118.*
uis quæ perijt: quære ſeruum tuum Domine. & Hier. *Grex perditus fa-* *Hierem.50.*
ctus eſt populus meus, de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubi-
lis ſui. Quod maneat Ieſus in Hieruſalem, non mirum: quia,
vt dicit Sap. *Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer*: ſed mirum videtur, *Prouerb.20.*
quod inſcijs parentibus, maximè dulciſſima Matre. Reſpond.
Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit vxori ſuæ. Deſpon- *Geneſ.2.*
ſauit ſibi Chriſtus Eccleſiã, reliquit pro ea Patrẽ, (*Exiui à Patre,* *Ioan.16.*
& veni in mundũ) ſed adhuc in terra conſiſtens cum Matre eſt:
eam etiã pro Eccleſia relinquat, oportet. En hodie reliquit, &
remanſit in Hieruſalẽ, et non cognouerunt parentes eius. O eximij ſi-
gnum amoris! Reliquiſti Domine Patris ſinũ, gloriæ thronũ,
& vna tibi manebat in terra mater dulciſſima, iamq; eã Eccle-
ſię cauſa relinquis. In hoc etiam nobis exẽplo eſt, vt nõ ſolùm
peccata pro Deo relinquamus; hoc enim parũ eſt; ſed & multa
quę licent, prętermittenda Dei cauſa ſunt. Simul etiam docet,

 cùm

cùm ad perfectionem à Deo vocaris, patrem matremque inscios relinquendos, nec perfectionis desideria ijs, qui aliquando impedimento futuri creduntur, dicenda, sed ipsis inscijs exequi ea, sicut Christus manet, *& non cognouerunt parentes eius.*
Exod. 33. *Qui dicunt patri & matri nescio vos hi custodiunt pactum tuum* Nouit Abraham voluntatem Dei esse, filij sacrificium, celat Saram & famulos impedituros. Vocat Dominus Iacob, vt egrediatur domum Laban: nocte egreditur ipso inscio, ne impedimento sit. Et licet Maria non impeditura erat Christo, tamen ea inscia manet in nostri exemplum, quibus parentes solent esse impedimento. Tibi ergo dictum crede: *Qui non odit patrem & matrem, non potest meus esse discipulus.* Sed quanto dolore mater fuerit affecta absentia Filij, quis dicendo consequi váleat? Exponi priuatio non potest, nisi habitus, quo priuat, declaretur: nullus malum explicabit tenebrarum, nisi qui bonitatem nouerit lucis. Quærendum ergo nobis est, quod sit bonum Mariæ, cùm Christum habet: & inde intelliges malum & dolorem eiusdem, quod Filium amiserit. Habebatne Adam aliquid tale vniuerso in paradiso terrestri? Absit. Quando pulchritudinem eius intuebatur, quando verba eius audiebat; *Mel & lac sub lingua tua*; verè potius cælum & beatitudo id dici posset, quàm aliud quippiam. Si ad discipulos fide infirmos, charitate tepidos, dicitur: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & aures quæ audiunt quæ vos auditis*: quid, obsecro, de Maria dici potuit? *Beatam*, ait illa, *me dicent omnes generationes*: imò & *beatissimam prædicauerunt* filij eius. Quo ergo dolore cruciatā dicemus tanto amisso bono? Nec cogitatio assequi valet, nec lingua eloqui. Sed vt quid, Domine, tanto dolore Matrem afficis? Respond. Primò, voluit Dominus nobis donare Matrem misericordiæ, & eam talem effecit, quali nos indigemus. Maximum quid experientia rerum est, plus multo quàm scientia. Medicus sine praxi curare non nouit. Sicut ergo voluit nobis dare patrem *Pontificem*, *qui* posset *compati infirmitatibus nostris, probatum per omnia*: sic volens pijssimam nobis condere matrem, eam probat omni dolore, vt nouerit compati dolentibus. Secundò, dolet Maria, vt tu in dolore tuo consolationem habeas, ac leuamen, videns pœnas, quas tu pateris, ipsam etiam fuisse expertam. Sic vt tibi consolatio esset in tribulatione, se fecit virum dolorum, & scientem infirmitatem, & Matrem similiter. O summa Dei in nos charitas! vt consolatio detur homini vili afflicto, affligitur Deus, & eius Mater; vt audiens

Deum

Marginal notes: Exod. 33. — Vide D. Thom. 2.2. q. 101 art 4. — Genes 22. — Genes. 31. — Matth. 16. — Lucæ 1. — Hebr. 4. — Esaiæ 53.

Deum dicentem, *Cum ipso sum in tribulatione*, consoletur ipse. Solatium ergo tibi sit quod Maria etiam afflicta est, si in afflictione versaris, hanc credens à diuina manu descendere. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus?* Iob 2.

REGRESSI sunt in Hierusalem, requirentes eum. Sicut Beati, Deum sine vllo metu amittendi possidentes, nobis, qui eum amittere possumus, feliciores; sic nos damnatos (qui sic Deum perdiderunt, vt iterum inuenire nequaquam possint) excedimus, qui licet eum perdiderimus, rursum tamen possumus inuenire. Rectè ergo nos Propheta admonet: *Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est.* Hoc nos docet exemplo Maria, & Ioseph: perdiderunt Christum, sed requirentes inueniunt. Sed mirum profectò, quod Maria Christum amittat. Respond. Tripliciter Deus amittitur. Primò mortali peccato, quia Deus summa est charitas; & *qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* Hac verò charitate per peccatum amissa, Deus recedit ab anima. Grauissimum profectò malum. Vides amicum in ludo vniuersam substantiam amittentem, nec id ferre potes, & meritò, quoniam indignissimum est: & tu Deum per mortale amittis, nec te aliquid egisse putas indignum? est ne tibi intellectus? sunt tibi oculi? si sunt, *scito, & vide, quia malum et amarum est, relinquisse te Dominum Deum tuum.* Secundò veniali peccato, quod cùm charitatem non tollat, sed eius feruorem, propter illud non Deus amittitur, sed eius dulcedo, & spirituales deliciæ. Tertiò sine vlla culpa, quando absconditur, & dulcedinem tollit spiritus. A suis enim sine culpa aliquando Deus absconditur, vt eum feruentiùs quærant, & inuocent. Solet mater se abscondere à filio, vt eam quærat, & vocet: sed filio suspirante atque clamante, vlnis ad eum tensis procedit, eumque complectitur. Sic cum suis Deus agit, implens illud: *Et erit antequam clament, ego exaudiam* &c. Sic ergo modò à Maria sine vlla culpa discedit, vt doceat nos, sæpe sine culpa discedere à suis. Animæ, quæ Deo familiares sunt, aliquando deficiunt; negligentes sunt, aliquam in bonis suis complacentiam admittunt, nimium sibi ipsis securæ sunt. Vt non dormitent, neque dormiant, absconditur eis Deus; non quod ab earum recedat corde, sed in corde existens latet; quia tollit dulcedinem, quam eius præsentia efficiebat. Quo facto anima in se rediens, circumspicit an fortè Deus à me recessit, quærit eum, tollit quæ ei sunt in ipsa impedimenta. Cùm ergo sic videris à te Deum recessisse, vide an culpa fuerit aliqua grauis;

Esaiæ 55. *Simile.* *Esaiæ 65.* *Augustinus.* *Vide D. Bernard. sermo 75 in Cant.*

uis; vide an leuis; quod si nullam reperias, adhuc cum Maria dolens Christum quære. *Dolentes quærebamus te*. Cùm videris tibi quomodocunque Deum absentem dole, non sit locus, in quo eum non quæras, nullum non moueas lapidem: orationem frequenta, afflictiones sume, & tandem cum Maria inuenies. *Crescebat Iesus gratia, & sapientia*. Verba sunt difficilia: & primò quoad sapientiam. Est 1. sapientia increata: 2. creata, qua videt Christus in Verbo omnia, quę Deus videt scientia visionis: omnia, scilicet, quæ fuerunt, sunt, & erunt: 3. infusa, similis Angelicæ. In his omnibus Christus nullo modo crescere potuit, sed omnes has consummatas habu t in puncto cõceptionis; quamuis verum sit in earum ostensione creuisse, dum maiora huius scientiæ opera ostendebat. 4. fuit in Christo scientia vel potius experimentalis cognitio: de qua dicitur: *Didicit ex his, quæ passus est*; in qua manifestè creuit, quotidiè noua expertus. 5. est scientia per se acquisita, (sicut est in nobis,) quam & Christus propria inuentione quæsiuit, & licet ea, quæ illa scientia nouit, alijs scientijs (scilicet, visione beatifica, & scientia infusa) nosset; opere tamen intellectus agentis species è phantasmatibus eduxit, & habitus perfectos scientiarum acquisiuit; & sic in his creuit. Sed de gratia maior est difficultas. Et 1. certum est, in Christo fuisse omnem virtutem, præter fidem, spem, (quia istæ repugnant statui Beatorum,) & pœnitentiam; (quia peccatum non fecit, nec vllo modo facere potuit.) 2. In eo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, quas Paulus numerat Ephes. 4. & hæc est omnium Sanctorum sententia ex Augustino: Sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo omnes gratiæ. Et ratio D. Thomæ est: Istæ gratiæ dantur ad fidei manifestationem: ergo in primo fidei auctore & consummatore debuerunt esse eminentissimè. 3. fuit in Christo gratia vnionis, quæ est gratia infinita, quia per eam humanitati datur (optimo modo, quo dari potest, per vnionem hypostaticam) esse infinitum & suppositum diuinum. 4. gratia capitis, vt tanquam caput in omnem hominem gratiam influat. Et hæc gratia est infinita, quia in eo est gratia & meritum infinitis hominibus, si ad eum infiniti accederent. 5. gratia singularis, quam sicut quilibet iustus habet: & hæc licet in esse qualitatis sit finita, tamen in quantum gratia infinita est, quia homo ille infinitè gratus est Patri. Et omnium eorum, quæ dicta sunt, ratio patet ex illo Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*. Quò enim aliquid

[Margin notes: *Hebr.* 1. — D. Thom. 3. p. q. 9. art. 4. — *Epist.* 58. — D. Thom. 3. p. q. 7. art 9.]

quid est propinquius influenti, eò abundantiùs recipit: sed anima Christi super omnes creaturas propinquior est Verbo: ergo super omnes suscepit influxus gratiæ. Et cùm recipiat vt caput, quod in alios transfundere debet, summum debuit recipere: estque in Christo gratia quasi in proprio & adæquato subiecto, vt calor in igne, lux in sole, & sic est secundùm omnem suam plenitudinem. Ex quibus patet, gratiam Christi crescere nequaquam posse: quia quò cresceret, non habebat. Quomodo ergo Euangelista ait, eum gratia creuisse? Respond. Creuit in operibus gratiæ, maiora gratiæ opera in dies ostendens: cùm enim Christus *propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis*; cùm nobis gratia & meritis crescit, ipse crescere dicitur. Sol in se non proficit; sed quia nobis datur illuminandis, dicitur crescere cùm nobis propinquior efficitur: ita Christus crescit, donec in perfectam mediamque diem crucis deueniat. Sed maximè dolendum, quod in lege gratiæ constituti, cùm iam nobis Christus creuit, & cùm in lege virorum, viros nos esse oporteret, pueri sumus sensibus. Vide ergo, an in te Christus creuerit. Paul. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus*. Formatus iam est, cùm in gratia es; sed cura, vt crescat per multa bona opera, &c.

Simile.

Galat. 4.

IN OCTAVA EPIPHANIAE.

THEMA: *Ecce Agnus Dei.* Ioan. 1.

CHRISTVM in mundum venisse, non profuisset, nisi nobis manifestus fieret. Ideo diem eius Natalem proximè sequitur Epiphania, quam Apparitionem Sancti interpretantur. Apparuit verò 1. Regibus, de qua apparitione iã dictum est: 2. in Iordane, quando baptizatus est: de qua hodie sermo habendus nobis est: 3. in nuptijs, quando aquam in vinum conuertit: de quo Dominica proxima agendum. Manifestat ergo ipsum hodie Ioannes, (vnde ille: *Vt manifestetur in Israel, propterea veni ego. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.*) sed quando & quibus verbis manifestet, nobis est expendendũ. Prædicauerat Messiã iam inter eos esse, nõ tamen dixerat, quis esset: *altera* ergo *die vidit Iesum venientẽ ad se, et ait: Ecce Agnus Dei*, &c. Hoc mysterium insigne est inter

Christi

Christi mysteria: tum propter summam in eo ostensam humilitatem, dum se voluit à Ioanne baptizari: tum propter Baptismi sacramentum nunc institutum. Amplius hodierna die ad baptismum veniens, humiliauit se Christus, quàm cùm natus in præsepio reclinatur; & quàm in Circuncisione, cùm peccatoris cauterio infigitur. Natus est vt homo; sed hodie baptizatur tanquam peccator. In Circuncisione tanquam puer defertur circuncidendus, quasi peccatum haberet; sed hodie ipse vir factus it, quasi peccata confiteretur etiam actualia. Hoc enim fecisse eos, qui à Ioanne baptizabantur, dicit Matthæus: *Confitentes peccata sua.* Insuper humiliatur Ioanni. Quæ maior, obsecro, humilitas esse potest, quàm ad Ioannem venire, coram eo prosterni, & ab eo sacramentale petere? Hic obstupuit Ioannes, & ait: *Ego à te debeo baptizari, et tu venis ad me?* An non tu es qui baptizas in Spiritu sancto? quomodo ergo ad me venis? Si vis aquas sanctificare in Baptismum, benedic illas, & satis erit; sed vt quid baptizandus tu, qui puritas ipsa es? Et Christus ad Ioannem: *Sine modò,* permitte hoc nunc, hæc mea voluntas est. Nihil difficilius verè humili, quàm videre se exaltari: maximè difficilis humillimo Ioanni exaltatio tanta: quanta autem celsitudo Ioannis in hoc apparet, cùm inter eum & Christum, quis a quo baptizari debeat, quis cui humiliandus, sit contentio: quam hac nostra tempestate non videmus. Non enim contendunt homines inter se quis magis humiliandus sit, sed potius nunc contentio est persimilis illi, de qua scriptum est: *Et facta est contentio inter discipulos quis eorum videretur esse maior.* Christus autem hac sua humiliatione ostendit optimè humilitatem & status celsitudinem conuenire. Putant aliqui, si in alto sint gradu, non ad eos pertinere humilitatem. Ecce ergo Christum vniuersorum Dominum, gloriæ Regem humiliatum ad Ioannis pedes. Ideo *quanto magnus es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram altißimo.* Sed ais: An non vile est humiliari? Imò gloriosum. Quid reputas gloriosius in Dauid? Quid ille in se videat gloriosissimum ostendit, dicens: *Ludam, & vilior fiam in conspectu Domini, & gloriosior apparebo; quia qui se humiliat exaltabitur.*

Eccles 3. *Ambrosius.* *2. Reg. 6.*

SECVNDVM mysterium, quod hodierna festiuitate nobis proponitur, baptismus est. Celebre miraculum fuit antiquis, cùm ingrediens arca Iordanis aquas, aperuit viam terræ promissæ Israeli: sed maius hodie fit, cùm Christus, eandem intrans aquam, aperit nobis viam cæli. Ideo hodie cæli aperti sunt,

Iosue 3.

ſunt,quo oſtenſum eſt, cæli ianuam per baptiſmum mundo vniuerſo aperiri. Glorioſè magnificatus Deus dicitur, cùm maris Rubri aquis Aegyptios ſuffocauit:ſed hodie glorioſior oſtenditur,cùm Baptiſmi aquis vniuerſa peccata delet.Sterilibus aquis fœcunditas conceditur ab Heliſeo: ſed hodie aquæ datur, vt nos regeneret in filios Dei. Quæ eſt iſta tanta virtus aquæ,vt corpus tãgat,& cor abluat?Si in terra fons eſſet,quem ingrediens quiſpiam infirmus,ignobilis, pauper, egrederetur nobilis, diues, & integra valetudine, quanti duceretur fons ille!En fontem,quem ingrederis vilis peccator, ignobilis,infirmus,pauper; egrederis autem ex eo fortis,ſanus, Dei filius,diues in cæleſtibus.Tria verò ſunt, quæ hodie de Chriſto Ioannes teſtificatur: 1. eum eſſe Agnum Dei. 2. quòd Spiritus ſanctus ſuper eum deſcenderit,& manſerit.3 eſſe Sacramentorum auctorem. *Hic eſt*, ait, *qui baptizat*: quod pertinet ad poteſtatem excellentiæ Chriſti. *Exod.14.* *4.Reg.2.* *Auguſtinus.* Simile.

PRIMVM initio Euangelij,*Ecce Agnus Dei* Quę verba ſunt pretioſiſſimus lapis, quem ſponſa Eccleſia in pectore geſtat in ſui ornatum.Deſponſatur Chriſto anima in baptiſmo,& tanquam ſponſa ornanda erat monilibus & torque,ſicut ornauit procurator Abrahæ Rebeccam.*Ecce agnus*,cuius balatus lupos fugat. *Ecce Agnus*, cuius ſanguine curandus, ſi lepram habueris.*Ecce Agnus*,aperiens cęlum clauſum. Lana ſua te operit,carne cibat,ſanguine lauat. Ecce agnum figuratum in agnó illo, cuius ſanguine liberati ſunt filij Iſrael ab Angelo percutiente. Hunc Agnum tot petiêre clamoribus Prophetæ: *Emitte Agnum,Domine,dominatorem terræ Agnus Dei* Significat Ioannes duas in Chriſto naturas;humanam,cùm eum Agnum,qui occidendus erat; diuinam,cùm Dei dicit, & ideo tollere poteſt mundi peccata.Eſt etiam *Agnus Dei* à Deo datus, quia hominibus agnus non erat, vt Deo ſatisfacere poſſent: ideo dedit illis Deus hunc agnum, qui pro omni mundo ſatisfacere potuit; qui victima eſſet pro peccato;dicitque: *Ego ſum,qui deleo iniquitates tuas propter me* Sed interrogat Origenes: Cùm in veteri lege offerentur pro peccato varia animalia, cur potius dicitur Chriſtus agnus,quã hircus vel taurus,&c Reſpondetur,agnus ſolus in iuge perpetuumq; ſacrificium deputatus erat, vt mane & veſpere perpetuò offerretur.Vt ergo ſignificaretur Chriſtum ſacrificium futurum perpetuum in mundo, Agnus dicitur,*qui tollit peccata mundi.* Reliqui iudices mundi, vt peccata tollant, peccatores interimunt: at hic Agnus tollit peccata, *Geneſ.24.* *Exod.12.* *Eſaiæ 16.* *Num.24.*

nec

nec homines occidit, sed viuificat; quia *non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat. Qui tollit*; non qui sustulit, vt ostendat hoc opus tollendi peccata perpetuò permanere. Tulit peccata, quãdo pro eis se obtulit in cruce, tollit nunc per Sacramenta. Sed attendendum, Christum agnum esse iusto ac peccatori volenti peccata dimittere, & Deum placare: ei verò qui peccatum diligit, qui regnare illud vult in mortali

Osee 13. corpore suo, non agnus, sed leo est. Audi loquentem: *Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt, & eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei: & ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum; occurram eis quasi vrsa raptis catulis, dirumpam interiora iecoris eorum, & consumam eos ibi quasi leo: bestia agri scindet eos. Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Quasi dicat: Si bene inspexeris, videbis omnium malorum tuorum te causam extitisse, non me. Vnde cùm te sic videris laniari, non me causeris, sed te, & peccata tua, quæ me agnum mutauerunt in leonem. Addit Ioannes: *Hic est de quo dixi: Post me venit vir.*

Hierem. 31. Virum vocat, id est perfectum, etiam ex vtero, iuxta illud: *Fœ-*

2 Cor. 11. *mina circundabit virum.* Vel *vir*, id est sponsus Ecclesiæ. *Despondi*

Hom. 23. *vos vni viro.* Super quæ verba Chrysostomus notat Dei amicitiam ac vnionem cum anima in hac vita desponsationem dici: sed quæ est in gloria, dicitur matrimonium consummatum: Desponsatio enim est contractus, quo firmatur in futurum facienda traditio; nec tam firmus contractus est, vt multis de causis non possit esse irritus: matrimonium verò est firma possessio, vinculo indissolubili confirmata. Meritò itaque amicitia animæ cum Deo in hac vita desponsatio dicitur, quia anima Deum possidet, sed adhuc imperfectè & per spem: potestque rescindi contractus iste. Licet enim, quod ad Deum pertinet, fixus immobilisque sit; hominis tamen infirmitate persæpe rescinditur ac mutatur. Hic ergo est vir animarum nostrarum, cui nos despondimus: fidem ei seruemus, ne fortè dicatur & nobis illud, quod Synagogæ Dominus, quam sibi desponderat, & modò ab ea se relictum videns

Osee 2. dicit: *Iudicate matrem vestram, iudicate*; (arguite) *quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius. Auferat fornicationes suas à facie sua: ne forte expoliem eam nudam*, (ne eam priuem omni bono spirituali) *& interficiam eam siti*, nimia, scilicet, cupiditate rerum, quas non consequetur.

SECVNDVM, quod Ioannes de Christo testificatur est: *Vidi Spiritum sanctum descendentem, & manentem super eum*: Nec enim

enim ante eum de facie nouerat. Sicut Samuel missus in domum Isai, vt vnum ex filijs eius vngeret in Regem, ignorabat quis vngendus esset, donec præsente Dauid Deus interius ei dixit, Hunc vnge: sic Ioannes nesciebat, quis Christus esset, donec Pater ei dicit; Super quem videris Spiritum descendentem, ille est. Et sicut Dauid, non vt Saul lenticula olei, (quæ vas paruum est, atque adeo parum olei continere valet, denotans Saulis regnum paruo tempore duraturum) sed cornu olei (quod Gregorius dicit abundans oleum significare, quia maius vas est, & cornu in scriptura abundantiam significat, eoque declaratur Dauidis regnum diuturnum) vngitur: sic Christus (cuius Dauid figura, & regnum æternum) vnctione summa, descendente Spiritu sancto, & manente super eum (*Requieuit super eum Spiritus Domini*; quasi dicat: Omnes diuinas vnctiones super eum effudit: quia non est ei datus Spiritus ad mēsuram) inungitur: & ideo Saul percussit mille, & Dauid decem millia, & abstulit opprobrium ex Israel: quia Christus adduxit in mundum superabundantem gratiam, decies plusquam prius fuerat, & abstulit peccati opprobrium è mundo. Preterea sicut Samuel vncturus Dauid, ne Saul turbaretur, dissimulat, & veniens Bethlehem ait: *Pacificus est aduentus meus, ad immolandum Domino venio*, ostenditq; vitulum, & sic secretò vnctus est Dauid: ita vngendus erat Christus in Regem, sed hoc secretò, ne dæmon agnoscat: quoniam *si Dominum gloriæ cognouissent, non vtique crucifixissent*. Venit Christus in baptismum, vt purus homo aquas ingreditur, vt eas sanctificet, quibus dæmonis caput confringendum: (*Tu confregisti capita draconum in aquis.*) Venit Ioannes, vt Christum ostendat Regem & Dominum omnium; sed hac vsus est arte, agnum dicit eum, quasi immolandum Domino. Sed nota verbum illud: *Et manentem super eum* Signum Filij Dei est, si maneat Spiritus super eum. Cura ergo, vt Spiritus tibi datus super te maneat: multi enim à se proijciunt hunc Domini Spiritum. Tam malè cum Deo conuenis, vt eum tam citò à te expellas? Primum Dei nomen, in quo se patribus dicit reuelatum, est *Sadai*, id est omnia implens, & satians. Interrogant Theologi, quid sit plus maiusue, Deus solus, an Deus & mundus vniuersus? & dicunt: Nō amplius est Deus, & vniuersus mundus quàm Deus solus; nihil.n. supra Deum mundus addit, sicut punctum lineę additū non reddit eam maiorē; quia omnia q̄ in mūdo sunt, in Deo sunt. An nō Deus vniuersale bonū? quomodo eo nō satiaris?

1.Reg.16.
1.Reg.10.
1.Reg.17.
Psalm 73.
Exod 6.

Psalm.80. tiaris? Tibi dicit: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Si ergo Deus ti-
Sapient.7. bi est, quid quæris extra Deum? (*Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*) Maneat in te hic Spiritus; permane in eo aliquantisper, & firmiter perseuera, continuò tibi omnia facillima erunt. Sed Spiritum sanctum descendentem Ioannes vidit, quasi columbam. Veram columbam fuisse affirmant (a) Augustinus, & (b) D. Thomas, virtute diuina creatam; multi oppositum tenent, & probabilius. Vt columba nunciauit finem diluuij, ita modò nunciat finem diluuio peccatorum per Christum imponendum. Quòd missus coruus non est reuersus, aut aquis vtique interceptus, aut aliquo supernatante cadauere illectus, significat homines in immunditia cupiditatis teterrimos, & ob hoc ad ea, quæ foris sunt in hoc mundo, nimis intentos. Quòd columba reuersa est, non habens vbi pedes figeret, ostendit per nouum Testamentum requiem Sanctis in hoc mundo non esse promissam; & non habentes in quo quiescant in mundo, ad Deum redeunt. Visus verò Spiritus sanctus in columba est, quia gemitus columbæ est, & *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Non in semetipso gemit, sed in nobis, docens nos gemere: docet enim nos peregrinos esse, & in patriam suspirare. Sicut ergo columba gemit, ita qui habet primitias Spiritus, intra se gemit, adoptionem filiorum expectans Sicut columba non manet in aquis diluuij, & corporibus emortuis; sic qui habet Spiritum sanctum, non manet in his quę sęculi sunt. Sicut columbę oculi simplices sunt, sic iusti oculi sine felle malitiæ. Sicut columbæ alæ sunt, vt fugiat; sic iustus ait: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo?* Has pennas deargentatas dicit Psalm. quia eloquijs Domini, quæ argentum sunt, à terrenis se separat, & dorsum auro charitatis ornat. Origenes exponens illud Oseæ: *Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor:* Præcepit, ait, Dominus, vt simus simplices vt columbæ, astuti vt serpentes; vt simplices, alios non offendamus; astuti, caueamus, ne ab alijs offendamur. Simplicitate ergo, & prudentia, exhibeamus hominem temperatum; quia prudentia absque bonitate malitia est, & simplicitas absque ratione stultitia nominatur. Bene verò *Ephraim columba seducta*, vel (vt Septuaginta transtulerunt) insipiens dicitur; quia sicut sola columba (cùm aliæ aues pullos suos etiam cum vitæ periculo defendere conantur) pullos ablatos non dolet, non requirit: sic Ephraim non sentit vastatum populum suum, sed suæ negligens salutis est. Et sicut columbæ,

Marginalia: (a) *Lib. de agone Christiano ca 22.* (b) *3. part q. 39. art. 7.* *Genes 8.* *August. lib 12. cont. Faustum, ca. 20.* *August. Tract. 6. in Ioan* *Rom. 8.* *Psalm. 54.* *Psalm. 67.* *Oseæ 7.* *Hieronym. Euthym. Theophyl. in c. 10. Matth.*

lumbæ, etiamsi pullis orbentur, nihilominus ad easdem ædes redeunt: ita Ephraim redibat, & opem ab illis petebat, à quibus cæsus fuerat. Et sicut columba non multum aucupum retia curat, sed quasi sponte in retia cadere videtur: sic peccator nec se, nec sua curat; sed facillimè, à diabolo seductus, capitur vel parua esca, (*Violabant me*, ait Dominus, *pro pugillo panis*) vltrò se in crudelissimorum inimicorum manus conijcit, expoliatur, laceratur, & tamen ad easdem reuertitur domos, in quibus iam se cecidisse videt: profectò cor non habet. *Ezech.13.*

ET ego nesciebam eum, &c. Ante baptismum agnoscebat Ioannes Christum; sed hoc se ignorasse dicit, Dominum ita baptizaturum, vt nulli ex ministris communicaret baptismi potestatem: nam seruis quidem communicat ministerium baptismi, & hoc illis commisit; sed siue Petrus baptizet, siue Paulus, Christus est qui baptizat; quia illi non suum, sed Christi baptismum conferunt. Hinc est, quòd baptismus Iudę Iscariotis eandem gratiam conferebat cum baptismo Petri; quia Christus est qui baptizat: & similiter Christus est qui conficit Eucharistiam, qui absoluit; ideo etiam mali sacerdotes operantur quæ Sacramentorum sunt, vt boni. *Hic ergo est qui baptizat nos Spiritu sancto*, quo abluimur aqua munda baptismi: quod si iterum te inquinasti peccato, adest tibi secundus baptismus, Pœnitentiæ sacramentum, secunda tabula: de quo etiam dicitur: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, &c. Accede ergo ad Christum, vt abluat te; quia Agnus est tollens peccata mundi, &c. *Augustinus lib.2. de consensu Euangelist. cap.15.* *Ezech.36.*

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM.

THEMA: *Nuptiæ factæ sunt*. Ioan.2.

CVM celebrasset Ecclesia in die Natiuitatis diuinas illas nuptias, quas Pater fecit Filio suo, cùm naturæ humanę illum despondit, processitque à Virginis vtero, *tanquam sponsus procedens de thalamo suo*; & deinde alias nuptias in die Epiphaniæ, quas scilicet fecit idem Pater Filio suo, Ecclesiæ eum sponsans, hodierna die nuptias alias proponit, quibus, vt Augustino placet, nuptiæ illæ significantur diuinæ ac spirituales, quibus anima Deo coniungitur. Atque adeò Ecclesia è nuptijs in nuptias alias, vt vulgo dicitur, nos deducere vide-

 tur.

tur. His nuptijs Maria adest: felix qui ad mensam cum ea sederit. Vt digni habeamur tanto conuiuio, opus est gratia, quam Mariæ precibus petamus.

PROPRIVM amoris est, amantem in amati sententiam trahere, velleque amati impleri desiderium. (Sic Paulus charitatis igne flagrans: *Omnibus*, ait, *omnia factus sum. Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.*) Ex eodem amore procedit dilecto assentiri in aliquibus, vt ei placeamus, etiam si ei non adeò proficua sint: sicut mater infirmanti filio, amore victa, aquam aliquam, vel vini parum concedit, licet ei non adeò conueniat. Sic etiam Christus, licet melius homini sit non nubere, nuptias tamen concedit, vt hominibus placeat: quod ostendit Paulus, vbi concesso matrimonio subiungit: *Ego itaque vobis parco*, id est, concedo matrimonium, parcens infirmitati vestræ. Et: *Hoc autem dico* (dixerat verò, *Vnusquisque suam vxorem habeat*) *secundùm indulgentiam, non secundùm imperium; volo autem omnes vos sicut me esse*, id est, virgines, *quia hoc melius est*. Sed quemadmodum parum vini concedens mater filio infirmo, illud aqua diluit, ne illi nocumento sit: sic hodie nuptijs sex hydrias aquæ miscet, ne caput vini dulcedine turbetur. *Nuptiæ factæ sunt.* Sponsum esse Ioannem Euangelistam dicunt Beda in commendationem Euangelij Ioannis, Hieron. & Augustin. in principio Euangelij Ioannis, & Lyra hîc: qui addit inde in Ecclesia institutum, vt matrimonio rato, sed non consummato, possint coniuges Religionem ingredi, quia intacta sponsa Ioannes secutus est Christum. Erat mater Iesu ibi, propter consanguinitatem; non verò Ioseph, qui tunc defunctus erat, vt docet Epiphanius. *Vocatus est autem Iesus.* Præsens adesse voluit, 1. vt eum statum bonum ostenderet, contra hæreticos prohibentes nubere; 2. quia in noua lege futurum erat Sacramentum. Vbi notandum, hæreticos per extrema deuiasse. Nam Basilides, Heluidius, & Iouinianus, vt refert Hieronymus, dicebant matrimonium æquale esse virginitati. Contra quos ex professo Paulus: *Qui iungit matrimonio virginem suam, bene facit; qui non iungit, melius facit* & probat: *Quoniam virgo cogitat quæ Domini sunt, quo modo placeat Deo, vt sit sancta corpore & spiritu; sed nupta, quomodo placeat viro, & diuisa est*. Et Christus: *Qui potest capere, capiat*; quasi quid diuinum virginitatem laudat. Et: *In c lo nec nubent, nec nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*: vbi ostend t humanum nubere, Angelicum virginem esse. Hanc hæresim damnant

1. Cor. 9. & 10.

1. Cor. 7.

D. Thomas. Ibidem.

Lib 3. hæres. 78.

1. Cor. 7.

Matth. 19.

Matth. 22.

damnant Syricius Papa epistola de hoc propria ad Episcopos Africanos, Hieron. contra Iouinianum, & Augustinus lib. de sancta virginitate. Alij hęretici diuerso extremo nuptias damnant, quos præuidit D Paulus, prohibentes nubere. Ita Heracleon, Tatianus & Adamiani. Quos arguit diuina institutio facta Genes. 2. & probatio nuptiarum à Christo Domino hoc loco, & Matth. 12. Hanc hæresim damnat Conc. Gangrense, c. 14. & ratio naturalis ostendit, necessarium esse hoc perpetuum vinculum maris & fœminæ. Tria recipiunt filij à parentibus, esse, ali, bene educari, quæ sine eo perpetuo vinculo nequeunt constare: ergo à natura est illud vinculum. Natura enim intendit se conseruare, & non quomodocunque, sed in statu perfecto: vt conseruetur, necessaria est generatio; ad prolis perfectionem, necessarium vinculum indissolubile, sine quo bene filij non educarentur: vnde iure naturæ hoc vinculum necessarium est. Hoc verò perpetuum vinculum in alijs brutis necessarium non fuit, quia nulla institutione eorum proles indigebat; quod discrimen vt ipse Deus ostenderet, cùm fœminam & marem seorsum in cæteris animalibus condiderit, in humana specie vnum condidit hominem, ex quo mulierem formauit: non ex pedibus, quia non serua est; nec ex capite, quia non domina; sed de latere, quia socia; vt hoc facto ostenderet, quòd super omnia animantia vnum esse deberent vir vxorque in humana natura.

1. Tim. 4.

Aristot. 2. Politic. c. 2.

EX quibus Primò sequitur, pręcipuum ardentissimumque amorem inter coniuges esse debere, quod Paulus summa exaggeratione ostendit: *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*: Vxor verò virum diligat, sicut Ecclesia Christum. Quo verbo tanta dicta sunt, vt superaddi nihil possit. Considera Christi in Ecclesiam amorem & beneficia; dici non possunt. Inspice Ecclesiæ in Christum fidem & dilectionem, sanguinem pro eo fusum, opera & obsequia absque numero: vide, quantum Christus fideli Ecclesiæ deferat, quot tolerat defectus, quia fidem ei seruat. Ne ergo sis in domo tua *quasi leo omnia euertens*. Inter ea, quę Sapiens dixit Deo probari, vnum est, Vir & mulier sibi bene consentientes. Secundò sequitur maximam à parentibus curam exhibendam in filiorum educatione, ad quam institutum est perpetuum vinculum matrimonij; quod si, vt naturalis contractus est, hoc exigit, ex quo Sacramentum est à Christo institutum, quid à parentibus in hac parte non exiget? Multa hodie dicuntur de

Ephes. 5.

Eccles. 4.

Clericorum, monialium, aliorumque statuum defectibus, nec attendunt, qui hæc obmurmurant sæculares, in ipsismet radicem esse mali huius. Radix omnium statuum Matrimonium est: ex praua filiorum educatione omnia alia vicia procedunt. Sicut igitur *aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans* solem intueri cogit; sic parentes maximè attendere debent, vt filij summo odio vitia prosequantur, eaque horreant, scientes Deum esse tam omnis mali inimicum, vt non ingentia facinora solùm puniat, sed & ociosum verbum. Et sicut Isaac præcepit Iacob, ne coniugem de genere Chanaan acciperet: sic doceat pater filium, vt à pestiferis caueat hominibus. Quæ filiorum studiosa educatio quàm grata Deo sit, ostendit ipse dicens: *Num celare potero seruo meo Abraham, quæ gesturus sum?* quare? *Scio enim quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant vias meas.*

Deut.32. *Plato.* *Genes.28.* *Genes.18.*

SED his nuptijs, ad quas nunc Christus vocatus venit, significantur illæ Christi cum Ecclesia, de quibus ipsa his diebus canit: Hodie cælesti sponso iuncta est Ecclesia, quoniam in Iordane lauit Christus eius crimina, currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias, & ex aqua facto vino lętantur conuiuæ. Primò enim, vt antea diximus, desponsatus est Christus naturæ humanæ, deinde Ecclesiæ, quam ardentissimo dilexit amore, & *tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*: quę desponsatio tam arctissimo vinculo ac fœdere copulata fuit, adeoque verum est matrimonium, vt hominum matrimonium dicat Paulus huius figuram: (*Ego autem dico in Christo & Ecclesia.*) Ad has nuptias vt veniret, inuitatus est Christus multo ante per omnes Prophetas, & tandem venit. Fiunt in Cana, quod est zelus & amor (*zelus Domini exercituum faciet hoc,*) quia huius aduentus causa solus fuit amor. In his nuptijs aquam in vinum vertit. Ante Christi aduentum mundus aqua plenus, (cæcitas in intellectu, debilitas in voluntate, *eramus natura filij iræ*, conuersantes *per desideria carnis nostræ*) quod Deus ostendit, cùm aquis diluuij illum obruit. Quis tanto malo mederi poterat, nisi Noe, (Christus,) vineam plantans? Ille aquam in vinum vertit, qui *vitis est vera.* Ille spiritum feruoremque Ecclesiæ dedit. Vnde enim feruor Ecclesię, nisi ex Christi præsentia? Ioel describens Christi aduentum ait: *Filiæ Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ*, &c. subiungit: *Et implebuntur areæ frumento,*

Ephes.5. *Esaiæ 37.* *Genes 6.* *Ioan.15.* *Ioel 2.*

mento, et redundabunt torcularia vino. Apostolis, cùm eis dictum est: *Musto hi pleni sunt*, & primitiuæ Ecclesiæ redundauit hoc vinum. Vnde namque diuitiarum & voluptatum contemptus, virginitatis cultus, eremi habitatio, angelica vita, nisi ex huius vini feruore? Sed iam quis videat Ecclesiam, qui non dicat, iterum eam in aquam versam esse? tantus iam tepor, tanta temporalium cura, ac si Christus non venisset. Verè ei dici potest: *Vinum tuum mixtum est aqua*. Refrigescit iam charitas multorum; de quo ad Synagogam (quod & hodie Ecclesiæ dici posset) conqueritur: *Quid inuenerunt in me patres vestri iniquitatis, vt derelinquerent me, & ambularent post vanitatem? Renouamini ergo fratres spiritu mentis vestræ*, & tanta misericordia non excidat à mente vestra, vt Dei sponsi obliti sitis, &c. Tertia est desponsatio Christi, qua desponsatur animæ, quæ in gratia est, de qua Paulus: *Despondi vos vni viro*: & Apoca. 19 *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam Deo: quia venerunt nuptiæ Agni, et vxor eius præparauit se, & datū est ei, vt induat se byßino candenti*. Meritò dicunt, *Gaudeamus*, quia *gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiā agente*: tunc enim anima Christo desponsatur, daturq; ei byssina vestis, iustitiæ & gratiæ, ditaturq; virtutibus ac donis, vt quāuis venundata sub peccato, denigrata super carbones, ac debitis onerata, tamē tanto spōso digna sit; & in triclinio suo, vt Assueri sponsæ, digna percipit ornamēta tanto viro. In his verò nuptijs cùm anima à peccato recedens Christo desponsatur, vinum deficit, quia omnis terrena consolatio abijcienda est. Sicut enim cùm serua ducenda erat in vxorem, lex præcipit, capillos vnguesque præscindere; sic omnia superflua rescindenda sunt animæ Deo desponsandæ. Vinum ergo non est, sed aqua lachrymarum in his nuptijs copiosa. Num sic anima relinquenda? absit, sine consolatione enim homo diu viuere non potest, ait Arist. & in Assueri conuiuio vinum abundans esse perhibetur, vt magnificentia regia dignum erat. Quod ergo vinum, quæ consolatio dabitur animæ reijcienti omnem terrenam? illud vtique vinum, de quo scriptum est: *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: bibant, & dolorum suorum non recordentur*. Aqua hìc in vinum vertitur, cùm dulces illæ lachrymæ sunt, & diuina infunditur consolatio, impleturque illud Psalm. *Iusti epulentur et exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia*: &, *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*. Hanc verò animæ cum Deo desponsationem miris verbis describit Ezechiel exemplo Regis, qui vidit pro-

Actor. 2.
Esaiæ 1.
Hierem. 2.
2. Cor. 11.
Hester 2.
Deut. 21.
Hester 2.

dit proiectam in via puellam vilem, quam ille sibi sumit, nutrit, ditat, ornat, & demum in vxorem ducit: illa verò tantorum oblita beneficiorum, meretrix in omnium oculis fit, viro relicto. *Facta*, inquit, *es mihi*, id est, meo copulata coniugio; *laui te aqua* baptismi, *emundaui te* à sanguine peccati, *vnxi te oleo* misericordiæ, *vestiui te discoloribus*, diuersis virtutibus; (*Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.*) *Calceaui te hyacintho*, dum affectus tui cælestia petunt; *ornaui te ornamento, dedi armillas* (bona opera) *in manibus tuis, & torquem* (quæ est charitas) *circa collum tuum, & circulos auribus tuis*, (inaures dat auribus, cùm aures dat legi obedientes) *& coronam decoris in capite tuo*, (sponsus enim Rex, sponsa Regina est) *& ornata es auro & argento*, id est, diuina sapientia, & verbis, *& vestita es byssο, & polymito, & multis coloribus, & decora facta es vehementer nimis.* En nuptias cum anima tua celebratas, en ornamenta tibi à sponso tuo data. Quid, obsecro, post nuptias tales, post tanta beneficia à diuino sponso collata, sperandum à sponsa foret? Vtique immensus amor, summa fidelitas, immensa obsequia: hæc omnia à te præstanda fuissent Deo tuo, sponso tuo. Quid verò feceris, audi ab eodē Propheta tibi nunciatū: *Fornicata es in nomine tuo, et exposuisti fornicationes tuas omni transeunti. vt eius fieres.* Si Hispaniæ Rex vilem & expositam sine parentibus, terræ filiam puellam sibi in vxorem assumeret, maximam illius puellæ felicitatem diceremus. Si paulo post nuptias audires; Regina non comparet, & quid de ea factum sit, nec Rex nouit; maxima omnes admiratio teneret, eo audito. Paucis interpositis diebus audis: Iam quid de Regina factum sit, nouimus; illa enim fornicata est cum seruo nequam Aethiope, cum eoque egressa è regia, per mundum diuagatur. An non hoc facinus detestandum, execrandumque diceres? Rursum audis: Regina in curiam reuersa est, ibique in lupanari meretriciam vitam ducit, coram Regis & omnium oculis: an non obstupesceres hac audita mulieris impudentia? Sed rursum interrogas: Quid rex in hac re gessit? quas adhibuit vltiones? quibus eam disperdidit supplicijs? imò eam sic diligit, vt mille ad eam miserit nuncios, rogans, vt domum regiam reuertatur, Reginaque sit, & omnium iniquitatum eius non recordabitur ampliùs. Et illa quid ad hæc dicit? Nolle, sed in lupanari permanere velle. Si tale factum in mundo stuporem induceret, quomodo non maiora miramur? Quando in diuinam admissa gratiam es, in Baptismo, vel alio Sacramento, quid

Ezech. 16.

Simile.

quid tibi præstitum à Deo credis? Sponsa eius, ô anima peccatrix & vilissima, facta es, ornata, vt superius explicuimus, eius magnificentia, ac liberalitate. Quando verò mortaliter peccasti, quid te egisse existimas? Adulterium cum dæmone fœdissimo perpetrasti, (*Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsisti me domus Israel, dicit Dominus.*) à domo Dei discessisti, dæmoni in seruam & meretricem te dedisti, abiens in regionem longinquam. Qua molestia affecisse te credis diuinam illam maiestatem, cùm se videat derelinqui pro vili dæmone? Audi dicentem: *Obstupescite cæli super hoc*, &c. *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*, &c. O emphasin illius, *me*! Quid mali in Deo inuenisti, vt ab eo recederes? (*Quid inuenerunt in me iniquitatis, vt derelinquerent me, & abirent post vanitatem?*) Sed eò deuenit dementia tua, vt in lupanari omnibus transeuntibus te exposueris coram Dei oculis. *Væ, væ tibi, ait Dominus, ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis, & frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Id verò fecisti, cùm omni peccato, omni tentationi ianuam cordis aperuisti, & aditum præbuisti. Quas contra te querelas diuina illa bonitas dicere? quo digno supplicio indignissimum illud facinus castigare poterit? Audi inauditam Dei misericordiam, amorem, quo stupeas, hæreasque. Cùm in hoc lupanari anima tua sit, mille ad te mittit nuncios, quibus rogat, obsecratque, vt ad eum conuertaris, vt iterum sponsa eius & Regina sis. Quot Angelos pacis nuncios ad te super hac re misit! quot inspirationibus cor tuum pulsauit! quot minis te terruit! quot blanditijs te vocauit! Audi nuncios aliquos: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir vxorem suam, & illa fornicata fuerit cum alio, nunquid vltrà reuertetur ad eam? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me* &: *Ad me reuertere. Reuertere auersatrix Israel. Reuertimini ad me, dicit Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, quia ego vir vester.* Et omnis concionator modò cum Paulo obsecrat: *Reconciliamini Deo.* Estne cor, quod tantis blanditijs non emolliatur? cor suum posuerunt aliqui vt adamantem, redire noluerunt. O cor adamantinum, igni inferni seruatum, vt emolliaris! ô duritiem dæmone dignam, non homine! Veni ergo vocatus toties ad nuptias tantas, ne recuses, ne differas; & si non agnoscis sponsum tuum, audi Ioannem dicentem: *Ecce Agnus Dei* tecum desponsatus est, non tua pulchritudine ductus, sed amore filiorum, qui sunt opera tua, quæ ab eo procedunt vt patre, ab anima tua vt matre. Et cum in Ca-

Hierem. 3. Hierem. 2. Ezech. 16. Hierem. 3. Hierem. 3. 2. Cor. 5. Ioan 1.

in Cana Galilææ facta hæc sit desponsatio, diligendus summè est sponsus, & transmigrandum hinc in cælum, vbi complementum erit nuptiarum. Cana enim zelum sonat, Galilęa transmigrationem, &c.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

THEMA: *Domine, si vis, potes me mundare.* Matth. 8.

QVEMADMODVM est prima causa potissima, & omnium optima, Deus, cuius vis declarari non potest vel infinitis creaturis, quia bonum est in se infinitum, eas omnes superans in immensum: ita tanta peccati malitia est, vt omnibus pœnæ malis, etiamsi infinita essent, plenè manifestari non possit. Sic varia corporalis infirmitas aliquid nobis innotescere facit mali culpæ: Cæcitas tenebras, paralysis ineptitudinem ad bona opera, lepra hodierno in Euangelio maculam peccati ostendit. Macula in corporalibus dicitur, cùm res pulchra amittit pulchritudinem suam, quod euenire solet propter contactum alterius, quæ eam maculat: sic in spiritualibus ad huius similitudinem, cùm duplici splendore anima nostra decoratur: 1. ex naturalis luminis, 2. ex diuinæ sapientiæ & gratiæ refulgentia: adhærens creaturæ contra lumen rationis & diuinæ legis, peccat, & detrimentum nitoris
Hierem. 2. inde contractum macula dicitur. (*Maculata es in iniquitate tua.*) Et quò pulchrior & pretiosior res est, eò est macula deterior: sicut macula in aurea tela aut purpura, multò est fœdior quàm in vili. Cùm ergo animæ pulchritudo ac nobilitas tanta sit, tum naturalis, tum supernaturalis; peccati macula sine dubio omnium fœdissima est. Cùm anima diuina illustratur gratia, tanta pulchritudine decoratur, vt audiat cælestem sponsum
Cant. 4. dicentem sibi: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quid quod diuinum cor vulnerat pulchritudine sua: *Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa*, &c. Sed peccato ita fœdatur, vt
Habac. 1. eam Deus respicere non valeat. Hinc Propheta: *Mundi sunt oculi tui, & ad iniquitatem respicere non potes.* Multas huiusmodi animas passim offendes, similes Sodomiticis pomis, exterius quidem pulchras, interius maculatas, à quibus maximè cauendum, quasi à leprosis: facilè enim lepra incurritur, si cum le-
Leuit. 18. prosis huiusmodi communices, qui à ciuitatis ingressu arcen-

tur

tur: nec enim ciuitatem, quæ viuis ex lapidibus ædificatur ingredi possunt: *nihil coinquinatum intrabit in illam.* Quòd si cum peccati lepra illuc te intraturum speras, audi Paulum: *Nolite errare; neque fornicarij, neque adulteri, neque molles*, &c. *regnum Dei poßidebunt*. Sed ais leprosus sum, quæ mihi medicina? Audi: Descendit *Iesus de monte*, & *secutæ sunt eum turbæ multæ.* Descendit ille ad nos, quia ad eum ascendere non valebamus; eramus paralytici, sicut seruus Centurionis: Vniuersum nam que humanum genus in primis parentibus, vt Miphiboseth, è nutricis sinu, cecidit, & confractis cruribus ambulare non potest: vtque Adonibezech prçcidens summitates pedum ac manuum 70. regum quos vicerat, eosque sub mensa tenebat: sic dæmon vniuersos homines, quos superauerat, tenebat: ascendere non poterant ad Deum: descendat ergo ad nos Deus. Si Christus à Patris pectore non descenderet, à iustitiæ monte non declinaret; quis posset sequi Deum factorem suum? Iam descendit ad infima, vt infimi eum sequi possimus. Iam nulla nobis relinquitur excusatio, si eum non sequimur, quando *secutæ sunt eum turbæ multæ*. Ascendit aliquando Deus in montem, cùm plagas tantas Aegypto intulit, mare suis aperuit, manna & aquam de petra dedit, solem stare fecit, aliaque stupenda atque inaudita prodigia, & quàm pauci eum sequeban tur; ijdem ipsi qui hæc viderant, eum continuò reliquerunt, vt vitulos aureos adorarent. Descendens verò de monte, venit ad infima: *Verbum caro factum, & habitauit in nobis*: sequuntur *eum turbæ multæ* tanta contentione, vt innumeras continuò videat Martyrum, Virginum, Confessorum, & Eremitarum turmas, tantaque mundi facta mutatio sit, vt ingens omnes stupor atque admiratio teneret. Mirabilis Deus in maiestate faciens prodigia, sed mirabilior in humilitate: plus descendens fecit, quàm ascendens super Cherubim. Descendente verò Christo, iam prope est sanitas leprosi. *Et ecce leprosus veniens*. Accedant leprosi omnes: iam nobis in terris medicus est: omnis peccator admittitur: *Omne quod venerit ad me, non eijciam foras*: omnis hîc curatur ægritudo. *Naaman Syrus* (sanitatis per Christum leprosis dandæ figura) *vir fortis & diues, sed leprosus*. (adiuncta est lepra peccati diuitijs & delicijs: *Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris, quis est hic? & laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita sua.*) Huic erat in domo captiua Israelitica, (vel ratio naturalis, vel diuina fides, docens in Propheta magno

Apocal. 21.
1. Cor. 6.
2. Reg. 4.
Exod 3. 5. 6. &c.
Ioan. 5.
4. Reg. 5.
Eccles. 31.

Iesu, nobis propositam medicinam.) quæ clamabat: *Vtinam fuisset dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria, profectò curasset eum à lepra, quam habet.* (Licet surdus sis, qui lepra teneris, adhuc quotidie audis clamantem hanc puellam, tibique dicentem: Accede ad Christum, ad confessarium, vt à lepra cureris, quid enim si morte præoccuparis? si ab inferno absorberis?) Tandem victus puellæ importunitate, viam capit in Samariam; sed superba cogitatione ductus, voluit ad se exire Prophetam, & modum etiam curationis sibi indixerat: *Putabam*, inquit, *quòd egrederetur ad me*, & poneret manum suam super me, *& inuocaret nomen Domini Dei sui*. Recedit indignans, quòd non iuxta præscriptum à se modum curetur, (Multi sunt potentes & diuites, qui ad animarum medicum, vel compulsi tempore veniunt: sed si confessarius aliter quàm ipsi velint, eos curare disponit, recedunt furibundi, & alium quærunt mitiorem, qui pro libitu suo eis pharmaca præstet.) donec ei fidelis seruus dicit: *Pater si rem grandem dixisset tibi Propheta*, profectò *facere* debuisses; *quanto magis* cùm dixerit: *Lauare, & mundaberis?* (cùm merueris inferni pœnas, quid magnum à te postulari potest, vt hoc redimas? certè si oporteret omnes mundi labores perpeti, omnes cruciatus subire, &c. an non hæc parua sunt, si cum eo, quod merebaris, conferantur? Si ergo rem grandem tibi diceremus, vt à lepra liber esses, facere vtique debuisses; quanto magis cùm tibi solùm dicatur; *Lauare, et mundaberis*; confitere, & saluus eris; dole & dic, Peccaui, & transferet Dominus peccatum tuum.) Obediuit, lauit, & septies mersus in Iordane, (quod septem Sacramenta designat, quibus à peccati abluimur lepra) ascendit, lepra penitus recedente; regreditur gratias acturus Prophetæ, pluraque offert dona. Saluus factus es, regredere ad Dominũ gratias acturus, ne ingratus videare, vt nouem leprosi mundati: gratias Deo age per Iesum Christum, qui eripuit te de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum suum. Trade te ei, & omnia tua: licet enim bonorum tuorum non egeat, gratum tamen, & beneficiorum memorem animum tuum quasi oblationem & holocausta acceptabit.

ECCE leprosus veniens. Veniat leprosus ad Christum. Omne peccatoris malum hoc est, quod à Deo recessit, & maximè dæmon curat, eum magis ac magis à Deo separare, difficilemque reditum ad eum esse suadere. Nescit verò miser peccator, facilem ad Deum reditum esse, quia non Deus recessit ab illo, sed

ille à Deo: redi eò vnde discessisti, & omnia integra sunt sicut prius. Christus descendit ad te, ascende ad eum, festiuè te recipiet. Sed veni, dum tempus tibi conceditur redeundi, dum ille te expectat, dum desiderat, dum pro te orat: nunc dicit, *Venite ad me omnes*; postea erit clausa ianua fatuis virginibus. accede nunc cum leproso, & efficietur in te illud Iob: *Si reuersus fueris ad omnipotentem, ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos.* Reuertitur ad omnipotentem peccator, tunc ædificatur, quia ante penitus diruta domus erat, & longè fit ab hoc tabernaculo iniquitas. (*Sicut distat Ortus ab Occidente, sic longè fecit à nobis iniquitates nostras.*) Dat verò *pro terra silicem*, quia peccator terra est: *Terra es & in terram ibis*, dictum est primo peccatori; & Psalm. *Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*: huc enim illucque eos dæmon vt puluerem iactat, leui tentatione deijcit, facili occasione ira permouet, superbia eleuat, luxuria inquinat; sed cùm iustus efficitur, iam ponens cum Esaia *faciem* suam *vt petram durissimam*, dicensque cum Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi?* silex est fortis, qui si ictibus feritur, scintillas producit micantes: Si namque tentatur Deum inuocat, cælum suspirat, *sperat in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum. Montes in circuitu eius*, &c. *Pro silice* verò dat *aureos torrentes*: 1. quia pro hac fortitudine qua tentationes superauit, largitur Deus ingentia dona gratiæ, & charitatis: de quo auro in Apocal. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, vt locuples fias.* 2. vel cùm *torrentes* dixit, gloriam intellexit cælestem, de qua dicitur: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* En fructum accessus ad Christum. Accedite ergo ad eum cum leproso.

Iob 22. *Gregorius.* *Psalm. 102* *Genes. 3.* *Psalm. 1.* *Esaiæ 50.* *Rom. 8.* *Psalm. 124*

Psalm. 35.

SED quid accedens leprosus dicat, audiamus: *Domine si vis, potes*. Non ausus est dicere; Munda me, sed quasi de voluntate dubitans, solùm potentiam fatetur, quam tantam tamen cognoscit, vt voluntate non sit inferior: (nullus omne quod vult potest nisi Deus, cuius potentia voluntas est: *Omnia quæcunque voluit, fecit*.) & ita moderatè loquitur, quia se peccatorem agnoscit, intelligens se rem maximam petere, quæ non solo verbo efficiatur, sed sanguinis effusione. Si lepram peccatorum nostrorum ea facilitate tolleret Christus, qua mundum condidit, confidenter posset leprosus dicere, Munda me; sed vt nos mundaret, lepram nostram ipsum sumere oportuit, (*Et nos reputauimus eum quasi leprosum*,) & omnia, quæ de

Psalm 78.

Leuit.13. leproso dicta in Leuitico, in eo completa sunt. Disruptam vestem leprosus ferebat; dirupta est humanitas Christi in passione: os clausum leprosus iubebatur habere; sic os suum in passione clausit, non respondens verbum, *factus sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones* : extra ciuitatem & castra leprosus ire iubetur; sic Christus *extra portam passus est*. Et tandem, vt noueris quanti Christo steterit nostra mundatio à lepra, audi quid ad leprosi mundationem in Leuitic. præcipitur faciendum. Offerebat leprosus duas aues cum ligno cedrino, hyssopo, vermiculo, & cocco. Alter passer immolabatur super vase fictili, & aquis viuentibus, alter sanguine immolati tinctus, dimittebatur liber, leprosus verò sanguine passeris septies tingebatur. Christus & homo duo sunt passeres; Christus immolatur Deo super vase fictili, (in carne mortali;) eius sanguine intingitur homo, cui, vt liber dimittatur, ligatus cedrus, hyssopus, & coccus. Hyssopus petræ adnascens, & mala pectoris purgans, fidem, quæ Christo innititur, & purificat cor; cedrus in altitudinem se extollens, spem; coccus, seu vermiculus, igneo fulgens colore, charitatem significat. Vel lignum cedrinum crux est, quo peccata delentur, in quo hyssopus est Christus Dominus, & coccus (qui datur Raab in signum libertatis) sanguis Christi est, nos liberans à peccato. Si ergo ad nostri curationem necessaria est crux Christi, & eius sanguis; an non meritò leprosus ait: *Si vis?* Ex quibus colligitur emphasis illius verbi Christi: *Volo, mundare. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*. Sine labore condidit vniuersum mundum, sed hoc, *Volo*, ei vitam ademit. Commendat ergo maximè charitatem suam hoc verbo, *Volo*, quo semetipsum obtulit in sacrificium, quo nos mundaremur.

Margin notes: *Psalm* 37. — *Hebr*. 13. — *Iosue* 2. — 1. *Thess*. 4.

ET extendit manum suam. Tangit eum, nec auersatur, aut mouet stomachum lepra eius: amor hæc omnia vincit, vt apparet in matre filium sibi charissimum medente. Insignis Dei in homines beneficentia esset, si nos tantùm respicere vellet, cùm tanta celsitudine nobis præmineat; sed maius multo facis, Domine Deus meus, misericordia mea, mittens Filium tuum, qui extendat manum suam, & leprosos tangat. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me*, &c. Sed quoniam lepram peccatum diximus, & ea infectum peccatorem, aduertamus ea, quæ specialiter admonenda sunt peccatori, ex his quæ Leuit. 14. leproso mandabãtur. Primò, peccator dissuat vestes; non obtegat peccati turpitudinem, sed manifestet; non excu-

Margin note: *Psalm*. 143.

set,

ſet, ſed accuſet. Fecit hoc Adam, aſſuens ſibi folia ficus, vt ſe operiret; quodque exteriùs fecit, hoc & interius perpetrauit, vanas quærens excuſationes, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Secundò, os opertum habeat. Clauditur peccatori os, fiducia docendi, authoritaſque ſermonis. Cùm opere aliud docetur quàm verbo, authoritas verbi minuitur opere contradicente. *Qui alium doces, teipſum non doces? qui prædicas non furandum, furaris? Docebat Christus tanquam poteſtatem habens*, verbo & opere, *non ſicut Phariſæi*, qui verbo tantùm. Tertiò, omnem pilum corporis radat, omnes cogitationes, verba, & opera antiqui hominis, veteriſque conuerſationis deponenda, (*Expoliantes nos veterem hominem cum actibus ſuis*) vt renouetur vt aquilæ iuuentus eius, & induat nouum hominem. Iuſti quidem omnis capillus ſeruandus eſt: (ſic de Nazaræis, Sampſone, & Samuele ſcriptum eſt.) iuſtæ enim & ſanctę cogitationes, verba, opera in æternam ſeruantur retributionem, & augenda hæc ſunt, vt incrementum & perfectionem obtineant. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*. *Offer munus tuum in teſtimonium illis*, ait Christus; vt videntes ſacerdotes te à me mundatum, inexcuſabiles reddantur, mihi non credentes. Quid putas eſſe concionem quam audis? quid Sacramenta? quid tot in Eccleſia leproſos mundatos, peccatores iuſtos redditos? Verè hæc omnia teſtimonia ſunt credibilia facta nimis, tum Dei charitatis in nos, tum obſtinationis noſtri impœnitentis & duri cordis. Iam aduenit ad nos de cælo medicus omnem curans languorem: licet peſſimè ægrotes, ſanari facilè potes; ſi non vis, teſtimonium contra te erit hic leproſus, accedens ad Christum, ſanitatem reportans: teſtis contra te Christus, colligens nunc omnem miſeriam, omniaque tum naturalia, tum gratuita, quæ in te contulit beneficia, in memoria tenens, teſtis contra te gratia, teſtis denique ſanguis Christi, qui modò melius clamat quàm ſanguis Abel, quia nobis clamat, aliquando contra peccatores clamabit, ſicut ſanguis Abel contra Cain.

Genes 3.
Rom. 2.
Coloſſ 7.
Num. 6.
Iudic 16.
1. Reg. 1.
Apocal 22.

Quàm iuſta ſit ſententia contra peccatorem curari nolentem, apparebit, cùm tot teſtibus ac teſtimonijs conuictus erit, &c.

DOMI-

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

THEMA: *Domine, salua nos, perimus.* Matth. 8.

TANTA est rerum nostræ fidei maiestas, vt si vna earum rectè cordi nostro imprimeretur, sufficiens esset, vt nos sanctificaret. Hinc Prouerb. 7. *Fili mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi; legem meam liga in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.* Vt verò aliquid horum cordi nostro insideat, eique perpetuò hæreat, conducit maximè experientia, qua in nobis experti sumus veritatem aliquam fidei. Sæpe audiuimus Deum nobis prouidentem, nostras curantem ærumnas; sed quasi non intelligimus, donec in necessitate positi, è cælo nobis auxilium venire videmus; tunc illud planè cognoscimus cum Psalmista: *In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui, quia Deus meus es tu:* scimusque quòd *beneplacitum est Domino super timentes eum, et in his qui sperant super misericordia eius*: ipso testante: *Quoniam in me sperauit liberabo eum; protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.* Et hoc præcipuè oportebat Christi discipulos probè nosse, qui in vniuersum erant orbem dispergendi, qui multis agitandi periculis, qui summopere indigebant Dei auxilio, omnibus præsidijs humanis destituti cùm essent. Viderant multa Christi opera, quibus se pium ac misericordem in alios ostenderat, sed in seipsis hæc non viderant; ideo hodie in necessitate positi sunt, vt experti diuinam in se clementiam, discant spem habere firmissimam, fidem non modicam, sed magnam. Nos miseri auarique cùm simus, nescimus sentire de Domino in bonitate, & maxima ab illo sperare; sed eum cogitamus similem nostri, cùm tamen ipse vult tantam in se nos habere fiduciam, vt dicamus cum Psalmo: *Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris*: maximeq; omnibus manifestum esse voluit, velle se nobis succurrere, & paterna viscera habere ad nos, nostraque. Hinc illa: *Omnis qui petit, accipit; qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur. Aut, quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se!* Argumentum à maiore ad minus: facilius asserit esse, à Deo obtinere omnia bona, quæ ab

Psalm. 55.
Psalm. 146.
Psalm. 90.
Chrysostomus.
Psalm. 45.
Matth. 7.

eo petere possumus,quàm à patre panem, vel piscem. Vide Dei infinitam bonitatem,summam in nos clementiam & dilectionem. Vitio ergo dandum homini est, quòd modicæ fidei sit,vt hodie Christus exprobrat discipulis. Esto vir maximę spei,summaq; fiducia prędítus;nec vlla sit tēpestas,quamlibet magna, quæ te terreat, dum vides Deum tibi adesse. *Noli timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Genes.15.
Quid timeat ouis cùm in humeris manibusq; illius sit pastoris, qui loquitur: *Nemo rapiet eas de manu mea?* Quid pullus timeat aquilæ, cùm sub vmbra alarum eius protegitur? Quid sponsa,quam dextera amplexatur sponsi? *Noli timere,ego protector tuus; meus es tu:cùm transieris per aquas,tecum ero, & flumina non operient te.* Esto ergo similis Abrahæ, qui in spe contra spem credidit. Hæc verè fides magna, spes præclara. Vt hoc edoceat suos Christus,nauim cum eis conscendit. Ioan.10. Esaiæ 43. Hebr.11.

Ascendente Iesu in nauiculam. Quid, Domine,naui vehi vis,qui Israelem per medium mare duxisti? Resp. 1. Ne dum omnia Christus mirabiliter facit, auferret quod mirabilius fecit: vt ostendat se verum hominem(quod omnium mirabilium maximè mirabile est) naui vti voluit. 2. vt se ostendat in Ecclesia sua esse,quę est nauicula.Similis est status Ecclesiæ magnę naui, quæ ex diuersis regionibus viros portat per vndosum pelagus ad securum portum,& ciuitatem magnam, quò omnes ire contendunt. Ecclesia enim sicut nauis perampla est ac patens in superiore parte, qua cælum respicit, vt inde recipiat omne bonum, quod de sursum est; & omnis diuinus influxus ad mundum veniens,in eam venit;hinc reliqua omnia,pręter Ecclesiam, perdita omnino sunt, ac vastata: qua verò parte aquas(mundum)tangit,est angusta,clausa,bitumineque linita interiùs exteriusq;, ne aquæ subintrare possint, eamq; demergant. Est quidem Ecclesia in mundo,ideo aqua indiget;homines sunt,qui in ea versantur, temporalibus egent subsidijs: sed ad hæc angusta est,(*Habentes alimenta,& quibus tegamur,his contenti sumus.*) expectat æterna,ideo temporalia minus curat; & bitumine linitur,ne hæc tēporalia cor penetrare valeant (*Diuitiæ si affluant,nolite cor apponere. Fratres,nolite diligere mundum, nec ea quæ in mūdo sunt Obsecro vos tanquam aduenas,et peregrinos, abstinere à carnalibus desiderijs.* Vis videre hominē aquis obrutū insanis,quòd eas intra cor receperit? Audi diuitē dicētem: *Destruam horrea mea, & maiora faciam:habes anima mea in annos plurimos.Stulte,* aquā bibisti, qua peribis;*hac nocte repetent animā tuā;*

Augustinus. Clemens Papa in epist. 1. ad Iacobum. 1.Tim 6. Psalm 61. 1.Ioan.2. 1.Pet.2. Lucæ 12.

& quæ

& quæ parasti, cuius erunt? Vis è diuerso conspicere alium, in quem aquæ non intrârunt? *Reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Nomen fuit fidelium, Gens quę omnia despicit terrena, expectans cælestia: & hoc dignoscuntur ab adulterinis Ecclesiæ filij, qui *quæ sursum sunt, quærunt; quæ sursum sunt, sapiunt; non quæ super terram* Sed quid est quod Christi nauis (Ecclesia) nauicula dicitur, cùm Beatus Clemens vocat eam nauem grandem? Respond. Ecclesia nauicula dicitur, 1. nomine significante eam paruam esse: humilium enim & paruulorum est, non superborum & arrogantium. Elegit Christus pauperes, & ea quæ non sunt, in ministros Euangelij; Principibus Ecclesię dixit: *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic; sed qui maior est inter vos, fiat sicut minor;* Sacramenta instituit in vilibus vulgaribusque elementis, non in rebus pretiosis, in aqua, pane, vino; & omnis Euangelica doctrina docet patientiam, humilitatem, tolerantiam 2. nauicula dicitur, quia pauci in ea saluantur, vt in arca Noë. Nauis verò grandis appellatur, 1. quia interior Ecclesiæ vis ac virtus est immensa, exteriùs parua, interiùs magna: doctrina eius est sapientia maxima: (*Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduersarij vestri. Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*) Sacramenta, quæ vilia apparent exteriùs, intus plena sunt vi diuina conferunt gratiam, cælestes fores aperiunt. Opera, quę in hac Ecclesia fiunt Dei gratia, licet parua, gloriam merentur; ieiunium tuum, oratio tua Deum habent mercedem: & eius filij, licet exterius parui, homines magna virtute, maxima fortitudine. 2. magna nauis dicitur, quia omnes recipit nationes. *O Israel, quàm magna est domus Domini,* &c. Hanc nauim Christus ingreditur cum suis: ductor eius Christus est Dominus soli eius discipuli in ea sunt, quia in Ecclesia solùm sunt fideles: Arbor huius nauis, crux est; vela, virtutes; aër ventusque illam ducēs, Spiritus sanctus. (*Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*) Nulla tempestas, nullum discrimen est quod preualere possit contra eam non Syrtes, non Scylla, non Charybdis: *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

1.Cor 7.
B. Damasc. in histor. Iosaphat.
Lucæ 22.
Lucæ 21.
1.Ioan 5.
Baruch 3.
Psalm. 142.

ECCE motus magnus factus est in mari Continuus est in mari motus, & continua in hoc mundo fluctuatio atque tentatio, sed in tentatis diuersitas est. D Gregor. Nazianz. cùm reuerteretur ex agro quid ex eo fructus acquisierit, his verbis declarat: Deambulabam in littore, & aspectus ad mare dirigebatur: Erat

Orat. 26.

rat autem spectaculum illud nequaquam iucundum, licet alias sit gratissimum, cum tranquillum est & purpurascit, leuiterq; ac placidè littoribus alludit. Vento ergò magno flãte insurgebat mare & fluctuabat. Vnde autem partim à longè intumescebant ac paulatim attollebantur, inde confractæ littoribus illidebantur. Aliæ autem proximis impactæ scopulis ac repulsæ, in spumamque versæ leuitate sua in altum iactabantur. Tamen conchæ & fluctus marinus, nec non ex ostreis leuissima quæq; nunc eijciebantur, nunc verò resorbebantur cum vnda rediret. At quædam immobilia erant nec perturbabantur, præterquam quòd vndis tundebantur. Non fuit mihi inane spectaculum illud: sed visio ista facta est mihi institutio. Nonne igitur dicebam mare vita nostra est? humana enim multum falsi ac instabilitatis habent. Venti autem sunt tentationes incidentes, & quæ insperatæ veniunt. Ex ijs autem quæ tentabantur, quædam mihi ostrearum demortuarum testæ leuissimæ videbantur, quæ flatu hinc inde iactarentur, & nihil omninò tentationibus resistebant. Non enim in seipsis robur habebant, nec grauitatem consilij sapientis, quibus aduersitatibus resistere possent incidentibus. Quidam autem videbantur petra, Petra illa digni super quam firmati sumus; & cui seruimus quicunque sapienti vsi ratione omnia tolerant constanter & inconcusse &c.

Simile. Gregor. Nazianz.

Mare est vita nostra.

Præterea *Ecce motus magnus*. In Christum mare intrantem insanit mare. Ingreditur mundum Christus Dominus, & quando ei occurrere debuit obsequio, odio armatur in eum & in suos, sed gratis: nihil enim mali à Christo & suis mundus accepit.

Mundus insurgit in Christum & suos.

Secundò quemadmodum in fugitiuum Ionam mare insurgit, nec quiescit, donec absorbeat eum: sic contra Christum, quod figura peccatoris sit: nec quiescet tempestas, donec absorbeatur morti traditus. Audi clamantem: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Maledictus homo fuit: sed Christus *pro nobis factus est maledictum, vt nos à maledictione eriperet*: & in eum sæuit tempestas diuinæ iustitiæ, vt serenitas misericordiæ nobis relinquatur. Sed quis, obsecro, videt etiam vilem seruum pro se multa patientem, nec eum respicit summa dilectione & gratitudine? Intuere ergò modo Christum pro te vndis iactatum,

Allegoria. *Ioan. 1.*

Psal. 68. *Galat. 3.*

A simili.

Simile. idque ijs oculis, quibus filij è littore patrem conspiciunt multa pro alendis illis sustinentem.

Filij fideles probantur. *Tertiò* mare turbatur, vt probetur fides discipulorum. Solùm probatos amicos Deus magnificat. sic Iudith. *Omnes patres nostri probati sunt, et fideles in tentatione inuenti.* Sic tentauit Abraham; & ille fidelis inuentus est. Sic *tanquam aurum in fornace probauit electos do[illegible] [illegible]us.* 1. Pet. 1. *modicum nunc si contristari oportet* &c. Tibi quidem multum apparet longumque tempus sed modicum nunc Petrus dicit. Tentat ergò te Deus, probatque an ex toto corde eum diligas: vt te fidelem amicum & firmum ostendas, tentationes tibi adesse vult, in quibus fidelis inuentus coroneris. *Ideo tu locum tuum ne deseras, sed labora sicut bonus miles Christi Iesu.*

Iudit. 8. Sap. 3. Iacob. 1. Tempus tentationis breue. Eccl. 10. 2. Tim. 2.

Ipse verò dormiebat. Noui Domine indigere te somno, qui quies es totius animalis; labor enim immensus tibi est in negotijs nostris peragendis.

Luc. 6. 11. Somnus mysticè quid velit. Sed ecce *excitauerunt eum dicentes: Salua nos.* Modò Domine dormis tu, qui in oratione pernoctare solebas? Sine dubio somnus iste mysterio plenus est: tali nanque tempore non dormiret, nisi nobis somnus doctrina esset. *Primò* ergò dormit, vt nunc dicebam, vt suos probet, & maxima omnium probatione. Aliquando tentat iustum, sed manifestè ostendit se ei adesse; hæc non est probatio maxima. Si enim homo Deum videt in auxilium suum paratum, vt Stephanus videns Iesum stantem, facilè dicit cum Iob. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*. At cum sic tentatur iustus, vt se solum videat Deumque quasi dormientem nec auxiliantem, vt diceret possit, *Magister non ad te pertinet, quod perimus*? hæc est tentatio maxima. Hoc omnium maxime Iob commouit, vt diceret, *Oro & non respicis, clamo & non exaudis: mutatus es mihi in crudelem &c.* Et cum Psalm. *Quare faciem tuam auertis? Obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ*? Non ista probatio omnium est, sed perfectorum: nec persæpe sic Deus tentat, sed rarò. Sic tentatus fuit & probatus primus Ecclesiæ Magister Christus in cruce, cùm dixit, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.*

Iusti tentatio duplex: minor & maxima. Iob. 17. Marc. 4. Iob. 30. Psalm. 43. Tentatio maxima perfectorum est. Psalm. 21.

Perfecti & imperfecti status. *Secundò*, sicut in discipulorum timore & anxietate ostenditur imperfecti hominis status: ita in Christo viri perfe-

perfecti pax, tranquillitasque mentis eius in aduersis. Nunc Petrus vt imperfectus turbatur: deinde eum perfectus esset, in carcere vinctus catenis duabus in crastinum moriturus dormit. Sapi. 13. *Quoniam donum & pax est electis Dei.* Et hoc est illud pactum pacis, quod Deus pepigit cum iustis, Ezechiel. 34. *Et faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra, et qui habitabant in deserto securi dormient in saltu.* *Actor. 12.* *Sap. 13.* *Ezech. 34.*

Tribus verò fundamentis innititur hæc iusti pax in omni tribulatione. *Primùm* est conscientiæ securitas, qua anima pace plena cum sit, externis turbari non potest; sicut contra impio pax esse non potest: Prouerb. 15. Secura mens quasi iuge conuiuium. *Secundum* est consensio & conformatio cum diuina voluntate, vt Iob. *Sicut Domino placuit, ita factum est.* *Tertium* est firma in Deo spes. Norunt enim, licèt dormire videatur, *tamen oculos Domini super iustos esse, & cæt.* Si Iulius Cæsar nautæ dixit in summa tempestate. *Ne timeas, Cæsarem & fortunas eius tecum fers*: Quid timeat iustus, quid non speret, cum Christum secum in nauicula habeat? Nouit ideo insurgere tempestatem, *vt ponat in Deo spem suam & non obliuiscatur operum Dei, & mandata eius exquirat?* *Pax iusti tribus innititur.* *Conscientiæ securitas.* *Consensio cũ Deo.* *Firma in Deo spes.* *Psal. 33.* *Psalm. 77.*

Domine, Salua nos. Accedunt ad Christum. Nihil melius præstare potuerunt: aderit illis diuinum auxilium: Quidam visa tentatione non ad Deum accedunt, sed ab eo recedunt, & sic se securos putant: & omnino falluntur: de quibus Ecclesi. 2. *Væ eis qui perdiderunt sustinentiam.* Quid faciet, cùm inspicere cœperit Dominus, & dixerit; Perdidisti sustinentiam, declinasti in viam prauam? Væ tibi. Quid ergo faciendum nobis est? Accede ad Deum humili oratione. Alleuia nauem, vt hi fecerunt, qui cum Iona & Paulo tempestate iactabantur. *Primùm* alleuianda nauis est, ne tempestate facile demergatur. Quid in profundum mersit magnam nauem Tyrum? Sodomam? Samariam? Nimium onus eorum; *abundantia panis.* *Videte ergo ne grauentur corda vestra crapula, ebrietate.* Tentaris, affligeris, alleuia nauem; proijce in profundum omnia peccata tua vera confessione; sume cibum, communionem; da eleëmosynas, tolle delitias. Nauta prudens videns tempestatem vela complicat; sed peccator stultus, si quo validiori vento tentatur, *In tentatione quid sit faciendum.* *Eccle. 2.* *Ionæ 1.* *Act. 27.* *Ezech 16.* *Lucæ 21.* *Simile.*

eo magis vela explicat, quomodo non periturus est? Si tentaris, & in hac tempestate vacas delitijs, vanitati inseruis? sine dubio es submergendus. Quod venti perflent præcipuè in mari mirum non est. Sic mirandum non est tentationes insurgere in nos: nec eo differunt iustus & peccator; omnes enim tentantur. at hæc inter impios & iustos est differentia, quòd post peccatoris tentationem exeunt bestiæ à corde eius, vt Daniel vidit, bruta scilicet desideria, opera à ratione aliena. *De corde exeunt*, inquit Christus, *malæ cogitationes &c.* Sed in corde iusti post tempestatē trāquillitas fit maxima. Periti nautæ in tempestate altum petunt, terram fugiunt, ne nauis rupi illidatur: cùm te iactari videris tentatione, terram fuge, terrenas consolationes deuita, dicq; cum Psal. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.*

Simile. *Necessitas tentationū.* *Dan. 7.* *Differentia iusti & iniusti in tentatione.* Simile. *Psalm. 79.*

Imperat ventis & mari, & obediunt ei. Imperat homini & inobediens est. An non meritò hic dicetur: *Erubesce Sidon, ait mare.* Sed quare? Quia ego obedio creatori, tu verò secus. Marcus ait Christum dixisse, *Obmutesce, quiesce*. Quoties verba hęc dicta tibi sunt à Deo: Quiesce homo irate. obmutesce iurator, maledice, impudice. & ecce inobediens factus es adhuc. 3. Reg. 13. Venit vir Dei & loquitur ad altare, & continuò obedit voci Dei, scinditur & cinerem fundit: loquitur ad Ieroboam, & non audit. Mira cordis humani durities; frangitur & obedit petra; illud verò permanet in duritia sua. Meritò mare & lapis dicent nobis. Erubesce inobediens homuncio. Hac enim ratione dixit, *Tace, obmutesce*, vt imperio suo mare obedire cognoscerent homines, & inde saltem obedientiam discerent. Iam non Rechabitarum, sed maris exemplo confunduntur inobedientes. Est cor tuum vt mare feruens, cum ira illud iactat, cum luxuria trahit; Audi imperantem Christum, *Quiesce, tace*, an non obedies? Imperat Deus igni Babylonico, ne comburat pueros, & famelicis Leonibus, ne Danielem tangerent, & continuerunt rabiem famemq; suam. Homo verò iratus flammas suas mittet in proximum, & deuorabit carnes fratris sui, inobediens Deo suo? Terminum Deus posuit mari, & non præteribit, & ait: *Hic confringes tumentes fluctus tuos*, & obediens fuit: Tu verò, quia libertate donatus es, quod summū est Dei beneficium, cum offendis? & quo maximè continēdus eras in Dei obsequio, eo maxi-

Creaturæ obediūt creatori. *Isa. 23.* *Marc. 4.* *Inobedientia hominis.* 3. *Reg.* 13. Allegorica comparatio. *Ierem. 35. & 5.* *Isa. 57.* *Dan. 3. & 6.* *Iob 38.*

eo maximè effrenis efficeris? Hanc hominis futuram inobedientiam præuidit Deus in eius conditione. Cum enim cæteras creaturas vno verbo condiderit, absque consultatione & addiderit, *Vidit Deus, quod esset bonum*: hominem tamen non vno simplici verbo sed magno cum consilio, condidit. & quia inobedientem futurum nouerat, licet optimum creauerat; non addidit, *Vidit Deus quod esset bonum*. Discamus ergò ab omni creatura obedire creatori, &cæt. *Gen. 1. & 2.*

DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM.

THEMA: *Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit. &c.* Matth. 13.

CVM vniuersum hoc Deus condidit, in eoq; homines collocauit, intendit iustos probosq; viros disseminare, sicq; vniuersum quasi Dei Paradisum efficere. Vt quid putas mundum factum esse? Verè vt ager esset, quo boni seminarentur, non enim propter peccatores conditus est. *Omnia propter vos.* Contrà Dæmonis est, sata Dei perdere superseminatis zizanijs. Seminat Deus in Adam & Eua vniuersa bona semina tum naturę, tum gratiæ; sed super seminauit serpens zizania, pomi desideriũ, & hoc facto perdidit agrum Dei. Multa bona in Isräelitica gente seminauerat Deus: sed dæmon superseminat desiderium Aegypti & ciborum eius. Seminauerat multa bona in Dauid: sed superseminat dæmon adulterium & homicidium; & sic in reliquis. Hæc hodierna parabola explicantur, quæ sic ait.

Dei studium iustos seminare. *2. Cor. 4.* *Dæmonis conatus perdere sata Dei.* *Genes. 2.* Exempla. *Exodi 16.* *2. Reg. 11.*

Aliam parabolam, &c. Hieron. hic. Sicut in conuiuio cibos multos diuersosque proponis inuitatis; vt qui vnum non gustat, alium degustare possit: Sic in Euangelio Christus dominus, vna proposita parabola seminatoris, aliam etiam adijcit, vt quem illa non pascit, hæc pascere possit. Simile.

Simile est regnum cælorum. Verbum hoc, *regni cælorum* vsque ad Christum auditum nõ fuerat, nec illud vllus Prophetarum vsurpauerat: Regi enim cælorum seruabatur verbum hoc. *Quia Deum nemo vidit vnquam, sed vnigenitus,* *1. Ioan. 1.*

qui est sinu Patris, ipse enarrauit. Sicut ergò testis oculatus omnia distinctè testificatur, alij verò confusè: ita Christus de cælorum regno distinctè clareque disseruit, illudq; nominauit, vt est. Sed licèt regnum cælorum præcipuè beata patria dicatur; hic tamen Ecclesia, quia via est ad illam, etiam regnum cælorum dicitur.

Simile.

Dei natura se omnibus dare.

Homini qui seminauit bonum semen. Diuinum ostendit ingenium his verbis, quodque maximè ei proprium est; hoc est, omnibus dare ac seipsum communicare: nomen eius, *Largitor omnium bonorum*, omnia & omnibus dans. Hoc primum fuit nomen, quo se Deus patribus reuelauit, in Deo Sadai, id est, omnia satians, omnibus largiens, & omnia quæ habet donans. Non est huius ingenij mundus, qui potius noua horrea facit, quibus bona recondat sua, ne alteri præstet. Assuerus solis septem sapientibus concedebat ante ipsum stare: at Deus noster vult omnes spiritus & homines eius faciem semper intueri. Petit Israël à Sehon rege Esebon tantum transitum: sed noluit Sehon concedere, quin exercitu coacto iter impedire conatur. Talis est huius seculi vsus: si inuenit quis viam, qua facilè diues sit, operit viam, ne alius eam videat. Non sic Christus, qui, quam suam in gloriam viam aperuit, omnibus manifestauit, vt eam ingrediamur. Nabuchodonozor solus haberi vult Deus in terra: non sic Deus noster; sed ait: *Ego sum lux mundi*: sint alij etiam lux mundi. *Ego sanctus*, vos quoque sancti estote. *Ego Deus, & ego dixi Dij estis.*

Sadai.

Mundi ingenium.

Esth. 1.

Iudit. 1.

Ioan. 18. 9.

Matth. 5.

Leuit. 19.

Psalm. 81.

Ioan. 10.

Bonū semen.

Sed attende: *Seminat bonum semen in agro suo*, id est, bonos in mundo, & in vnoquoque homine plurimum semen bonum iecit. Hoc verò in te ipso facilè videbis, si attendas diuina in te dona. Dedit tibi rationem rectam, inclinationem voluntatis in bonum: baptismo dedit tibi omnes virtutes, ac dona Spiritus Sancti, super naturalia & naturalia dona quamplurima. Quid tanto in te iacto semine sperari à te potuisset? Certè summa gratitudo, innumera obsequia in Deum. Accipiens beneficium similis esse debet terræ optimæ, prędio pingui, quod centum dat vno accepto. Si hac ratione Deo nostro compensandum esset, qualia quantaque obsequia ei deberemus? Sed etsi vnum pro vno redderemus, innumera præstaremus. Dic ergo cum Psalm. *Benedic anima mea Domino, & noli*

Senecd.

Simile.

Psal. 102.

noli obliuisci omnes retributiones eius. Pluit Dominus manna *vt semen coriandri*, vt in forma seminis ostenderet omnia bona, quæ nobis ab eo proueniunt, semina esse: & beneficia Deum conferre, est ipsum *seminare*. Quo intelliges, sicut à terra, quam seminasti fructum quæris, & meritò: maledicisque eam, quæ illum non dat: ita à te exigetur fructus, cùm beneficia Dei receperis; quem si non dederis maledicto subiacebis. Existimas, ô homo, in obliuione esse coram Deo, quod te condiderit? redemerit? in Ecclesia constituerit? sacramenta dederit? Absit. *Existimasti iniquè, quòd ero tui similis*? Sed quid est, *Ero tui similis*? Nos recipimus dona & obliuiscimur, vnde ait, *Populus meus oblitus est mei*: Non est Deus nobis similis; recordatur enim beneficiorum, quę in nos contulit, & in iudicio in memoriam reuocabit, quibus malè vsi sumus. *Dedi eis argentum & aurum*, dicet, *quæ fecerunt Baal*, & ipsa diuina dona nos condemnabunt. Absalonis speciosi capili, ei in interitum fuerunt; sic præcipua Dei dona tibi collata damnationis æternæ tibi causa erunt, si eis ingratus reperiaris.

Seminare est beneficia conferre.

Simile.

Psal. 49.

Hierem. 2.

Venit inimicus, & superseminauit zizania, id est, malos prauosque homines. *Vis imus & colligimus ea*? Ostendunt Angeli, serui huius patrisfamilias se paratos ad vltionem inimicorum. Dicunt, *Imus*, quasi qui in altera regione sunt, scilicet in cælo. Eos paratos ostendit Psalm. *Gladij ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, &c.* Nec verò solùm Angeli, sed omnis creatura, Sapient. 16. *Omnis creatura tibi creatori deseruiens excandescit in tormentum aduersus iniustos*. Sicut enim serui videntes Dominum lædi, armantur contra offensores: sic omnis creatura contra peccatorem.

Zizania.

Psalm. 149.

Sapient. 16.

Sed tanta est diuina bonitas, vt dicat, *Non. Sinite vtraq; crescere vsque ad messem.* August. Ego offendebam te Domine, & tu me defendebas. Vidistis aliquando hominem, qui ab inimico multa patitur vulnera, & seruis suis ipsum defendere paratis dicat: Sinite eum licèt me confodiat, imò multa bona præstate? O diuinam immensamque in nos bonitatem. Offendimus te, & Angelis dicentibus, *Vis imus colligimusque eos*? dicis, *Non*: imo custodite, in manibus portate, à dæmonibus defendite.

August.

Simile.

Diuina bonitas.

Sinite vtraque crescere. Sed quare Deus improbos tamdiu patitur, expectat, crescereque finit? Plures sunt causæ.

Cur Deus improbos tamdiu patiatur.

1. ratio. Quarum prior sit communis. Ortum pomum non continuò decerpis, sed crescere sinis in perfectum statum: Sic Deus noster cum hominibus agit probis & improbis. Iustum, quem Deus in gloriam ducere decreuit, expectat, donec peruenit ad maturitatem & statum suum. Similiter statuit impium expectare vsque ad certum tempus, & tantam peccatorum mensuram, vt de Amorrhæis dominus

Genes.15. dicit. *Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Qua in

Exod. 20. re impio vsuvenit, quod vasi fictili vacuo vel semi pleno: non absorbetur ab aqua, sed supernatat, & inclinatur modo huc, modo illuc, donec aqua repletum descendit *in profundum quasi lapis.* Sic apud Deum decretus est numerus peccatorum, super quem non expectabit vltra peccatorē, sed continuò in eum proferet sententiam. Et hoc est illud

Psalm.57. Psal. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viuentes sic in ira absorbet eas.*

Spina & rhamnus. Spina tenerior est, rhamnus verò dicitur cùm creuit spina & induruit. Ante ergò quàm perueniat ad hoc vt sit rhamnus, id est, ante peccatorū summam plenitudinem succidetur. Hac ergò ratione dicitur, *Sinite vtraq; crescant vsque ad messem.*

Secunda ratio est: In maximum malorum supplicium

2. caussa. eos in malitia crescere Deus patitur, vt qui in sordibus est,

Apocal.22. sordescat adhuc. Hanc verò iram Dei in eos esse ostendit

Psalm.80. Psal. *Et non audiuit populus meus vocem meam; & dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* Et hoc quasi extremum Dei supplicium proponit Paulus, dum scribit Deum *tradidisse impios in desideria cordis eorum.*

Rom.1. Relinquere enim mihi gladium, quo me confodiam, ira est: misericordia verò, à me tollere. Misericordiam dicit punitionem Moysi & Aaroni adhibitam Psalmogr. *Deus*

Psal.98. *tu propitius fuisti eis, vlciscens in omnes adinuentiones eorum.*

Simile. Vulnus, quod infligit chirurgus, vt cureris, vulnus amici est; quia ordinatur ad vitam: at vulnus quod hostis tibi infligit, vt occidat, inimici vulnus est. Huiusmodi est peccati vulnus. Quanta, quam horrenda, & crudelis hæc pla-

Psal 7. ga sit, quæ *sagittis ardentibus* efficitur, id est, cum peccatum

Li. 7. moral. ca.7. vel 8. in Iob. peccato punitur, nouit ille, qui scit, quantum sit malum, Deum amittere & offendere. de qua re multa Greg. Vnde & Psal. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam.*

Psal.108.

3. ratio. Tertia ratio est, Misericordia Dei in improbos. Videns enim

enim Deus atrocitatem pœnarum inferni, ſummam & æternam illam damnationem, quæ omnem ſuperat cogitatum, meritò non ſtatim illuc homines trudit. Hoc ſignificat Pſal. dicens. *Vides quoniam dolorem & laborem conſideras, vt tradas eos in manus tuas.* id eſt. Tu Domine conſideras laborem & dolorem æternum, quantus ſit, & ideò non continuò tradis peccatores in manus tuas puniendos. Similis in hoc factus patri, qui ſolet nimium iraſci, crudeliterque caſtigat, cùm caſtigandum eſt; quod ille agnoſcens abſtinet à filiorum animaduerſione, donec nimiam vltionem commeruerint. Rectè Abac. *Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis*. Ideo modò ait, *Non: ſinite vtraque creſcere vſque ad meſſem*, non tam cito peccatorem diſperdatis. An non te diuina miſericordia cohibet? An vel ex Deo tuo non diſces, cùm peccatum opere completurus procedis, ſubſiſtere pauliſper & dicere: Hoc ego perpetrabo facinus? Deum meum offendam? Tantum crimen non committam; quia etſi homo ſum, ſed Deo ſubditus.

Pſal. 9. *Simile.* *Abac. 3.*

Alligate in faſciculos. Vt ſocij delictorum ſint etiam in ſupplicio ſocij. Fient tunc faſciculi, vt fieri ſolet à meſſoribus. Fiet faſciculus ſuperborum, & dabuntur in opprobrium ſempiternum. Fiet faſciculus auarorum, & dabuntur in æternam paupertatem. Faſciculus voluptuariorũ, & dabuntur in ignem æternum & ſulphur. Similiter etiã boni in faſciculos colligendi ſunt. Vnde cum ſancti antiqui moriebantur, dicebantur ad Patres colligi Deut. 32. 2. Paral. 34. *Colligam te ad Patres tuos*. Dicuntur verò pij colligari faſciculo viuentium, quaſi flores colligantur, vt ſint in manu Dei, quia iuſtorum, qui roſæ & flores dicuntur, animæ ſunt in manu Dei. Nec verò ſpiritus ſolũ iuſtorum alijs ſanctis ſpiritibus iungi optant, ſed & ſua corpora corporibus ſanctorum iungi volebant. Sic Iacob adiurat Ioſeph, & is fratres ſuos, vt ex Aegypto corpus abducatur, & ſepeliatur cum Abraham & Iſaac.

Gregor. *Faſciculi malorum & bonorum.* *Deut. 32.* *2. Par. 34.* *Sapien. 3.* *Eccle. 39.* *Geneſ. 47.* *Geneſ. 50.*

Quid hinc nobis reſtat, niſi vt iuſti creſcant *vſque ad meßem*, ſicut impij contrà creſcunt vſq; ad iudicium, *quoad vſq; iuſtitia cõuertatur in iudiciũ*. Creſcẽdũ nobis eſt. Creſcant in gratia Iſraëlitæ in deſerto, & in malitia habitatores terræ promiſſæ. *Meßis tandem veniet, qua triticum colligatur, in Dei horrea, & zizania comburentur*. qua habitatores

terræ illius deleantur, & Israëli terræ in possessionem detur: sed vt id fiat, expectetur messis. Quomodo Domine promisisti regnum Dauidi, & ecce fugitiuus est, Saul verò in regni delicijs? *Sinite vtraque crescere*. Crescat Dauid sanctitate & iustitia: Saul iniustitia & peccato. Quomodo errat in montibus Elias afflictus, Iezabel in delitijs aulę regię? *Sinite vtraq; crescere*, donec Iezabel pręcipitetur è fenestra, & Elias curru vehatur igneo. Non durabis peccator, nisi vsque ad diem messis: tunc metendus eris. Ideo ne lęteris, non durabunt iustorū mala, nisi in diem illum, tunc illorum *iustitia conuertetur in iudicium, tunc ascendent ad populum accinctum*, seu collectum nostrum.

Aug in Psa. 93. donec fodiatur peccatori fouea.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

THEMA: *Simile est regnum cælorum grano sinapis, &c.* Matth. 13.

Hebr. 9.

TABERNACVLVM veteris legis inter alia mēsam propositionis pane calido semper refertam, atque lucernam iugiter illuminantem continebat. Non erat necessaria lux eximia, vt panis videretur, sed vt eius mysteria agnoscerentur. Mensa nobis proposita diuina scriptura est, de qua scriptum est: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me*. Vt mysteria huius mensæ agnoscamus opus nobis est cælesti lumine: quod qui non habet peccator, cælestia non videt. Christus in mundum veniens hanc nobis proposuit mensam, præstititque cibum, quem mille nobis parat modis, mille parabolis ornat, vt sit nobis dulcissimus, expetibilisque. Sic hodie proponit sinapis & fermenti parabolas. *Sinapis*, salsamentum est ciborum, *fermentum*, panis quotidianus. Ne lux nobis desit ad ea contemplanda, accedamus ad matrem luminis Mariam. &c.

Psalm. 22.

Regnum Christi, de quo tam magnifica dicta fuerant per Prophetas, vt Israël expectaret regnum superbum & gloria ornatum, hodie à Christo dicitur *granum sinapis, & parum fermenti*.

Psalm 71. Abac 3. Daniel 2.

Quæritur autem quomodo Regnum Dei *grano sinapis* cōferatur, (quod est enim regnum tā minimū?) Respōdetur: Regnum

Regnum Dei gloriosum

Regnum quidem in alia vita nobis promissum, maximum est per omnia, tam interius, quàm exterius, in corpore & anima; vt nulla vnquam natio hominum simile quid sperauerit. At regnum Dei, quo in nobis modo Deus regnat, & quod *intra nos nunc esse* à Paulo perhibetur, hoc etiam magnum quid est, thesaurus est infinitus & incomparabilis: sed huius magnitudo exterius non apparet, quia intra nos est. Exterius *granũ sinapis* est; sed magna intus latet virtus. Quod si Deus oculis nostris aperiret diuitias intra iustum latentes, videremus infinitum diuitiarũ cumulum. Has verò attulit primo suo aduẽtu Christus mundo, non perituras diuitias, gloriamq; temporalem, quæ omninò nihil est. Ideo ille factus est, velut *granum sinapis*, humilis, mansuetus, omni virtute ornatus, vt nos similes sui esse edoceret. Pauperem verò vitam Christum ducturum ostendit. Zach 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iustus & Saluator, ipse pauper*. Si ergò veras diuitias amamus, harum copiam summam Christus nobis detulit: hoc est regnũ eius. Ideò ille dicit: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Diuitias verò & oĩa temporalia despicienda ostendit: quod & naturalis ratio pluribus Philos. declarauit, qui perituras cõtempserũt diuitias. Meritò ergo *simile est regnum cælorum, grano sinapis*.

quomodo grano sinapis conferatur.

Iusti diuitiæ intrinsecæ.

Ioan. 12.

Sed quid est hoc *granum sinapis* Hieronymus ait: Verbum Dei, prædicatio Euangelica. Et dicitur regnum Dei, quia reges facit sui obseruatores; nec alio titulo aut via in cœlum ingredi licet, nisi huius verbi obseruantia. Ex quo infert Iacob. *Suscipite insitũ verbũ, quod potest saluare animas vestras*. Ecce in in verbo Euangelij, in hoc *grano sinapis*, animæ tuæ salus est. mirabilẽ profectò verbi vim. *Creuit* hoc verbum per vniuersum terrarum orbem, & fit *arbor*, ad quam *aues cæli* venerunt, omnes scilicet sapientes seculi, & omnes reliqui. Verbo hoc mundus vniuersus conuersus est.

Granum sinapis.

In Matt. c. 13.

Iac. 1.

Vis diuini verbi mirabilis.

Sed obijcis. Audiui verbum istud, nec in me tanta operatum est. Hoc inde prouenit, quod non attendis eum, qui ad te loquitur verbum istud. Laudat hodierna Epis. Paulus Thessã. *Quia cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicut verè est verbũ Dei*. Tu verò conciones audis & hominem tibi loqui putas, cum verè Deus loquatur. Cogita ergò, cum Euangelium audis, Verba Dei sunt ista, & tunc *sinapis* vim senties.

Verbum Dei cur in nobis nõ operetur.

1\.

1. Thes. 1.

Secũdò nõ operatur in te Dei verbũ, q̃a nõ illud seminas 2.

in agro,

in agro tuo, in corde scit. sed à foris in auribus corporis manent Dei verba. Non sic ille, *In corde meo abscōdi eloquia tua, vt non peccem tibi*: Nazianz. Sicut bestiæ Israël Deo loquente audierunt sonitum vocis, & non intellexerunt, sic *animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*, licet exteriorem vocem audiat. Sacerdotum officium erat lampades incendere; populi verò erat oleum deferre. officium prædicatoris est, populum docere; populi verò, exerceri in misericordiæ operibus, quo parantur, vt lumen & verbum Dei percipiant. Sic Psal. *A mandatis tuis intellexi*, id est, ab impletione mandatorum lux ad alia intelligenda mihi concessa est.

Psal. 118. Simile. *Exod.* 27. *Glossa.* *Psalm.* 118.

Non solùm autem doctrina Euangelica est *granum sinapis*; sed omnis fidelis tenetur *grano sinapis* assimilari. 1. Teneris nanque minimus esse, crucifixus, mortuus mundo. Crescet hic humilis *in arborem grandem ex sinapis grano*. In Christo id intueri licet, qui fuit primùm *granum sinapis*, quàm paruus initio? Confer eius regnum cum Cæsaris regno; quam diuersum! Sed vide quò creuit? vsque ad dexteram patris, vt omnes sancti in eo nidificent. Luc. 12. 2. *Sinapi regnum cælorum*, vt iustus etiam similis dicitur, vt virtus illius manifesta sit. Cùm enim contunditur sinapis, tunc acrimoniam suam ostendit. Vnde cum Matth. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis* &c. Fides ergò magna grano sinapis similis dicitur; quia viua fortisque est, & quando atteritur, vim & acrimoniam ostendit. Quando atteretis quasi *sinapis granū*? Quando declarata est virtus Iob, nisi quando attritus est? Quando Dauid fides enituit; nisi quādo à Saule, Absalone, Semei persecutionē passus est? Nunc incipio discipulus esse Christi, ait Ignatius, cùm patior. Sicut ergò *primum Sinapis granum*, quando in cruce attritum est, tunc vim potentiamq; suā ostendit: ita nimirum quādo iustus humiliatur, persecutionem patitur, tunc eius latens virtus declaratur.

Chryso. hom 47 in Matth. *Omnis fidelis granum sinapis.* *Chrysost.* *August.* *Matth.* 17. *Vis sinapis.*

Simile est regnum cælorum fermento. Quot figuris, quot similitudinibus vtitur Christus, vt nos ad se ducat, & regnum suum constituat in nobis? ideoque iam aliam proponit fermenti. Verbum enim Dei *fermentum est*, quo panis virtutis sapore conditur, vt comedi cum fructu possit. Addit Chrys. Omnem fidelem sicut *granum sinapis* esse oportet, sic & *fermentum*. At sicut ex eadem massa efficitur fermen-

Fermentum. *Chrysost.*

fermentum & massa; sic ex eadem natura iustus quidem & peccator, sed diuersa est in eis vis Ex eadem aqua volucres cæli & pisces facti sunt: sed piscis in aquis demoratur, aues in cælum euolant. Ita ex eadem natura omnis homo est, tum iustus, tum peccator; sed hic temporalibus irretitus in eis manet, ille ad superna volat. Sed ô peccator aliquando extrahendus es ex his aquis, & quem nimium diligis mundum relicturus; quid tunc facies? Extra aquã ductus piscis palpitat, angitur, & tãdem perit. Veniet hora mortis, quando ex hoc migraturus es sæculo, & tunc dices, *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habẽti, in substantia sua.* Omnis quoque fidelis *fermentum esse* debet, ait Chrysost. quia verbo & opere fermentare tenetur proximos, & Deo lucrari. *Fermentum est* pater & mater, cũ docent filios, quæ recta sunt, vt Tobias, Abraham, Iob, &c. *Fermentum* frater, amicus, qui recta consulentes lucrantur fratrem.

Genes. 1.

Eccl. 41.

Est etiam *Fermentum* diuinum Eucharistiæ sacramentum, quod intra nos ponitur vt fermentemur. Quia sicut à corde exeunt vitales spiritus in totum hominem, ita à Christo Domino omnia bona procedunt in te. Sicut *parum fermenti totam massam fermentat*, sic paruula benedictio totum hominem in seipsam attrahit, & sua gratia replet: & hoc modo Christus in nobis manet, & nos in Christo. Nos verò si vitam æternã consequi volumus ad recipiẽdũ benedictionẽ liberè cõcurramus, caueamusq; Diabolo suggerẽte dicere, Indignus sum, recede à Christo. Quãdo ergò dignus eris? Nã si peccando indignus es, & peccare non desinis, expers omninò eris huius viuificæ sanctificationis Quare rectè viue, & ad Christũ accede, qui mortem & omnes morbos depellit. Sedat enim, cùm in nobis Christus manet, sæuientem nostrorum membrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, & sicut *pastor bonus, qui animam suam pro ouibus posuit*, ab omni nos erigit casu.

Bonauent.

Cyrill. Alex. li. 4 in Ioan. cap. 17.

Ioan. 10.

DOMI-

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

THEMA: *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt. &c.* Matth.20.

Psalm. 77. In Matt. ca. 20. tract. 10. *Parabola hæc summa est totius Euangelij.*

HANC parabolam præcipuam esse inter omnes Euangelij parabolas, & de ea præcipue accipiendum illud, *Aperiam in parabolis os meum*, vult Origenes. quia hæc summa est totius Euangelij, & in ea omnis Ecclesiæ status ac discursus describitur. Sicut ergo qui scientiam aliquam tradere vult, primò proponit in genere omnia, quæ in specie deinde declaranda sunt: sic in hac parabola, vt in summa Euãgelij & Christianæ vitæ, explicantur omnia illa, quæ ad eam pertinent. Hæc verò sunt diuina vocatio in vineam, ad quid vocemur, & à quo; & qua mercede; & quando vocemur, & quando, & à quo nobis merces est reddenda. in quibus vniuersum Euangeliũ, & vita omnis Christiana summatim collecta sunt.

Ab opportunitate temporis. Prou. 14.

Aptissimè verò proponitur parabola ista hoc tempore, quo Ecclesię risum in dolorem repente versum videmus. Prou.14. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Vidimus hucusq; lætantem Ecclesiam mysterijs nati Christi. Sed hodierna die luctuosis se induit vestibus. Gloria in excelsis & Alleluia non cantat, sed tristi ac gemebũda voce exorditur officium suum. *Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me.* Causa huius luctus est, quòd videt felicissimum statum, in quo à Deo condita fuit: & deinde infelicissimum, quo nos omnes in præcipitium dati sumus. Tristatur igitur & gemit, sicut tristaretur & gemeret vir nobilis, qui ex annalibus inueniens eximia auorum priuilegia, his omnibus ob crimen læsæ maiestatis à filio commissum excidit. Cumq; se videat illorum omnium bonorum futurum hæredem, nisi crimen intercessisset, detestatur crimen parentis sui, quo tot bonis exspoliatus est; dicitq; cum Iob. *Expoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo, &c.* Sicut ergò Iob tristatur tanta calamitate, sic nunc Ecclesia. Aptissimè ergò hæc nobis hodie parabola proponit.

Psal 17. 114. Simile. Iob. 19.

Operarius. Iob. 5.

Exijt primo mane conducere operarios. Conueniens ergo nomen homini, *Operarius*, operi & labori addictus: *quia homo natus ad laborem, sicut auis ad volatum.* Omnia nomina homini

mini in Euangelio tributa laborem sonant, videl. militia, cursus in stadio, negotiatio, vineæ cultura, piscatio, &c. Qua in re omnis nobis creatura exemplo est: omnis enim perpetuò operatur. Et ipse naturæ auctor dicit: *Pater meus vsq; modo operatur, & ego operor.* Nã Deus noster non solum cùm creaturas condidit, operatus est, sed semper operatur salutem nostram perficiens vel seipso, vel sãctis & Angelis suis: quorum omnis opera, Dei opus est; sine intermissione salutem nostram operantis.

Laborem sonant omnia nomina.
Ioan. 5.
Dei præcipuũ opus salutem operari.

Et Deus cùm in sua natura laborare nõn posset, naturam induit humanam, in qua plus omnibus laborauit, & pænitentiam homini iniunctam subiuit, *in sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Et in illa natura *exijt primo mane* & omni demum *hora conducere operarios* maximo cum labore. O confusio otiosorũ hominũ, qui laborare nolunt. Vides Deum in opere tuo die noctuq; laborantem, & tu otiaris? Omninò ergò nobis laborandum est; *Operarij* enim conducti sumus. Sed vbi nobis laborandum? Vtiq; *in vinea. Operarios*, inquit, *in vineam suam*: quia quod extra vineam laborasti, perditum crede. Dicis: Ego laboro, familiam alo, multa patior incommoda. Si nõ propter Deum, sed propter te operaris, otiosus es, vel extra vineã laborasti. Quid prodest currere extra viam? *Sic currite, vt comprehẽdatis.* Via Christus Dominus est. Extra hanc viam infideles currunt, nihil proficiũt. Extra hãc via peccator currit ac laborat, sed nihil agit. O te & labores tui sãguineis lachrymis deplorãdos, si in vinea non impẽduntur: sine causa laborasti, in vacuũ laborasti.

Labor Christi.
Genes. 3.
In otiosos.
Extra vineã laborare frustraneum est.
1. Cor. 9.
Ioan. 14.

Sed & alios contẽplemur *in vineã venientes*, & quid agant videamus. Si paterfamilias operarios conduceret, cibaria daret, in vineam mitteret: illi verò operis obliti luderẽt, an non diceremus hos ignorare, ad quid vocati sunt? an hos dignos mercede putabis? Dic, ô Christiane, ad quid in Vineam venisti? ad quid in mundũ, in Ecclesiã venisti? quis te conduxit, à quo vocatus es. Vtiq; à Deo. Sed ad quid? an non ad laborandũ in vinea? *Quid est in vinea laborare?* Deum agnoscere, eũ diligere, ei obseq., in virtute proficere. Quid agimus? obliti sumus operis nostri. *Filij hominũ vt quid diligitis vanitatem et quæritis mendaciũ.* Audi Apost. *Si linguis hominum loquar & Angelorũ &c. charitatem aũt non habuero, nihil sum.* Si tanta opera, quia sine charitate facta, nihil sunt, quid erunt tua opera vana, quæ in se nihil sunt.

In ignorantes quid laborent.
Quid sit in vinea laborare.
Psalm. 4.
1. Cor. 13.

Sed

Sed iterum exijt hora tertia,6. 9. 11. Vbi aduertenda nimia vocantis Dei cura, qui tot horis exit, quærens operarios: nec verò ille quæritur, sed quærit, quod maximè commẽdat diuinam in nos misericordiam. Sed hoc adhuc mirabilius est, quod nos importunè & opportunè insequitur, vocat nos, & sæpissimè repulsam passus, adhuc omni hora, omni statu, *stat ad ostium* cordis nostri, *& pulsat*. Quod Rex potentissimus sibi fœminam vilem desponsare vellet, summa gratia esset: quod verò Rex non rogari velit, sed rogare, maior adhuc; sed quod videns se despici adhuc roget, hoc inauditum mundo est: in solo verò Deo nostro perspicuũ; in quo amoris excessus eũ quasi oblitũ reddit honoris sui, & æstimationis suæ, vt anima dilecta fruatur, importunè obsecrat. Sed ea est durities & ingratitudo nostra ac contumacia, vt semper diuinæ voluntati reluctemur. Meritò ergò Propheta ait: *Cor suum posuerunt vt adamantem, & noluerunt reuerti*. Et; *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem sed contradicentem mihi.*

Quærit Deus & non quæritur. *Apoc.3.* Simile elegans. *N: B. o homo.* *Zach 7.* *Isa.65.*

Sed quæ merces laboris nostri? Vtique *denarius diurnus.* Hic omnibus redditus est in fine laboris. Ergò omnium eadem gloria est? Resp. Ex parte obiecti vna est omnium beatorum gloria, & ipsius etiam Dei: omnes enim eundẽ Deum possidet, qui omnes beat. Et vt hoc significetur, idẽ denarius dicitur omnibus datus. Sed hic Deus à nullo comprehenditur nisi à seipso: quilibet verò beatorum eum possidet pro meriti & luminis gloriæ varietate: atq; adeò qui meritis excellit, perfectius videt, possidet, diligit, ac degustat. &c. Inde Paulus. *Stella enim differt à stella in claritate, sic erit & in resurrectione mortuorum.* Et. *Reddet vnicuique secundum opera sua.* Hinc meritorum distributor ait. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.*

Merces. *D.Thom.2. 2.q. 5.a. 2.ca.* *Eadem omniũ gloria & diuersa.* *1.Cor.15.* *Psalm.61.* *Ioan.14.*

Ex qua doctrina duo nobis colligenda sunt. Primùm tali tantoq; denario nobis proposito in mercedem, quis non laboret? *Denarius* meritò Deum significat, quia denarius omnes in se numeros claudit: nec est cor, quod vltra felicitatem aliquid possit appetere. *Ego ero merces tua magna nimis.* En denarium, qui pro impletione decem mãdatorum datur. Meritò ergò Hierem. *Quiescat vox tua à plo ratu, & oculi tui à lachrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus.* Beatum dicis laborem tuum, si mille aureos post annum laboris lucratus fuisti, & fit tibi labor leuis. Sed te

Adhortatio. *Hieron.in Matth.20.* 1. *Gnauiter laborandum.* *Gen.15.* *Ier.31.* Simile.

nunc

nunc vrget. Duæ hic vineæ sunt. *Est Dei vinea*, in qua labo *Vinea du-*
rans denarium recipiet, Deum scil. thesaurum infinitum; *plex in hac*
regnum ęternum. Est *& dæmonis vinea* de qua Proph. *de vi-* *vita.*
nea Sodomorum vinea eorum. In hac laborant peccatores & *Deut 32.*
lassi fiunt. *Lassati sumus in via iniquitatis*. Horum merces est, *Sap. 5.*
Stipendia peccati mors, innumeris comitata tormentis. Quis *Rom. 6.*
ergò tam amens, qui in Dei vinea non laboret? Secun 2.
dum nobis colligendum illud est: Si in Dei vinea laboras, *Multum la-*
ne modico labore contentus sis; sed nimium labora: quia *borandum*
in eodē denario inæqualis est retributio, diuersiq; gloriæ *esse.*
gradus. Si tibi optio daretur, vt rex esse possis an verò infi A simili.
mus: an non præeligeres regem esse? Hæc optio data est
nobis non in temporalibus, sed cælestibus bonis. Sunt in
cælo parui & magni. Horum magnorum vnus vt sis, cura- *Matth. 5.*
re debes. Nec dices. Sufficit mihi, dummodò cęlum petam.
Non est tibi satis in terra angulus; sed regna peroptas, &
in cælo satis est tibi? Suntne minus appetenda cælestia ter- *Eccl. 9.*
renis? *Quodcunq; igitur potest manus tua. &c.* *Colloss. 1.*

Sed valde illud mirandum est, quòd cùm denarius di- *August.*
stribuitur, *quidam eorum murmurant*. Estne in cælesti illa pa *Murmur*
tria inuidia aut murmur? Resp. Non omnia, quæ in para *quid signifi-*
bolis proponuntur applicanda sunt ijs, quæ significan- *cet.*
tur; sed quod præcipuè intenditur, inspiciendum est. Vel
fortè volens Christus Dominus hac parabola ostendere *Chry. hò. 65.*
summam Dei misericordiam cum his qui in lege gratiæ
vocati sunt; vel cum peccatoribus, qui extrema hora vene-
runt, proponit aliorum murmurationem, vt hac proposi-
ta notetur tātam in hos effusam diuinam misericordiam, 1.
vt quasi occasio murmurandi alijs data sit. *Nemo despi-*

Qua ex re duo nobis sunt colligenda. Primùm vt ne *ciendus.*
minem despicias, licèt nouissimus tibi videatur. Prou. 14. *Greg. ho. 19.*
Qui despicit proximum peccat. qui enim hodie currens à te su- *in Matt. 20.*
peratur, cras forsan te superabit, & *erunt nouißimi primi, &* *cap.*
primi nouißimi. Attende quàm longe distabat à Stephano Exemplū.
Saulus. Sed paulò post talem cursum consummat Paulus, *Greg. ho. 19.*
vt præcesserit Stephanum. Sic qui 11. *hora venerunt*, plus re- *Act. 7.*
cipiunt mercedis, quod significatur in denario ipsis prius 1. *Tim. 1.*
reddito: quia illa hora plus laboris impenderunt quàm 2.
alij tota die. *Secundum* verò colligendum omni peccatori, *Animum ne*
ne animum despondeat, quòd multo tempore in peccatis *despondeat*
fuerit, & iam in nouissima hora ad vineam veniat; potest *peccator.*

enim *in hac nouißima hora* alios præcedere, qui primo mane ad *vineam* venerunt. Si enim maxima adhibita cura ac diligentia Deo seruieris, poteris anteire quamplurimos, qui multis annis Deo adhæserunt. Monet hoc Paulus d. *Redimentes tempus, quoniam dies multi sunt.* Tempus, quod perdidisti, redimi potest. Si non ieiunasti, si non eleëmosynas dedisti; modò facere poteris diuina auxiliante gratia, vt quasi ieiunaueris, eleëmosynas dederis. Peccasti? adulter fuisti? poteris facere pœnitentia tua, quod non fuisti. Ezech. 33. Considera nouissimum Dauid, quando adulter & homicida fuit: sed lachrymis & pœnitentia Abrahamum superauit. Animo cogita Magdalenam nouissimam; sed pœnitentia & lachrymis prior facta est. Prior erat Pharisæus publicano, qui ait: *Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ poßideo*: sed publicanus dicens, *Deus propitius esto mihi peccatori*: *descendit hic iustificatus in domum suam præ illo.* Prior erat Iudas latrone: sed cum audit, *Hodie mecũ eris in paradiso*, prior factus est. Nouissimus erat Petrus negans, sed flens Apostolos præcedit, & audit, Pasce oues meas. Si ergo te vides nouissimum nunc esse, ne desperaueris; sed expergiscere, curre, labora: vna hora poteris esse primus.

Eph. 5.
Tempus perditum quomodo redimendum.
Exempla.
Luc. 18.
Lucæ 23.
Ioan. 21.

Sed ais: Si nouissima hora possum plures antecedere, dormiam modo, & cum senex fuero, nouissima hora laborabo. Vanissima cogitatio ista est. Vnde nosti in posterum te multo victurum tempore? Pœnitentiæ tuæ Deus veniam promisit; sed dilationi tuæ diem crastinam non promisit. Sed esto id nosses. Audi, *Pauci electi.* Pauci sunt hi, qui nouissima hora laborantes denarium acceperunt, pauci latroni similes. Vigilemus ideò & ad vineam vocati continuò veniamus. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Præoccupatio.
N. B.
Cur non differendus labor.
Psalm 94.

Sed terrorem incutiunt verba illa: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Cum plena fuerit parabola diuina misericordia, eam concludit verbo aspero: quia misericordiam iustitia comitari vult, & iustitiam misericordia. Semper ergo nobis timẽdum, licet misericordiam Dei experiamur. An non timoris caussa vnum à nuptijs excludi? Quis scit, an vnus ille ego sim? Tremendum ergo verbum, *Pauci electi, licet multi vocati.* Quomodo nosti, an de multis, an verò de paucis sis futurus? Time ergo verbum hoc, *pauci electi.*

Iustitia Dei.
Matth. 22.
N. B.

sti nec securus consistas, quia vocatus. Timent Niniuitæ, & saluantur: non timent, qui in diluuio, & Sodoma; & intereunt. Multi diuites damnantur, time, ne illorum multorum futuris sis. Multi pauperes &c. Time ne vnus eorum tu sis. Dic cum Psal. *Misericordiam & iudicium cantabo* *Psalm. 100.*
tibi Domine: sic enim timore contineberis à malo. &c.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

THEMA: *Exijt qui seminat, seminare semen suum.* Luc. 8.

ANTEQVAM verbum diuinum populo proponatur, gratia diuinumq; auxilium peti solet. Quia sicut omnis seminatio eorum fructuum, qui à terra producuntur est, inutilis, si non adsit è cælo, lux, pluuia &c. quæ in nostra potestate non sunt, sed à Deo petenda ac obtinenda: ita omnia, quæ vobis loquimur è suggestu, in vanum proposita vobis erunt, nisi diuina adsit gratia. Hinc monet Paulus orationes fieri, vt cum fructu verbum Dei prędicent. Col. 4. ad id ergo semper gratiam petamus.

Maximum rebus omnibus à natura insitum est desiderium conseruationis suæ ac perpetuitatis: sic enim assi- *Conseruationis naturæ*
milantur acceduntque ad diuinum esse perpetuum ac im- *desiderium.*
mortale; cui assimilari omnia appetunt. In operibus gratię eundem ordinem seruat Deus, quem in operibus naturæ. Voluit Ecclesiam in mundo fundare perpetuam, Psal. *Deus fundauit eam in æternum*. Et, *Regnabit in domo Iacob in*
æternum Sed cùm Christi discipuli mortales essent, quo- *Ecclesia quomodo perpe-*
modo in perpetuum Ecclesia durabit? Ad hoc relicta est *tuetur.*
generatio spiritualis, & semen, quo medio conseruaretur. *Psal. 47.*
Sicut corruptibilis natura, vt perpetuò duret, id assequitur *Lucæ 1.*
generatione & semine: sic Ecclesia spirituali regeneratio- *Matth. 28.*
ne & semine immortalis est Sed quodnam huius diuinæ *Semen.*
generationis semen est? *Ecce semen est verbum Dei* de quo *Simile.*
Isa. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisse-* *Isaiæ 1.*
mus, & quasi Gomorrha similes essemus, id est, omnino periissemus. Sed hoc semine conseruata huc usq; est, & conseruabitur in perpetuum.

Seminauit hoc semen Christus in Apostolis, eisq; mandauit, vt in vniuerso orbe illud disseminaret. Mat. vlt. *Euntes*
docete omnes gentes. Quàm rectè Apostoli id præstiterint, *Marc. 16.*

Act.13. ostendit Act.13. *Disseminabatur autem verbum Dei per vniuersam regionem* Et Psalm.18. *In omnem terram exiuit sonus eorum &c.* Apostolis verò vita functis mansit semen hoc, officiumq; seminandi in eorum discipulis, in Ignatio, Polycarpo, Dionysio, Timotheo, Tito & similibus. Ijs verò deficientibus adfuit mundo Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus. Et inde per aliorum sanctorum & Doctorum manus vsque ad nos deuenit semen hoc: & à nobis vsque ad finem mundi perueniet. *donec prædicetur Euangelium regni in vniuerso orbe; & tunc erit consumatio.* Ecce *semen.*

Lucæ 21.

Necessitas audiendi conciones. *Rom.*10.

Ex quo patet necessitas audiendi conciones, vt rectè credas, & rectè opereris. Rom.10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante?* Per verbum Dei omnia tibi bona proueniunt: quo deficiente nullum tibi bonum est. Terra quę non colitur, non seminatur bono semine, quid proferat nisi spinas & tribulos? Gen.3. Frumentum haud proferet vltrò. Si verbum Dei non recipis, quid nisi peccata germinabis? Qui verò semen verbi Dei recipit, magnum quid habet. *Qui seminat*, Deus est: quod *seminatur* verbum Dei est: irrigatur sanguine Christi: quid obsecrò orietur, nisi Deus, & diuinum quid? Si enim quod oritur ex semine, illi simile est: cum semen sit verbum Dei, quid orietur, nisi filius Dei? *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et Christus illos dixit *Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Verbi diuini excellentiam, eiusque audiendi miris verbis extulit August. Dei verbum non minus est quàm Christi corpus. Et ideò quanta sollicitudine obseruamus, quando nobis Christi corpus ministratur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat: tanta sollicitudine obseruemus ne verbum Domini, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur, de corde puro pereat: quia non minus erit reus, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Domini sua negligentia in terram cadere permiserit. Hęc August.

*Ioan.*1. *Ioan.*10. *Excellentia verbi diuini.* *Lib.*50.*hom.* *hom.*26. Simile.

*Ierem.*13.

Sed quia satis non est bonum semen seminari, vt fructus oriatur (ex multis enim accidit fructum non colligi; hinc Ierem. *Seminauerunt triticum & spinas messuerunt*: cumque in proxima Quadragesima multum iaciendum sit

semen

semen verbi Domini) conuenientissimè modo ostenditur nobis, quæ sint illi impedimenta, ne in nobis fructum referat, vt illa vitemus. Ait ergò cælestis magister. *Impedimenta verbi diuini.*

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. In huius parabolæ expositione Christum habemus auctorem, qui ait. *Qui secus viam hi sunt, qui audiunt verbum, & venit diabolus & tollit de corde eorum, ne credentes salui fiant.* Pistori Pharaonis signum mortis est, quod aues cæli raperent cibaria, quæ super caput deferebat: sic multi Dei verbum super caput suum ponunt, id est, magnifaciunt, vt à Deo profectum, tamen operi non mandant. Hi similes sunt pistori, quibus mors parata est. Quid obsecrò non experietur mali, *qui verbum Dei conculcauerit, sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Illudere verò conculcare est, quod extremum malum fuisse Israëlis, testatur Script. *Subsannabant nuntios Dei, & paruipendebant sermones eius.* Sic & Pharisæi Christi verbum, *cùm essent auari, deridebant* Sed contemnis illud in cogitatione tua, in tempus iudicij reseruabit, quia hoc condemnabit te. *Sermo, quem locutus sum vobis, ille vos condemnabit in iudicio.* Sed ais: ego non contemno, nec conculco illud. Quid tibi prodest illud magnifacere, si opere non imples? *si diabolus tollit illud de corde tuo* per inconsiderationem & obliuionem? Hoc mirè ostēdit Iacob. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm. & cæt.* & otiosum auditorem comparat viro consideranti vultum in speculo. *Speculum* mulier sibi proponit, vt se ornet; at vir non in sui ornatum, sed solum vt se videat, non verò vt aliquid in se corrigat. Dei quidem verbum speculum est, ibi vides deformitates tuas. Sed quid prodest has videre, si non corrigis? sed quod malum in concione iudicasti, domum repetens obliuisceris? Cura ergò memoria tenere, corde conseruare verbum Dei. Et si quid audisti, quod ad animæ tuæ vtilitatem cedere possit, aut anteactæ vitæ correctionem, memoria retine, vt opere expleas. Sic *Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* *In via.* *Genes. 40.* Allegoria. *Heb. 6. 10.* *2. Paral. vlt.* *Luc. 16.* *Ioan. 12.* *Contemptores verbi diuini.* *Iacob. 1.* *Sap. 7.* *Greg. ho. 15. in Euang.* *Luc. 10.* Simile. *Bernard. ser. 1. de 7. pan.* *Lucæ 2.*

Nos verò similes viæ sumus; in qua si res pretiosa sit, nihil ibi durat, à viatoribus rapitur: si verò vilis pannus sit, permanet, & non est, qui surripiat. Ita planè cor nostrum nænias, scurrilia, & inhonesta verba conseruat maximè, diuina verò & pretiosa obliuiscitur facilè, dæ- *Via.* Simile.

mone illa rapiente, *ne credentes salui fiant*, quia via sumus. Sequitur.

In petra. *Aliud cecidit in petrosa, & natum aruit: quia non habebat humorem. Hi sunt, qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent; quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Quidam enim sunt, qui ad multa bona peragenda faciles se exhibent, & verbum Dei libenter recipiunt, quod illa fieri præcipit: at verò aliquo in vitio obdurati sunt quasi lapides vel etiam adamantes, quod

Zach. 7. omninò relinquere nolũt. *Cor suum vt adamantem posuerunt,*
Cor durum *noluerunt q; reuerti.* Cumq; Dei verbum ad duritiem illam
quantum malum. peruenerit, resiliunt continuò, nec verbum radices mittere potest, & omninò cor penetrare: cumq; orta fuerit tentatio circa illam rem, in qua obduruerunt, verbum diuinum omninò perit in corde eorum, & tempore tẽtationis

Marc. 6. recedũt. Huius rei multa sunt exempla. *Herodes libenter audiebat Ioannem, & audito eo multa faciebat*, veruntamẽ ab adulterio non recedebat. Herodias eius lapis erat. Multi nobiles, &c. hodie multa bona operantur, sed lapidem suum habent, honorem scil. vindictam: &, cùm in ijs tentantur,

Eccl. 3. recedunt, verbumq; Dei proijciunt. Hi *duro sunt corde, quod*
Simile. *male habebit in nouißimo.* Cùm medicus, pulsum debilitatum sentiens, mortem imminere iudicat, quis non paueat? Deus, animarum medicus, pulsum cordis considerans &

Ioel. 2. durum videns, ait, *Malè habebit in nouißimo*: an non timere te faciet, qui duro corde es? Vniuersum cor tuum Deus petit. si partem eius negaueris, totum te negasse, crede. Si ergò vniuersum cor Deo dederimus, si omnia nostra eius

Quando lapideum cor nõ habeamus. voluntati subiecerimus, si super vitam, substãtiam & honorem dilexerimus, lapidem nõ habemus. Si verò aliquid habes, quod plus diligas Deo, lapis est tibi offensionis & petra scandali, verba Dei in petrosa cadunt, radices non

Hebr. 3. habent, licèt multa bona præstiteris. *Adhortamini ergò vosipsos per singulos dies, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Ad tempus, ait, credunt, & in tempore tentationis recedunt. Iactant arma sua, sed in die belli conuersi fugiunt inimicos. Ad pedes positi confessarij, magna promittunt, sed inde exeũtes, similes sibijpsis sunt, nec minima pstant.

In spinis. *Aliud cecidit inter spinas.* Qui à diuitijs, curis, & voluptatibus opprimũtur. Multis Dei verbum placet, sed continuò obruuntur pluribus negotijs, quibus medium appo-

acre

nere nesciunt. Vnum sit tibi negotium, cui maximè attẽdas, animæ tuæ salus: reliqua non sint tibi negotia sed nugæ de quibus Nah. 3 Plur. fec. *Negotiũ necessarium.*

Sed & diuitias, & voluptates spinas esse dicit Quis hæc crederet, ait Gregor. nisi Christus hæc diceret. Quis credat sub voluptate absconditam mortem, & hanc æternam? cùm mors amara sit? At sicut grassator se abscondit, vt viatores deprædetur: sic dæmon in voluptatibus & diuitijs se abscondit, vt miseras animas perdat. *Homil 15. in Lucæ 8.* *Basilius.* Simile.

Sed optimo ordine hęc Christus collocat. Primò sollicitudines, quibus diuitiæ acquiruntur. Secundò diuitias. Tertiò voluptates, quas diuitijs comparamus. Mirandum profectò in homine cordato, quod velit spinas crescere, triticum verò obrui & impediri: & cùm videas sollicitudines, diuitias ac voluptates virtuti esse impedimento; optas illa crescere, hanc minui. cum illa sint spinæ, hæc triticũ Fęlicemq; iudicas annum tibi esse, quando plures exortæ tibi sunt spinę; dicisq;: Benedictus Deus, quoniam diuites facti sumus: nec cogitas quantũ tibi virtutis acquisieris. Ambr. Multi nollẽt veterem expoliare, sed superinducere nouum vellẽt onerati diuitijs & delitijs Christũ superinducere. sed hoc fieri nõ potest. Sed ais: Hęc mihi sunt sine peccato. Sed ego dico tibi: Hęc Christus impedimenta esse diuino verbo asserit. quare Paulus rectè monet. *Exuentes vos veterem hominem, induite nouum, &c.* Duo sunt in nobis affectuum genera; alij à carne, alij à spiritu: alij à natura, alij à gratia. Quare sicut qui in syluestri arborem fructiferam vult inserere, præscindit naturales syluestris ramos, vt insititij ado escãt: sic qui vult insitum in se Dei verbum crescere, ac fructificare, debet naturales in se comprimere affectus diuitiarum ab voluptatum. N. B. *Ambros.* *Coloss 3.* *Affectus duplex in nobis.* Simile.

Hæc dicens clamabat. Res mira, & maxima consideratione digna, Christi clamor. Vincitur, alapis cęditur, flagellatur, & tacet: crucifigitur, & tanquam agnus coram tondẽte se obmutuit. Hic verò clamat, dolore maximo, & amore summo impellente. Sicut cùm quis filiũ habet vnicè dilectum morti proximum, si poculum sumit, saluti restituetur: si non, morietur. Sed non audit infirmitate grauatus; & tu ex dolore & amore maximo clamas ac vociferaris, cùm filij vita in eo poculo sumendo sita sit: sic Christ⁹ videns nos morti proximos, quia cũ nõ audimus, clamat, *Quis surdus nisi* *Clamor Christi quid velit.* *Isa. 57.* *1 Petr. 3.* Simile. *Isa. 42.*

seruus meus? Hoc eum cruciat magis, quàm crux, quàm claui, quàm flagella, & spinæ. Hoc eum clamare compellit, cùm nullus amor conferri possit cùm eo, quo nos Christus diligit. &c.

Dignitas diuini verbi. 2. *Clamabat* Hoc summè ostendit, quanta res sit diuinum verbum, vt illius amissio faciat Christum, vt grauissimam regiam personam, vociferari. Hinc etiam colligendum est, multa esse in mundo, contra quæ summis vocibus est prædicandum. Sic faciebant sæpè Prophetæ. *Deut. 32.* Audi Moysen clamantem. *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Et Isaiam: *Isa. 1.* *Audite cæli, & auribus percipe terra: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate.* Quid facerent *N. B.* contra nos, quorum multò maior ingratitudo, si viderent *Bernard. de clam.* vestium superfluitatem, quæ nunc est; conuiuia referta cibis, præsepia equorum plena, canes satiatos panibus; & pauperes nudos ac fame pereuntes, xenodochia neglecta?

In non audientes. Sed si tales clamores excitat contra eos, qui verbum recipiunt, sed non referunt fructum: quos ederet contra *A minori ad maius.* eos, qui nec audire quidem volunt, sed dum concio habetur, illi per plateas incedunt? quomodo clamaret cum Isa. *Isa. 1.* *Audite verbum Domini, Principes Sodomorum.* Adinuentio *Dæmonis adinuentio.* dæmonis est, hominem à concione separare: nouit enim ea in melius mutandum esse, & ipsum à corde expellen- *1. Reg. 19.* dum, sicut ex Saule per Dauidis cytharam. Quos clamores *Apostrophe.* ad hos Christus ederet? O peruersi cibum animæ abomi- *Psalm. 102.* namini? *Omnem escam abominata est anima eorum, appropin-* *Isa. 30.* *quauerunt vsque ad portas mortis; qui dicunt videntibus; Nolite* *Psalm. 57.* *videre: & aspicientibus; Nolite aspicere, loquimini nobis placen-* *N.* *tia.* qui *noluit intelligere, vt bene ageret.* Vos ergò cogitis prædicatores clamare, & stercus peccatorum vestrorum in facies vestras mittere. Quod si ideo detrectas audire con- *Prouer. 28.* cionem, audi Spiritus Sancti minas. *Qui auertit aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Non audisti Deum ad te loquentem, non audiet ille te clamantem. *Psalm. 84.* Contrà facit ille, qui dicit, *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Ad Dei ergò verbum accedendum est; ibi vniuersorum malorum remedium, *vt fructum afferas in patientia de corde bono.*

DOMI-

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

Thema: *Ecce ascendimus Hierosolymam & cæt.* Lucæ 18.

HODIERNO Euangelio Christus Dominus passionem suam manifestè discipulis proponit, & cæco visum restituit: Nec incongruè ista iunguntur: imò simul ponitur ægrotus & medicina. Est enim Christi passio fel Tobiæ, quo cæcitas humani generis pellitur. Et sicut passio Christi est initium spiritualis vitæ: sic eius consideratio est principium vitæ spiritualis. Mors ergò Christi medicina est cæci, & visus cæco datur vt passionem Christi videat. Apostolis proponitur illa, sed nihil intellexerunt; ideo nouos oculos condit, vt eam videant.

Christi passio initium est spiritualis vitæ.

Tob. 6. et 11.

Passionem suam Christus sæpe inculcat, Matth. 12. per figuram Ionæ, Matth. 21. per parabolam agricolarum occidentium vineæ hæredem. Ioan. 3. exaltatione serpentis, & alibi sæpe. sic & modò.

Quare toties passio prædicatur.

Sed qua de causa? *Primò*, quia ei erat desideratissima: & cùm *ex abundantia cordis os loquatur*; abundans cordis desiderium de ea loqui cogebat sæpissimè. Sicut ergò auarus libēter cogitat, loquiturq; diuitias, superbus honores, iratus vindictas: ita amantissimus hominum passionem suā; quæ quamuis acerbissima, illi tamen propter hominis salutem amantissima fuit. *Erat opus eius coram illo*, ait Isaias opus salutis nostræ, quod per passionem consummatum est. *Secundò* verò, vt memoriæ nostræ mandetur: sicut repetis filio sæpius, quod vis ne illi memoria excidat.

Simile.

A contraria.

Isai. 40.

Matth. 27.

Sed quid refert nostra, passionem Christi memorari? Tanti ponderis ac momenti hoc erat, vt pro hac memoria conseruanda in mundo instituerit excellentissimum Eucharistiæ Sācramentum, quod est memoriale Dominicæ passionis. Vnde ait, *Hoc facite in meam commemorationem.*

Matth. 26.

Lucæ 22.

Sed quid, inquis, mihi prodest memoria ista? *Vtique* vniuersalis tibi est medicina. Vnde Petr. *Christo igitur in carne passo & vos eâdem cogitatione armamini.* Et Paul. *Recogi-*

1. Cor. 11.

1. Pet. 4.

Hebr. 12.

Memoria passionis Christi quid prosit. *tate eum &c. vt non fatigemini animis* deficientes, & curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesu Christi. Est nobis hæc passio nautica charta, qua in hoc mari periculoso dirigimur: est domus, in qua omnes medicinæ ad infirmitates curandas: est schola omnium virtutum, in qua eas sancti didicerunt: est thema omnium concionū Pauli, *Nos prædicamus Christum crucifixum*: est poculum amatorium, quod Christus animabus propinat, vt eius amore insaniant. Vnde summa est ingratitudo hominis, qui tantū beneficium obliuiscitur. Et sicut maximè curauit Ieroboam, ne Israël ascenderet ad adorandum in Ierusalem: sic dæmon nos curat auertere à memoria Dominicæ passionis; ne ab eo discedentes ad Christi vexillum transeamus.

Malorum omnium in passione Christi remediū. Sed quia malorum omnium remedium in Christi passione esse diximus, id sigillatim & breuiter ostendamus. *Primò* est in ea remedium contra omnem tentationem, ne in peccatum prolabamur. Si tangeris superbiæ tentatione,
1. *Contra tentationes.* cogita Christi humilitatē: si auaritiæ, cogita paupertatem; si delitiarum, cogita dolores. & sic deinceps. Quòd si hoc latibulum diuinæ passionis noueris requirere, ab omni
Cant. 1. tentatione liber eris. Ideo *fasciculus myrrhæ* sponsæ dicitur: quia sicut illa preseruat à corruptione, sic cogitatio passionis à peccato. Ex hac testatur Hiero. se remedium inuenisse ad vniuersas suggestiones diaboli & carnis illecebras superandas. Huc igitur nobis accedendum ne vincamur.
2. *Ad correctionem vitæ.* *Secundò*. Lapsis est in ea adminiculum, vt corrigamur. Si victus es à peccato, efficacissimum est tibi pharmacum, vt à peccato resilias in Christi passione; ibi aperientur tibi oculi, vt malum peccati videre possis. Bern. Agnosce, ô homo, quam grauia sunt illa vulnera, pro quibus oportuit Christum vulnerari. Peccatum in se consideratum fœdissimum est: quod si videremus, summo illud odio prosequeremur. Sed vniuersa eius feditas in Christi passione inspicienda est; ibi vniuersa eius malitia conspicitur. Christi in cruce nuditas, speculū est nuditatis nostræ: corpus illud diuinum fœdatum animę feditatem aperit, vulnera Christi nostra ostendunt. Si ergo miseriam animæ tuæ agnoscere vis, ô peccator, tanquam in speculo, Christum intuere in cruce, qui tuam ad viuum exprimit figuram. Idē etiam cruci affixus, plenus doloribus, ostendit tibi, quātum te pericu-

te periculum manet, nisi à peccato declines. Cæcus igitur fuisti? non vidisti fæditatem tuam, & periculum, quod te manet? ecce in passione Christi tibi lux redditur, peccatoq; tuo medicina paratur. *Tertiò*, tãdem omni tribulationi nostrę consolatio est in Christo crucifixo: *Vt non fatigemini animis vestris deficientes, recogitate eum, qui talia sustinuit.* Summa hæc in nos diuina misericordia, vt nobis sit in labore consolatio. *Cum ipso*, ait Dominus, *sum in tribulatione.* Sicut si vili seruo, carceri mancipato & vinculis astricto, ac ob id mærenti, rex magnus se illi in carcere & labore adiungit, vt eum leuét, consoleturque. Sic *rex magnus super omnes Deos*, videns nos laborantes, vinculis astrictos, se dedit in vincula laboresque nostros; vt videntes regem cœli laborantem nobiscum, consolatione afficiamur. En omnium malorum nostrorum in passione Christi medicinam: eam ergò memoria retine. ideo namque eius sæpè meminit.

3. *Ad consolationem.* *Hebr. 12.* *Psalm 90.* Simile. *Bern ser 3. in circũcisione.*

Ecce ascendimus. Secretò suos alloquitur Christus Grande enim crucis secretum est, quod mysterium *gentibus est stultitia, Iudæis scandalum, nobis verò Dei virtus & sapientia, si oculis fidei aspiciamus.*

Crux mysterium. *1. Cor. 1.*

Sed ais: Cæcus sum, lumen hoc non video; an curari potero? Potes. Audi quomodo hodie cæcus curatur in via à Christo. Petę ab eo lumen, vt iste petijt. Primùm quod curat dæmon est oculos eruere eius, quem captiuum tenet: sicut Nabuchodonozor oculos Sedechiæ: & Pharisæi oculos Samsonis: & sicut carnifices capite plectendis oculos obstruunt. Quis alioquin dæmonis maximam ferret vexationem. Agnosce, ô homo, dignitatem tuam; oculos aperi, considera, quia dæmoni inseruis seruitute miserrima.

De Cæco illuminato à Christo. Exempla. *1. Reg. 11.* *4. Reg. 28.* *Iudit. 16.* Simile.

Cæcus est omnis peccator, ignoransq;, & donec ei oculi aperiantur, viam peccati non deseret. Sicut Balaam donec ei aperti sunt oculi, non declinat à via peruersa Deoq; cõtraria. Hic *cæcus extra viam est, sedens, & mendicans.*

Num. 22.

Primò, *Extra viam*, qua Christus incedit. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.* Facillimè potest separari cæcus à via, sic peccator facillimè peccat. Et prætereà conueniens peccatori locus est, extra viam esse: quia non est inter homines computandus, sed

Psalm. 118. *Locus peccatori conueniens.*

inter

inter offendicula. Vnde si in via esset, scandalum foret. Separetur ergò à via vt saxum, ne sit offendiculo. Ideo primi parentes exclusi sunt à paradiso; quia putantes se illuminandos fructu arboris vetitæ cæci facti sunt, & ideo separati à via. Sic ergò cæcus extra viam.

Mundus hominis diuersorium. *Hebr.13.* *1 Cor.7.* Simile. *Quibus sit mundus incommodis plenus.*

Secundò, *sedens est*, in via Hierusalem sedit: quia in hoc mundo consedit. Mundus hic in diuersorium cõditus est homini, non in domum aut ciuitatem permanentem. Si mundo vtaris in eum finem, optimus tibi videbitur & nihil tibi deesse videbitur: Sin vt domum aut ciuitatem permanentem tibi esse velis, plenum incommodis & defectibus reperis. Venis iter agens in hospitium, nihil curas, si multa reperias incommoda: quia in horam vnam durant: at si tibi ibi habitandum foret, multa tibi deesse diceres. Hunc mundum fecit Deus, non vt in eo cõsistas sed transeas: & tempus breue concessum est, vt transeas in æterna secula: sed tu accipis tanquam in æternum duraturum; & mũdani ita cuncta temporalia commoda esse sibi curant, ac si in æternum essent hic mansuri.

Hinc tertium eorum malum oritur, *mendicare* scil. ab omni creatura: quia pluribus se indigere vident hic consistentes. Amisso Deo per peccatum manet homo nudus & pauper. Quid faciat, nisi consolationem à creaturis mẽdicare? quia *fontem solatij amisit.*

Remedium peccatori cæco. *Psalm.145.* *Ephes.2.* *Iob.22.*

Sed estne malis his medicina? Est maximum cæco peccatori remedium, qui in Ecclesia est. Si enim in via non est, est tamen *prope viam*: quia fidem retinet, & Christi, & cum eo transeuntium strepitum audit. Si non videt, *audit* per fidem *Christum transire*, qui *illuminat cæcos, erigit elisos.* Cęci, qui extra Ecclesiam sunt, longè à via sunt; Christum transeuntem non audiunt. Longè est ab eis salus. Sed *vos, qui eratis longè, facti estis prope.* Ne ergò dicamus Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Sed clamemus ad Christum cum cæco isto, qui clamans videre incipit, *Iesu fili Dauid miserere mei.*

Præcedentes Christum.

Qui præibant, increpabant eum, vt taceret. Quidam ex his, qui cum Christo sunt, eũ sequuntur, de quibus d. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Et, *Qui mihi ministrat me sequatur*. Quidam verò Christum præcedunt, non cum imitatione sequentes, sed fastu præeuntes, & gloriantes de antiqua & à proauis habita fide. Hi maximę obmurmurant

ijs, qui

iis, qui ad Christum clamant, qui orant, qui religioni se dant. Tibi verò clamādum est cum cæco, nec impediaris aliorum obmurmuratione, quæ nihil est. Nam quo magis impediebatur, *eo magis clamabat.* Maximè tibi necessarium est desiderium efficax. *Ne impediaris orare semper*, ait Sapiens Qui enim obiecto impedimento deterretur, virtutis viam non perficiet. Cæpisti virtutis viam, Sacramenta frequentas, oras, ieiunas? noli audire eum, qui dicit tibi, vt quid oratio, vel mortificatio. Sed dic cum Iob. *Iustificationem, quam semel cæpi tenere, non deseram.* Et illud Sponsæ. *Tenui eam, nec dimittam.*

Eccl. 18. *Iob. 27.* *Cant. 3.*

Stans autem Iesus ait: Quid tibi vis faciam? Vide quanta operetur oratio perseuerans. Oratione sua Iosue stare fecit Solem ad occasum pergentem. Properabat modo Iesus Ierusalem summo desiderio, vt occumberet; detinetur verò oratione cæci cui dicit: *Quid tibi vis faciam?* Cum venis ad Christum, in Ecclesiam, hoc tibi dicitur: Quid petis? quid vis? Ne petas temporalia solùm, sed potius spiritualia. *Domine vt videam*: Da mihi oculos, vt te cognoscam, te diligam, te sequar. Si enim Rex tibi diceret; Pete quòd vis: an non magnum quid peteres? Quid paruum à Deo tanto peti potest? *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo; petite & accipietis, &c.* Quicquam non petit, qui temporalia sola petit, quæ nihil sunt Dicit tibi Deus tuus: *dilata os tuum & implebo illud.* Os tuum mensura tua erit. quomodo non petis quæ maxima sunt? *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Habes merita Christi, maxima per eum pete.

Oratio perseuerans quam sit efficax. Simile. *Ioan. 16.* *August.* *Psal 80.* *Maxima sunt petenda à Deo.*

Sequebatur eum magnificans Deum. Videns Christum sequitur, cæcus dæmonem. Sed vide ô homo, quo eum sequaris. Paulò enim ante dixit: *Ecce ascēdimus Hierosolymam*, in flagella, & mortem. Adhuc sequitur illum, & meritò. Sicut enim Ethai Dauidem sequitur, Absalonem cum fugeret, etiamsi pridie venisset: An non similiter faciet & cæcus, licèt amodò Christum sequi incipiat? Hic ergò cæcus omnibus nobis loquitur exemplo, quod Paulus verbo. *Deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem; & confusione contempta sedet à dextris Dei.*

Ioan 15. *Christus sequendus in mortem.* *2. Reg. 15.* *Hebr. 12.*

FERIA

FERIA QVARTA CINERVM.

THEMA: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Genes. 3.

Peccator oneri est Deo & Ecclesiæ. *Genes. 24.* Allegoria. *Rom 2.* *Iustus gaudio est Ecclesiæ.*

DESIDERIVM Ecclesiæ, quo desiderat & ingemiscit peccatoris conuersionem, maximum est & multis de caussis: quarum vna est, SVMMVM ONVS PECCATORIS, quo Ecclesia premitur. Sicut in vtro Rebeccæ erant Iacob & Esau: sic in Ecclesiæ vtero iustus & peccator. De iusto gaudet Ecclesia. Licèt enim quodammodo ingemiscat, donec eum pariat æternitati: tamen absolutè de eo gaudet, vt de bono maximo. At peccator eam sic grauat, vt dicat cum Rebecca; *Si sic futurum erat, quid necesse fuit me concipere?* Tantum est peccatoris pondus, vt terra illud sustinere non valeat. Hinc (*Num. 16.*) illa aperta est, & deglutiuit Dathan & Abiron: & ipsi cæli continere non potuerunt Angelos peccantes: Et ipse Deus magno pondere grauatur, peccatores sustinens, vt apud Isa. dicat: (*Isa 1.*) *Facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Et Paulus. (*Rom. 9.*) *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* (Allegoria.) Quid ergo mirandum, si grauetur Ecclesia, tot sustinens peccatores? Ex eo etiam omnia mala Ecclesiæ oriuntur. (*Ionæ 1.* *Tempestas Ecclesiæ vnde sit.*) Sicut enim nauis vexatur tempestate propter Ionam: ita Ecclesiæ tempestates propter peccatores ei accedunt.

Vt ergò Ecclesia à tanto onere malisque leuetur, tempus pœnitentiæ instituit, quod præ manibus habemus, quo *deponamus omne pondus, & circumstans nos peccatum.* (*Hebr. 12.*) Caue ergo ne in *die, quæ est ad fletum & planctum, in gaudium & lætitiam* commutes. (*Isai 22.*) *Non dimittetur hæc iniquitas, donec moriaris.* Aduenit tempus, quo teneris pœnitere, delere peccata: tu peccata peccatis cumulas?

Pœnitentia ergò à nobis exigitur. Sed qua ratione: *Memento homo, quia puluis es.* Vt omnia, quæ ad hominem pertinent, scire valeamus, oportet primum nosse; *quid sit homo*: (*Quid sit homo.*) quo cognito, facile reliqua constabunt. Hinc illud celebre, NOSCE TEIPSVM. Sed cum homo constet corpore & anima; ex vtraque natura rationes possunt

adduci,

adduci, vt peccatum deseratur. Ex parte quidem animæ: quia cùm sit Dei imago, mirabili dignitate ac pulchritudine prædita est. Vnde indignissimum est fœdari. Attende, ô homo, qualis rei sis imago. Dei planè, qui infinita pulchritudo est. Sed qua manu formata? Dei manu. qualis obsecro erit eius forma ac species? An non dignum est eam magnifacere, nec vilissimis rebus offuscare? Sed rationem hanc ex parte animæ desumptam modò Ecclesia non vsurpat, vt nos ad pœnitentiam prouocet: sed aliam quæ ex parte corporis sumitur: *Quia*, inquit, *puluis es*. Quibus verbis ei qui lapsus est conuenientissima ratio datur. Ianua enim, qua peccator ad Deum intrare potest, est humilitas. Vnde lectio ei accommoda est, quæ eum humiliat, *Quia puluis es*. Ideo Isa. *Descende, sede in puluere virgo, filia Babylon*. Et ad Adam. *Puluis es*. Et meritò hoc Adæ dictum, & modò omni peccatori dicitur, *Memento, quòd puluis sis, & in puluerem reuerteris*; ne superbias, sed humilieris coram Deo. Et hac sacra cæremonia cineris Sacramentalis caput impositi, quod radix est hominis, nos ad pœnitentiam & Deum ad patientiam inclinare Ecclesia intendit. Nam *si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis*. Iam enim *securis ad radicem arboris posita est, vt quæ non fert fructum, tandem succidatur*.

Peccati deserendi rationes.

Animæ quanta debeat esse pulchritudo.

Ianua peccatoris humilitas.

Isa. 47.

Cæremonia Cineris cur instituta.

Lucæ 13.

Lucæ 3.

Sed qualis argumentatio ista est: *Cinis es*, ergò pœnitentiam age? Optima sanè. Puluis es, quem ventus tollit, in pluerem citò redigendus per mortem; ergò antequam succidaris, quod propè est, pœnitentiam age. Cogitatio mortis ad pœnitentiam mouet. Sic primos parentes, vt pœnitentiam agerent, hac sententia mortis Dominus commouit. Et idcirco vocauit eum Adam, id est, factum de terra vt se humiliaret: Id quoque omnia tibi corporis membra loquuntur, te esse de terra & fragilem, licèt non videris vnde formatum sit corpus. Lingua, quæ etiam cælestia loquitur, etiam infirmitates suas habet, ostendentes eam è terra esse. Oculi mirabiles tibi sunt, quibus etiam cælestia vides: tamen infirmantur, vt noueris puluerem eos esse. vt semper tibi dicatur: *Quid superbis terra & cinis?* Vt iugis tibi sit mortis memoria ante templi ingressum sepulchra vides, vt agnoscas omnium vnum esse finem. Nec hic solùm, sed ingressu ri communionem vitæ, sæpe monemur mortis. Vis nubere,

Mortis cogitatio ad pœnitentiã ducit.

Ex Chrysost.

Eccli. 10.

Simile.

nubere, instrumentum nuptiarum conficis, & in eo scribis: Ille & illa contrahere volunt. Addis. Si ille prior fuerit mortuus illa, vel illa prior illo: hæc & illa fient. Attende quod contra vtrunque mortis sententiam profers? Addes etiam instrumento. Si filij nati fuerint, prior eorum obtineat hæreditatem: si ille mortuus fuerit, secundus: si ille occubuerit, tertius & cæt. Attende quæ dicis: In filios nondum genitos mortis das sententiam. *Memento ergò ô homo, quod puluis es*, memorare, quod breui in puluerem redigendus, & omnia quæ ad te pertinent cognosces, agesque pænitentiam: si huius oblitus fueris, dirigere viam tuam non poteris. Quemadmodum enim qui per mare nauigat, nesciens vnde exierit, aut quo vadat, nec considerat Elicen stellam maris, omninò peribit: sic etiam accidet ei, qui non considerat puluerem, vnde exiuit, & in quem tendit. Hic puluis tibi stella est, qua nauigationem dirigas tuam. *Memento ergò homo quia puluis es*. Hinc Eccl. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum; qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita*. Quemadmodum somniat esuriens se comedere, sed expergefactus inanem reperit animam suam, sic *dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*: quia non veras habuerunt diuitias sed fallaces. Et quemadmodum quis præstigio à dæmone confìcto alicui apparente, putat, se videre aulam regiam, diuitias, triumphos: sed eo sublato, nihil illa omnia fuisse videt, nisi deceptionem & vanitatem: Sic cùm ad mortis horam veneris, conuerterisque oculos ad omnia bona, quibus fruebaris, apparebunt tibi fuisse somnia & præstigia. Sicut ergò mors imminens hoc ostendit homini: sic etiam mortis consideratio viuenti rerum vanitates declarat. Ideo *memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Si adessent modò omnes potentissimi reges & Cæsares, & eorum imperium, quod momentaneum fuit, mille durasset annos, modò verò finitum esset, & æternitas pænarum succederet, an non appareret eis omnis regnorum gloria somnium & præstigium? Ad hanc ergò tam vilem nostri cognitionem vtitur Ecclesia hoc salutari cineris nobis impositi mysterio. Num. 4. *Altare mundabunt cinere*. Et Numer. 19. *Cinis vaccæ inquinatos sanctificat*. Non minoris efficaciæ

Marginalia: Simile. — Eccli. 11. — Simile. — Psalm. 75. — Isa. 29. — Simile. — *Vanitas rerum præsentium.* — Num. 4. — Num. 19.

caciæ cinis hic legis nouæ, quàm fuerit ille veteris. Principium ergò nostræ emundationis hic est.

Prætereà cùm dicitur, *Puluis es*, naturæ nostræ vilitas ob oculos ponitur, & ostenditur, quàm infima res sit homo. de quo multa Chrysost. hom. 10. & 11. & 12. in Genes. Augustinus tractans illud Platonis, Homo est animal rationale mortale, dicit id esse puluerem. & licet ratione cum Angelis conueniat; corpore tamen è vili terra est. Vnde eum efformauit Deus, vt humilia de se sentiret. Cum enim Angelum condidisset, qui per superbiam cecidit: condidissetque hominem, vt ruinas Angelorum impleret; ne similiter superbiret, ex luto eum fecit. Sed & homo per superbiam perijt. Quòd in Adamo non est tam mirum, quàm in nobis. Licet enim puluis esset, tamen sic à Deo ornatus fuit, vt illud non viderit: nobis in singulas horas experientia testatur, puluerem nos esse. Sed & nos obliuiscimur, adeò vt & nobis opus sit dicere: *Memento homo, quia puluis es*. Vide pueritiam, iuuentutem, virilem ætatem præterire, ventoque nos in sepulchra deportari quasi puluerem. Vnde obsecro igitur tot corpori delitiæ parantur, nisi quòd oblitus es puluerem te esse? Vnde tot ciborum apparatus? tot pretiosæ vestes? An pulueri & cineri parantur? Non memoraberis hoc, *Memento homo, quia puluis es*? Vnde ortum habet, vt cum iniuria afficeris, nimium irascaris, vt cor tuum sedari non possit? Oblitus es, quòd puluis sis. Quàm bene Iob. *Comparatus sum luto, & aßimilatus sum fauillæ & cineri*. Et Abraham: *Loquar ad Dominum meum cùm sim puluis & cinis*. Cinis fuit humilitatis Symbolum & pænitentiæ in Iob. *Ago pænitentiam in fauilla & cinere*. Et iterum. *Operui in cinere carnem meam*. Et Ierem. *Filia populi mei, accingere cilicio, conspergere cinere*. Et Ion. *Rex descendit de solio, & sedit in cinere*. Modo ergò tempus est humiliandi nos & pænitentiam agendi.

Vilitas naturæ nostræ.

Libr. 7. de Trin. ca. 4.

N. B.

Iob. 30.

Genes. 18.

Iob. 42. & 16.

Ierem. 6.

Ion. 3.

Sed vide quàm diuersè loquatur nunc de homine, quam ante locutus fuerat. Facturus hominem ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit volatilibus cæli & piscibus maris*. Sed hodie dicit: *Puluis es*. Quid magis diuersum à Dei imagine esse potest? Quis ergò imaginem illam Dei deiecit? Quis principem omnium puluerem fecit, vt ab omnibus, vt puluis, conculcetur? Peccatum istam intulit nouitatem. hoc, vt dicit Iob, *expo-*

Genes. 1.

Quid imaginem Dei deiecerit.

Iob 19. liauit me gloria mea, & abstulit coronam à capite meo. Qui hominem considerat tam diuersum ab eo, qui à Deo conditus est, tam mutatum, dicere poterit meritò quod Ruth. 2. dictum est: Hæc est illa Noëmi i. pulchra. Est hic homo ille, tot bonis gratiæ & naturæ qui fuit ornatus? qui princeps operum Dei? qui magnus & illustris? Sed respondebit meritò, quod Noëmi. *Nolite me vocare Noëmi. i. pulchram, sed vocate me Mara: quia amaritudine repleuit me omnipotens*: ne dicatis me plenum gratijs, sed miserijs; non eleuatum, sed depressum; non Dei imaginem, sed puluerem. Meritò deiectus est in tantam miseriam, qui à Deo recessit. Ecce *qui elongant se à te, peribunt*. Sed quis malum tantum, tâtam vastitatem homini inferre potuit? Peccatum hæc operatum est. Nam per peccatum puluis & mors.

Thren. 3. Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri. Væ nobis, quia peccauimus. Propterea mæstum factum est cor nostrum; ideò contenebrati sunt oculi nostri.

Psalm. 72.

Sed consideratione dignum est, non alium *puluerem* nobis imponi quàm cinerem: & sæpè homo cinis dicitur, quod hic puluis est: quo nobis malum aliud ostenditur præter ea, quæ huc vsq; diximus. Hoc verò illud est, quod Ecclesia, quæ ignis fuit initium, iam cinis facta est. Isa. 33. Et erunt populi quasi de incendio cinis. Quid enim primitiua fuit Ecclesia, nisi *fornax septuplum accensa*? Quid primi fideles, *nisi carbones incensi*? Hunc vt accéderet ignem venit in terram Christus. *Ignem veni mittere in terram* Et ad hoc spiritum sanctum in figura ignis misit, & in spiritu veh menti, vt omnem cinerem tolleret.

Isa. 33. Abdiæ 1. Apoc. 18. Psalm. 17. Lucæ 12. Act. 2.

Sed qui modo considerat huius Ecclesiæ fideles, solùm sunt cinis eius, qui præcessit, ignis. Signum solùm manet, quod fuit hic ignis Quis considerat primos illos Ecclesię pastores ignitos verè? Quis eam charitatem, illam Sacramentorum frequentiam, illam sacerdotum reuerentiam, cum Imperatoribus præferrentur; illam asperrimam pœnitentiam publicam & secretam? illam vitam immaculatam: de qua Plinius scribit Traiano, nullum malum à Christianis fieri, nisi quod die ac nocte Christum suum laudarent? videtq; quàm hæc hodiè sint diuersa? *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus color optimus*? O Ecclesia, sancta mater nostra, ô sponsa agni Hierusalem, quàm alia es ab ea, quàm Ioannes describit descendentem de cœlo, &c.? *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte* &c. *Denigrata est super carbones facies eorum, non sunt agniti in plateis*,

Diuersitas morum nostrorum à priscis.

Thren. 4. Apoc. 21. Thren. 4.

Quis

Quis agnoscet fideles, qui antea quotidie communicabant, nunc vix semel in anno? qui erant cor vnum, nunc verò & fratres inter se pugnant? qui in 500. leutas eleêmosynas mittebant, nunc ante eorum ianuas pauperes pereunt fame?

Renouet ergo quisq; cor suum, vt monet Paul. *Renouamini spiritu mentis vestræ.* pristinum charitatis feruorem recuperet. &c.

FERIA QVINTA POST CINERES.

THEMA: *Non inueni tantam fidem in Israel.* Matth. 8. Luc. 7.

Laus fidei eius quare.

FIDEM hoc loco Christus dominus laudibus effert, ac miratur, & alibi sæpe. Dubium est, qua ratione voluerit Christus toties & tantis encomijs fidem laudari in scriptura; cum charitas, Paulo teste, maior sit. Petrum de fide mirè commendat Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona* &c. & ad Thomam *Beati qui non viderunt et crediderunt.* & *Iustus ex fide viuit.* Et modo in laudem Centurionis. *Non inueni tantam fidem in Israel.* Tanta autem de fide dicta sunt, vt multi hæretici crediderint sufficere ad salutem. Tantæ laudis rationem Conc. Trid. dicit esse, quia principium est iustificationis nostræ.

1. 1. Cor. 13. Matth. 16. Ioan 20. Rom. 1. Galat 3. Heb. 10. Conc. Tride. sess. 6. cap. 8.

2. Ratio.

Altera ratio, quod tantis encomijs fides extollatur in scriptura, est nobis explicanda. Quod vt radicitus exponamus, aduertendum nobis est, innumera bona nobis à Christo prouenire: imò omnia bona ab illo sunt; sicut mala ex Adam. *Omnes nos in Adam peccauimus*: & omnes propter illud peccatum punimur, quia membra illius sumus: qua ratione *omnes nascimur filij iræ*; & sic vniuersa in nobis mala proueniunt propter Adam. Simili ratione de Christo domino, secundo Adam philosophandum nobis est. Est ille primus hominum parens, omnium caput, omniũ nostrum vices gessit, atque adeo pro omnibus satisfecit, ac meruit; omnia ergò eius membra libera manent, nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo. Sed sicut necessarium est, vt simus membra primi Adæ, & vt

Rom. 5. Ephes. 2. Christi beneficium. Rom. 8.

eius incurramus damnationem, moueri ab eo per carnalem generationem: sic vt efficiamur membra secundi, necessaria est regeneratio spiritualis: *Voluntariè nos genuit verbo veritatis. Et Qui ex Deo nati sunt.* Ista regeneratio fit in Sacramentis media fide & charitate: *In Christo Iesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Si fidem solam habeas, membrum es Christi, non viuum, sed mortuum; non ad te descendit influxus gratiæ à capite: si verò charitate viuas, membrum es viuum, omnia bona Christi participans, qui caput tuum est. Gloriari possumus, præclarum nos caput habere, & quod viuum est ad dexteram Dei. Tale viuum non habent Saraceni, nec gentes, sed mortuum: nam habēt Deos mortuos: sed Christus caput nostrum viuit in æternum.

Regenerationis necessitas. *Iacob. 1.* *Ioan. 1.* *Galat. 5.*

Rom. 6. Ex his sequitur, quòd Christus Dominus eripuit nos à potestate tenebrarum, à dæmonis seruitute. *Lex est.* ait Petrus, *à quo quis superatus est, eius seruus est.* Peccâsti? victus es à dæmone? eius seruus es: misera profectò seruitus & captiuitas. Hac detinebatur miseria totum genus humanum. Quis ergò nos eripiet *de potestate tenebrarum?* quis dæmonem superabit? Venit Christus in mundum, vt verus Samson, superuenit fortior armatus, & dæmonem ligauit, eius vasa diripuit. Voluit eum in captiuitatem detrahere dæmon; & dum sibi nil debentis persequitur libertatem, propriam amisit. Quare post Christum nullus hominum dicat: Seruus sum, non possum peccato resistere. *Peccatum nobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia.* Adhere ergò Christo, ei vnire, & Samsonis vires recuperabis. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum.* qui triumphat nos in illo. qui dedit potestatem talem hominibus, vt vniuersos dæmones pedis ictu superare possunt.

2. Pet. 2. *Iudic. 15 & 16.* *Rom. 6.* *1 Cor. 15.* *2. Cor. 2.*

Cum verò nouerit mundus, tanta se bona habere à Christo, quas ei laudes & gratiarum actiones referet? An non ab omnibus adorandus, benedicendus? an non omne ei genu flectendum? Sicut Salomoni, Dauidi, Goliath superanti, Mardochæo, Iosepho acclamatum est: sic nobis cum Christo faciendum, & eius acclamandum est regno. Hoc in cælo fieri Ioannes vidit: hoc nobis & in terra peragendum non est? Quia ergò ad fidem pertinet profiteri & ostendere hæc Christi magnalia: fide enim intelligi-

1. Reg. 30. *1 Reg. 17. 18.* *Hest. 6.* *Genes. 14.*

telligimus omnia, quæ Christo debemus: fide Christum laudamus, profitemur: ideo toties fides in scripturis laudatur ac commendatur summis laudibus. Per illam enim Christo acclamamus & dæmonem terremus. *Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius.* *Psalm. 148.*

Sed est fides quædam magna, perfecta, viua: cui negari à Deo nihil potest; & quę proponitur nobis in exemplum in Centurione, quam Christus nobis ostendere voluit, vt miraremur & imitaremur, quam miratus est ille, & conuersus ad sequentes se dixit. *Amen dico vobis non inueni tantam fidem in Israel.* Et adiungit: *Vade & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* Est enim fides quæ omnia impetrat, & vt ita dixerim, Deum cogit. Et tunc verum habet, quòd regnum cælorum vim patitur: quia iis, qui magna fide præditi sunt, nihil resistit. Hinc ad Moysen. *Quid clamas ad me? &: Dimitte me.* quasi Moyses vim Deo inferret, vt veniam daret. Tantæ enim eius fidei nihil negari poterat. Nam *Oratio humiliantes se nubes penetrat.* Non omnes hanc fidem habent, qui fideles sunt. Sed quia hodie sequentibus se Christus proponit in exemplum Centurionis fidem, hanc viuam magnamq; fidem in eo contemplemur, vt eam imitemur. *Fides magna.* *Matth. 11.* *Exod. 14. & 32.* *Eccl. 5.* *De vera viua & magna fide in dilectione.*

Primò, *erat illi seruus pretiosus*, cuius salutem enixè à Christo postulat. Implet nunc Centurio illud Eccli. *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem illum tracta.* Et *Seruus sensatus sit tibi dilectus, quasi anima tua.* Vis seruos tibi esse fideles? tu illud facere potes, si eos pretiosos habeas. Charitas à nobis exigitur, cum omni proximo, sed præcipuè cum domesticis. *Qui suorum*, ait Paulus, *maximè domesticorum curam non habet fidem negauit & infideli est deterior.* Quòd si eorum quæ ad corpus spectant, curam domesticorum habere teneris; quantò potius eorum, quæ ad animam, vt nullus in domo tua sit paralyticus. Vide curam Iob, sacrificium offerentis pro filijs, dicentisque, *Ne fortè peccauerint filij mei &c.* Vide curam Tobiæ erga filium, quem ab infantia timere Deum docuit: & domesticos, cùm ait, *Videte ne furtiuus sit hircus.* Quod maximè Deum homini deuincit charitas ista est, & cura proximi in spiritualibus. Audi Dominum loquentem. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? Scio enim,* *Eccl. 33.* *Eccli. 7.* *1. Tim. 5.* *A minori ad maius.* *Iob. 1.* *Tob. 2.* *Gen. 18.*

quòd præcepturus sit filijs suis & domui suæ post se, vt seruent præcepta mea. Maximè tibi curandi domestici sunt, præcipuè verò vt iusti sint.

Quomodo Deo simus pretiosi.

Sed & in hoc, quòd Centurioni *pretiosus est seruus* eius, ostenditur, quomodo pretiosi simus Deo ab eoq; summè dilecti: ipse enim eò quòd nos diligat, facit vt diligamur à parentibus & amicis. Quo ostendit summam in nos dilectionē, dum non solū diligit ipse, sed & ab alijs nos diligi vult, & in pretio haberi. Omnis ergò amor creaturæ effectus est diuini amoris; qui efficit, vt nos creaturæ diligant. Tu itaq; es seruus Deo pretiosus, cùm pro te sanguinis sui pretium dederit. *Languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Hinc etiam intelliges quantum Ecclesiam diligat suam. Quis sumat super se dolorem aut infirmitatem, vt alter liber sit? Hoc facit nullus: fecit verò Christus Dominus. Verè ergo sumus illi pretiosi. Ostēditur itaq; Centurionis viua fides in dilectione serui, qui ei pretiosi fuit.

Isa 53.
Ephes. 5.

Vita fidei Centurionis in humilitate.

Secundò ostenditur vita fidei Centurionis, in eò, quòd accessit ad Christum humiliter. Aug. Acceditur ad Deum non gressibus corporis, sed affectibus. Hoc modo non accesserunt ad Christum Pharisæi, qui nuntium Christo retulerunt, sed superbè ad Christum venerunt. dicentes. *Dignus est, vt hoc illi præstes*: Nec dicunt, Diligit Deum, quod declarauit Synagoga ædificata & dilectione populi sui: sed, *diligit gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.* Beneficium in eos collatum eum dignum facere dicunt.

Collatio Pharisæorum & Centurionis.

Compara modò horum cor cum corde Centurionis. Illi dicūt dignum esse: ille verò indignum se putat beneficio, & ipsa Domini præsentia Sic enim ait: *Non sum dignus vt intres sub tectum meum: propter quod & meipsum non sum dignū arbitratus, vt venirem ad te.* En quæ sit fides Deo placens. Fides Abrahæ, quæ filium immolat, vt Deo obediat. Fides Magdalenæ, quę diligit, & lachrimas pro peccatis fundit. Fides Rahab, quæ exploratores recipit Fides Centurionis humilis, qui se omnium indignum putat, licet ab omnib. dignus iudicetur. Tantum valet apud Deum nihil reputare omnia merita nostra, vt valent vniuersa ipsa merita. Si ergo magna vis esse merita tua apud Deum, tu ne reputes magna: sed cum *feceris omnia quæ tibi mandata sunt, dic, Seruus inutilis sum.* Sic Paul. dicens: *Non sum dignus vocari Apostolus.* omniū primus factus est. Et Ioan. Bapt. dicens: *Non sum dignus*

Genis. 22.
Luc. 7.
Ios. 2. 6.
Chrys. hom. 33 in 1. Cor. 13.
Lucæ 17.
1. Cor. 15.
Ioan. 1.
Ioan. 1.

dignus soluere corrigiam calceamẽti eius, amicus sponsi factus est. Petr. dicens, *Exi à me Domine, quia homo peccator sum,* fundamentum Ecclesiæ constituitur. Summè enim Deo gratum est, se minimum iudicare. Ita cum Centurio ait, *Domine non sum dignus* &c. dignus factus est & admirationi habitus, & Iudæis prælatus à Domino. *Lucæ 5.*

Est autem duplex exitus, humilis, & superbi. Superbus à Deo exit per superbiam; quia voluntatem suam diuinæ anteponit. Humilis exit à Deo per humilitatẽ, quia exitus est sub Deo. Hic fit, cùm anima, considerata diuina maiestate & propria vilitate, cõtrahit se, & quasi recedit. Hoc pacto exit à Christo Centurio d. *Non sum dignus, vt intres.* &c. Mirabilis profectò exitus iste est: qui cum exitus sit & recessus; simul est via recta, qua in Deum tendimus. *Gerson.* *Exitus duplex Superbi. Humilis.*

Sunt autem duo humilitatis miracula Primum, *quod humilem spiritu suscipiet gloria.* Descẽdit humilis à Deo in propriam vilitatem, contemptum, & infirmitatem, & sic fit potentissimus, ditissimus, gloriosissimus. Dauid ridente Michol vilior fit: & euadit gloriosior Centurio nonne indignum se dicit, & dignus habetur? Cõtemnit se, & Christo admirationi est. Fugit à Christo, & venit ad eum Secũdum humilitatis miraculum est, quòd *Deus superbus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Exit anima per humilitatem à diuina bonitate & perfectione, ad suã vilitatem & imperfectionem: & sic fit perfectior, diuinis gratijs abundãtior, *tanquam vallis abundans frumento & aquis.* In hac perfectissima imperfectione erat, qui dic. *Venit Iesus peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Grande miraculum. *Duo humilitatis miracula.* *Prouerb. 29.* *Gerson.* *2. Reg. 6.* *Iac. 1.* *1. Petr. 5.* *N. B.* *Psalm. 103.*

Sed enituit humilitas Cẽturionis in eo, quòd indignum se & domum suam putauit Christi hospitio. Ad Zachæum loquitur Dominus: *Festinans descende.* &c. *At ille excepit eum in domum suam gaudẽs.* Laudabilis sine dubio Zachæus, sed admirationi Christo non est habitus. Quod Zachæo Christus dixit, Centurioni similiter dicit: *Ego veniam et curabo eum:* eo, inquit, in domum tuam Sed, ô Domine, salutem tantum petit, non aduentum in domum suam. Verè *potest superabundantius facere, quàm petimus aut intelligimus.* Petit Abraham: *Vtinam Ismahel viuat coram te.* Cui Deus: *Numera stellas cæli, sic erit semen tuum & insuper filium dabo tibi, in quo benedicentur omnes gentes.* Salomon petit sapientiã; & ei donatur illa, & omnia alia, quæ nõ petijt. Petit Latro; *Humilitas Centurionis admirabilis.* *Collatio Zachæi & Centurionis.* *Ephes. 3.* *Genes. 17. 22.* *3. Reg 3.*

Lucæ 23. *Memento mei cum veneris in regnum tuum*, & audi. Hoc regnum tibi dabo: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Et curabo, ait, *eum*. Non erat necessarium hoc exprimere. Manifestum enim erat, Christo domum intrante, salutem intrare, sicut ad Zachæũ ait: *Hodie salus domui huic facta est*. Sed Zachæus gaudens excipit; Centurio dicit, *Domine non sum dignus*. Vterque laude dignus, sed præcipuè Centurio, cuius fidem Christus miratur. Et verba illius tanta sunt, vt ea vsurpauerit Ecclesia in dignissimo Missæ loco. Quibus ostenditur, quanta reuerentia & humilitate suscipiendus sit Christus in Eucharistia. Vide qua reuerentia susciperes regem venientem in domum tuam? Vide qua humilitate Maria Christum suscepit in vtero suo, qui illi paradisus erat cælestis? Tu ergo cum eum excipis, dic: Tu venis ad me? O si intelligeres, quis ille q̃ venit, & quis ille ad quem venit. Extrema sunt immẽsa. Ille abyssus puritatis, ego abyssus miseriç. Ille Deꝰ Deorũ Dominus: ego primus peccatorum. *Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore*. Sic ergò nobis humiliter accędendum & cum tremore, dicentes: *Domine non sum dignus* panẽ vulgarem manducare, quomodo cælestem panem manducabo? Sic enim fiet, vt veniẽs curet nos: quiescit enim *super humilem et pauperculum*, qui se noscens pauperem dicit; *Non sum dignus*.

Margin notes: Luc. 19. — Simile. — Psalm. 2. — Isa. 66.

FERIA SEXTA POST CINERES.

THEMA: *Diligite inimicos vestros.* Matth. 5.

SICVT Aquila, vt filios suos dignoscat solis radios cogit intueri; sic Deus Filios suos probat disquirens, quis ei in hoc placeat, vt inimicos diligat. Sed vt hoc intelligatur, Orandum est cum Psal. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam Domine.*

Simile.

Duo autem hodierno Euangelio docemur: primùm, inimicos diligere: secundum hypocrisim cauere. De hoc secundo multa verba Christus Dominus fecit; quia multa tunc erat facta sanctitas. Sed de primo, scilicet inimicorum dilectione, nobis hodie agendum est.

Diuisio Euangelij.

Nihil

Nihil dignius aut excellentius homini contingere potest, quàm vt Dei sui sit imitator. *Nam gloria magna sequi Dominum.* Inter diuinos verò mores, quos imitari debemus hic maximè nobis imitandus est, quòd omnia opera sua in summo bene facit. Opus enim creationis vniuersi, opus gubernationis, opus redemptionis, & remunerationis in summo, bene, perfectissimè, & in summa sapientia iustitia, misericordia & redemptione copiosa sic fecit, vt homo aut Angelus tale quid excogitare non posset. Ad huius ergò exemplar curare debemus, vt omnia opera nostra perfecta sint, attendentes optimum finem, operantes omni conatu, virtute ac desiderio, vt dicere possimus: *Fortitudinem meam ad te custodiam* & impleamus illud. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Ad hoc nos Angeli, qui vno instanti ex toto conatu operantes meruerunt æternam, qua nunc fruuntur, gloriam non tantum hortantur: sed & ipse Saluator dicens. *Estote ergò & vos perfecti, quemadmodum & pater vester cælestis perfectus est.* Licet verò in omni opere nostro hoc curandum sit, præcipuè tamen in dilectione, quam Christus Dominus summoperè cōmendauit, quamq; voluit signum esse suorum: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* & hæc finis omnium præceptorum eius. Hac in re præcipuè eũ imitari debemus, *Estote imitatores Dei, sicut filij charißimi; & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* Hoc nouum nostrumq; mandatum, quod adeò nobis maximè obseruandum.

Quid hominis excellentißimum. *Eccli. 23.* *Ad perfectionem adhortatio.* *Psalm. 58.* *Eccli. 33.* *Matth. 5.* *Dilectio signum electorum.* *Ioan. 13.* *Ioan. 15.* *1. Tim. 1.* *Ephes. 5.*

Hoc charitatis præceptum voluit Christus omninò perficere, ostendens superius ex parte diligentis non opere solum à proximi iniuria cauendum, sed à verbo malo, & ab iræ signo, & ab ira etiam interiori. Hodie verò perficit hanc charitatem ex parte obiecti, extendens, illam ad omnes etiam inimicos, quod est vltimum, ad quod charitas extendi potest. Scribæ & Pharisæi, cùm verbum Hebræum Reach, vel Ree amicum significet & proximum, inferebant dilectionem inimici nō esse præceptam. Hunc errorem Scribarum Christus hodiè corrigit, vt si puer malè scripserit, tabellio diceret, illud tanquam mendum tollendum esse, sic dicit, odio inimicum esse prosequendum. Corrigit ergò hoc mendacium dicens. *Egò autem dico*

Scribarum error.

vobis, diligite inimicos vestros, benefacite, orate. & cæt. Sed ais: Tam bonus, tam perfectus ero omni loco, omni tempore, omni cum homine? Resp. Finis legis est bonum facere seruantem eam; & quo meliores facit, eò lex melior est. Cum igitur lex illa nos perficit, *vt simus perfecti, sicut Pater, qui in cælis est*, hæc lex tibi placet? Sed obijcis. Nimia perfectio à me exigitur Resp. Omnia tua vis esse bona, & valdè bona; quare ergò tu non eris valde bonus? Vis domum optimam, vestes optimas? & cæt. & tu imperfectus eris? Sed adhuc natura recalcitrat, dicitque; Durum est verbum *dilige inimicos*. quomodo enim diligam eum, cum quo nec in domo commorari possum? Resp. Durum est verbum, & dulce. Dulce amanti Deum; Durum non amanti. Hæc aduersa videntur, sed non sunt: arcta est enim naturæ, ampla gratię; ampla via diligēti, arcta nō diligēti.

Finis legis. *N. B.* *Aug. ser 12. de verb. Do.* *Augu. ser. 9. de verb Do. Chrys. ho. 24. in Mat. ca. 7.*

Sed ais: quomodo voluntatem meam inclinabo, vt inimicos diligam? Considera omnibus nobis inimicos esse, ideo necessaria & communis est hæc omnibus doctrina. Audi Magistri vrgentissimas rationes. Prior maximaque sit, qua Christus hodie vtitur. *Ego autem dico vobis*. Summam Emphasim habet verbum illud. Si nosses, ô homo, quis loquatur tibi, *Ego*. Ego qui vos condidi: ego qui redemi; qui glorificabo, aut inæternum damnabo. Ego qui tot in vos contuli beneficia, & ad huc conferam. Si verba maiorum vim habent in filios: quid non Dei in nobis? Quomodo nos, voce Christi audita, pulcherrimum virtutis opus non præstabimus?

Cur inimicus sit diligēdus.

Hac verò in re blasphemus quidam loquendi modus vitandus est, maximè eorum qui dicunt, DE DECVS ESSE vindictam non sumere. Turpéne est diuinā seruare legem? Dei mandatis obedire? Filium Dei esse? In super si inglorium est inimicis parcere, maximè inglorius Deus est, *qui solem suum oriri facit super bonos & malos*; cuius maximum encomium est, misereri & parcere. Satis ergò sit homini Christiano: Ego dico vobis. Regula prima omnis boni diuina est voluntas.

Impia vox iracundorū. *Matth. 5.*

Sed quia nostri amantissimi sumus, in eandem causam rationes alias adducit Christus, vtilitatem nostram concernentes. Vnde addit: *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est*. Cùm hæc verba audimus, omnes genu flectere debemus, & immensas Deo referre gratias, *qui potestatem dedit*

hominibus, vt filij Dei fierint. Si quis tibi nunc diceret: Via est facilis, qua esse possis Regis filius, qua lætitia verbum hoc exciperes? &c.

Magna certè ratio est, vt inimico dimittas, filium Dei effici: Sed tanti ponderis verbum hoc est, vt multas in se rationes contineat. Earum altera est. Si dimiseris inimico, dimittentur tibi peccata tua. Sic enim filius Dei efficeris, donata tibi gratia, per quã fit remissio peccatorum. Si non dimittis, fac omnia, quæ volueris, non dimittetur tibi. Fores cæli clausæ sunt ei, qui non dimittit. *Si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestea. Si offers munus ad altare, &c. vade recõciliare fratri tuo. &c.* Quo loco necessitas nobis à Deo imponitur: nihil enim suscipere vult à nobis, nisi prius fratris amicitiam conciliemus. Quis hoc audit & non continuò dimittit? Si tu chirographum habes 100. denariorum ab alio: & alter de te 10000. talẽtorum. Si combusseris tuum, liber eris à tuo magno debito. Nunquid facis? Cur non idem facis ergò Deum & proximum? Debes tu Deo pœnas infinitas & æternas: debeat tibi proximus honorẽ, vitam, substantiam, quæ sunt temporalia. quanta sunt hæc? Si dimittis parum debiti in proximum, dimittet tibi Deus infinitum quod ipsi debes. Si non dimittis tu, non dimittit ille. Si recuperare vis debita tua, ille recuperabit debita sua.

August.
Matth. 6.
Matth. 5.
Chrys. ho 16. in Matth. 5.
Simile.
Matth. 18.

Ad eandem rationem, *Vt sitis filij Patris vestri*, altera ratio pertinet. Et quænam illa? Vtique quemadmodum filius à patre vel à matre facilè obtinet, quæ petit: qua ratione nos orare Patrem Christus monuit & nos filios exhibere, cùm oramus, docuit, dicens, *Pater noster qui es in cælis*. Sic qui pro inimicis orat, cùm filius sit, maxima facilitate omnia, quæ petit, accipit. Patent cælestes ianuæ orationi pro inimicis: sicut clausæ sunt ijs, qui inimicitias gerunt. Reliqui orationes pulsant cæli ianuam, sed oratio, quæ pro inimicis funditur apertam prorsus inuenit, vt patet in Stephano protomartyre. Elisabeth Hungariæ Regis filia cùm orasset Deum, vt inimicos singulari afficeret beneficio; diuinum meruit responsum, nunquam sic Deum placuisse in orationibus, & omnium peccatorũ remissionẽ idcirco ei cõcessam esse. Et à fide dignis accepi mirum hoc. Vidua habebat vnicum filium illustrem. Hic cùm occisus esset, & inimicus à ꝑtore ad mortẽ inquireretur,

Auila epi. 6.

tur, eadem occisori filij sui occisi equum & pecunias misi vt euaderet. Quare orans pro filij anima, astitit, is multa luce ornatus in oratorio, dicens, quod mater ipsius iam vera esset, &c. atque in matris oculis cœlum conscendit. Tantum apud Deum valet oratio post dimissas iniurias. Nulla alia re sic captari potest diuina beneuolentia, vt à Deo exaudiamur in oratione, ac inimicorum dilectione, & pro eis oratione effusa.

Malū quod incidat pro inimicis non orans.

Sed quoniam multa bona diximus, quæ consequitur, qui pro inimicis orat, qui iniurias remittit, aliquid dicamus vel vnum ex malis, in quæ incidit, qui vindictam ab inimico reportat. Plus enim mali sibi infert, quàm inimico, etiamsi vitam, honorem, substantiam adimat. Vidistíne tam dementem hominem, qui vt inimico vulnus infligat, quem à tergo habet, pugione cor suum primùm transuerberet; & cùm se cōfoderit, pugionis minima pars parum lædat inimicum, & vulnus efficiat leue, quod acicula facere potuisset? Inimico honorem detraxisti, bonis exspoliasti, aut etiam vita? Attende quàm minima hæc sunt vulnera in hoste, quæ temporalia mala sunt. Sed quid tibi mali intuleris conspice: prius animam occidisti tuam. quia, *Qui non diligit, manet in morte*. Est odium fortissimo simile veneno, quod frangit prius vas, in quo continetur quam lædat alterum. Vindictam de proximo sumpsisti. Deum primùm & vitam animæ tuæ amisisti, gratiam, virtutes omnes, merita, & omnia opera bona. Multò magis fuisti hostis animæ tuæ, quàm inimici tui. Apis excandescens hominem leui ferit punctura, quæ admoto luto continuò curatur, sed misera apis aculeum amittens moritur: sic & vindictam sumens animam perdit. *Stultum*, ait Iob, *interficit iracundia*. Verè stultus est, qui sibi plus damni infert, vt parum inimicum lædat.

Simile. (margin)

1. Ioan. 3. (margin)

Simile. (margin)

Tot ergo visis odij malis, veniæ verò & indulgentiæ bonis, restat, vt omnes ignoscamus inimicis. Flexit Spartanos religio, vt hostibus infestissimis parcerent: flectat te diuina religio, præceptum Christi, Dei filiatio, peccatorum remissio, orationis exauditio, & gloriæ adeptio. &c.

DOMI-

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMAE.

THEMA: *Tunc ductus est Iesus à Spiritu in desertum, vt tentaretur à Diabolo.* Matth. 4.

QVOD præcipuum ac pernecessarium est in domo Principis, si propè inimicos consistat, est atrium omni armorum genere abundans, in quo tum illetum eius ministri accingantur armis, quoties ab inimicis petuntur: sic & in Ecclesia quæ militans dicitur, & *militia est vita hominis super terram*. Qui enim super cælos sunt, triumphant: qui sub terra, ab inimicis superati sunt & perpetuo carceri mancipati: qui verò super terram, militant, è regione inimicos habent; ideoque armorum atrium eis est in Ecclesia. de quo Cant. *Sicut turris Dauid collum tuum; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Hæc est Maria, in cuius visceribus arma induit Christus, quibus dæmonem superauit. Petierat hoc Psal. *Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi*. In eadem turri omnes armandi sumus Dei gratia, vt vincere dæmonem possimus, &c. — Exordium à simili. — Cant. 4. — Psalm. 34.

Descendunt hodie in singulare certamen duo præcipui mundi duces, Christus & Lucifer. nec enim alius, vt Christum tentaretur, aduenit. Dauidis & Philisthæi pugna huius licet figura fuerit: cum hac tamen collata, pugna dicenda non est, sed ludicrum. Sicut autem in illa pugna qui vincebat pro se & suis vincebat: qui verò vincebatur, pro se & suis vincebatur. Ita & in hoc Christi & Luciferi prælio, actum est. Vt enim victo primo Adamo omnes victi & serui facti sumus: ità vincente secundo Adam, omnes victores euademus. Victus est hodie dæmon, & *data est nobis victoria per Iesum Christum*. Tam enim nobis relictus est debilis, vt non vincat nisi volentem: & Antonio confessus est, viribus se carere, & à pueris facilè vinci posse. — Duellum Christi & Luciferi. — Figura. 1. Reg. 17. — Isaiæ 10. — 1. Cor. 15. — Aug. — Athan orat. 1. contra Arian.

Summa etiam consideratione dignum hoc bellum est, non tantùm propter eos, qui pugnam ineunt, sed etiam propter eximia pugnantium facinora. Hoc supremum fuit — Pugnantium egregia facta.

fuit bellum: quia inter duos mundi principes fortissimos, contendentes super orbis imperio, coram omni cęlorum curia, & infernorum, & summa vtriusque contentione. Non enim dæmon ligatus, vt nobiscum, pugnauit, sed solutus fuit, pugnans cum Christo, vt omni astutia & arte vteretur.

Audacia dæmonis. Res autem maxima hæc fuit, tum ex parte dæmonis, tum etiā Christi domini. Ex parte dæmonis, audere cum Christo in arenam descendere; quæ maior fuit audacia, quàm si parua formica cum vniuersis hominibus; aut homo cum omni cælorum motu contenderet. Ex parte verò *Christi humilitas.* Christi domini fuit summa eius tum passio, tum humilitas. Summum enim malorum culpa est, non pœna: quia culpa est contra Deum, pœna contra hominem. Tentatio verò malū est pœnæ, sed proximū valde malo culpę: adeò vt Christus Dominus patiēs maximè humiliatus sit, summoq; dolore affectus; sicut honestissima fœmina maximè *Simile.* affligitur, cùm ad inhonesta sollicitatur, plus q̃ si verbe- *Tentatio est dæmonis vexatio.* ribus afficeretur. Quis dolor, quæ humiliatio animę Christi, cū se vidit in peccatū sollicitari? Est enim tentatio vexatio dæmonis, qua hominē conculcat & subijcit. Vndè *Eccl.10.* Sap. Si spiritus ascend. super te tu stationem tuā ne deseras.

Caussa tentationis Christi. Res verò tam grandis sine grandi caussa non est facta. Caussa verò nos sumus, vt doceat nos ille pugnare, & vincere. Et licet indecorum videatur Christum tentari; nostri tamen caussa id passus est. Non est enim amor Christi in nos vllis limitibus inclusus, vt noster in Deum & proximum.

Christi amor non est limitatus. Nos si amoris in Deum caussa aliquid facturi sumus, multum circumspicimus, derogetne honori & dignitati nostrę: si aliquid putamus aduersum, continuò renuimus. Amor Christi in nos non sic vllis concluditur terminis; *Rom.15.* non sibi sed nobis conuenientia respicit. *Christus enim non sibi placuit, sed nobis.* Quia ergo nobis cōueniebat & expediebat illum tentari, vt in eo erudiremur, tentatus est; vt discamus & nos certare cum hostibus. Id nos docet Psalm. *Psalm.143.* gratias agens; *Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus* *2.Reg.22.* *meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Modò igitur pro- *Apoc.17.19.* cedunt in bellum duo Reges, Christus & Lucifer: ille *Rex* *Iob.41.* *Regum & dominus dominantium.* hic *Rex super omnes filios su-* *2.Reg.11.* *perbiæ.* Modò & nobis procedēdum est in bellum, nec remanen-

manendum domi, vt Dauid remansit in Hierusalem, & adulterio homicidioq; pollutus est ne & nos cum illo peccamus in delictis nostris; sed vt strenuè pugnemus, proponitur Christus in exemplar. *Curramus ergo ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum.* Hebr. 12.

Primùm omnium, *Ductus est Iesus à Spiritu.* Præclaro patrono comitatus ingreditur locũ certaminis, Spiritu scilicet diuino. *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Christus filius Dei, spiritu Dei agitur. Spiritus ventus est. Quãdo duę classes pugnam inire volunt, si alteri ventus faueat facile superabit aduersam. Quàm facilis victoria dæmonis est, cũ *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram*? Optimo vento nauigat, qui hoc spiritu ducitur Psa. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Cõtra verò reprobi spiritu nequam ducti in infernum properãt: sicut spiritu sancto insufflante iustus procedit cũ lætitia in virtutis viam.

Comes Christi ad locum certaminis. *Rom. 8.* Simile. *Iustorum comes.* *Rom. 8.* *Psalm. 142.* *Reproborum comes.*

Quo vero horum spirituum ducaris, facile cognosces si aduerteris viam tuam. *Nos*, ait Paulus, *non spiritum huius mũdi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est.* Sed quæ signa erunt, vt quo spiritu ducaris, agnoscas? Attende in quem locum feraris. 1. Cor. 2. N. B.

Spiritus sanctus duxit Christum *in desertum*. Verè *Spiritus domini ductor eius fuit*. In desertum ducit idem Spiritus Israël vniuersum, vt sacrificet domino. Et Psal. *Quis dabit mihi pennas, vt columbæ, & volabo & requiescam? Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine: Ductus ergò est Iesus in desertum à spiritu.* Christus certaminis locum, dæmon verò arma eligit. Optimum ad certandum locum eligit, sine dubio in eo vincet. Vis tu dęmonem vincere? Exi in *desertum*: Egredere de terra tua cum Abrahamo. Exi de Sodomis in montem cum Loth. Quid est *desertum* petere? Resp. Caue vitam maximè delitiosam: in ea enim sine dubio superabit te dæmon. Amplectere verò vitam asperam, quæ desertum est. Quidam de Deo Israël dicunt ad Benadab: *Dij montium sunt dij eorum, ideo obtinuerunt nos: pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.* Et spiritualiter rectè dixerunt. Vbi enim præsto est diuinum auxilium, ne vincantur; in deserto est, in monte est; in vita aspera & à delicijs aliena. In campestribus verò, vbi delitiæ sunt vincuntur cum militant. In campestribus superatus

Isa. 61. & 64. Luce 4. Exod. 8. *Psal. 54.* *Genes. 12. & 19.* *Desertum quid.* 3. Reg 20. Allegoria. *Gen. 3.*

Genes.19. est Adam, & Sodomitæ, qui erunt in valle pinguissimâ.
3 Reg. 11. In hac Salomon deiectus est valle. Et in hac diues epulo,
Luc.16. & omnes qui se delitijs tradiderunt, victi sunt. Et sancti
Sancti quomodo vicerint. omnes, qui strenuè contra dæmonem pugnauerunt, primùm omnium deliciosam vitam reliquerunt, *& asperitatibus se dediderunt.*

Præoccupatio. Dicis: Castus esse non possum, semper me caro superat, semper dæmoni succumbo. Peto igitur à te, quo loco
Prouerb. 29. pugnas? in valle an in deserto? *Si delicatè nutris seruum tuum,* corpus tuum, *senties illum contumacem.* Si delicatè comedis, si lautè bibis, si carnem armas & spiritui arma subtrahis, quomodo hic vincet? Casta Iudith in secreto cubiculo
Iudith 8. sola morabatur, *habens super lumbos suos cilicium ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ.* Ecce hæc in deserto pugnauit & vicit. In eodem pugnabat Paulus:
1.Cor.9. *Castigo corpus, & in seruitutem redigo.* In eodem tandem omnes sancti, de quib. scri-
Galat.5. ptum est: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt.*

Præterea donec veniret in desertum tentatus non est: non tibi imminet bellum, donec in desertum venias. Si verò quis desertum petat, continuò tentationes sentiet.
2 Tim 2. *Resipisce à laqueis diaboli, quibus captiuus detineris ad eius voluntatem,*
Simile. & videbis eum te insequentem. Auis laqueo capta, dum ibi consistit, laqueum non sentit: sed auolare cupiens vim laquei experitur: sic anima corpore inescata vim non sentit, sed recedere volens experietur. Nec enim Pha-
Exod.5.& 14. rao affligit Israëlitas, donec in desertum exire parant.

Armа Christi. *Et cùm ieiunasset.* Docet nunc post locum certaminis arma, quibus pugnemus: ieiunat enim & orat. Curat dæmon, ne nobis arma sint in pugnam. Sicut & Philisthæi
1.Reg.13. curabant vt non esset gladius aut lancea in Israël. Neces-
Necessitas armorum. saria verò nobis arma sunt: difficilè enim nobis imminet bellum. Audi Paulum:
Eph.5. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, &c.*

Sed quæ arma? Armatura Dei, ait Paulus. *Proinde accipite armaturam Dei.* id est quibus Christus vsus est, ijsdem
In die malo quid sibi velit. & nobis vtendum est armis. Sed notanda sunt illa verba: *Vt possitis resistere in die malo* Die tentationis diem dicit malum: cuius diei malitiam agnoscit, qui alium thesaurum non habet præter Deum. Si enim annuerit tentationi, si consensum præbeat, Deum amittit, & dæmoni se tradit.

deuo-

deuorandum. vt Petrus d. *Aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Quis tam demens est, qui dæmonibus se tradere velit? Qui sunt huiusmodi? Qui peccata quęrunt. Vide vtrum arma tibi sumenda sint. Pete ergò à Deo: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo;* & armis præcingere, ne te inimici imparatum inueniant.

Quæ sunt autem Christi arma? *Cùm ieiunasset.* Quadraginta dierum ieiunio se armat sicut Moyses & Helias. *Exod. 24. 34. Deut. 9. 3 Reg. 19.* Quando fortissimus Princeps singulare vult inire certamen, propter summam illius fortitudinem aliorum arma induit, ne agnoscatur. *Simile.* Sic Christus se induit armis aliorum, ne agnosceretur, & timeretur. Nosque simul docet ieiunio armari, vt tentationes vincamus. Caro tua, proditrix interior, sicut Dalila Samsonis, armatura fuit dęmonis, cùm te vicit. Nunc fac arma tua, eam esse contra dæmonem, ieiunium & castigationem. Ieiunium præclarum est animæ armamentum. *Basil. hom. 2. De Ieiun.* Danielem ieiunantem reueriti sunt Leones, nec eum ausi sunt tangere. Tres pueros ieiunantes ignis non tangit. Deo gratissimum ieiunium est, ideò propter illud plura concedit: Moysi legem: Eliæ visionem Dei.

Contrà verò GVLA perdit omninò homines. *Gula perdit homines.* Basil. Terret me diuitis illius exemplum in inferno sepulti; de quo aliud malum non lego, quàm *Epulabatur quotidie splēdidè* & tantum hoc malum est, vt Paulus de inimicis crucis Christi flens dicat, *quorum Deus venter est.* Maximè etiam terret nos illud, vbi Israëlitæ carnes appetiuêre, & eas Deus illis concessit. *Psalm. 3. Num. 11.* *Sed adhuc escæ erant in ore eorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum.* *Psalm. 77.* Et tot mortui sunt, vt locus dictus sit, *Sepulchra concupiscentiæ;* quò nomine peccatum & eius punitio significata sunt. Et licet inordinatus fuerit appetitus, non tamen rei prohibitæ. Quis iudicaret tam graue esse delictum eas desiderare, quas multis annis non comederant? Et quale crimen erit, obsecro *N. B.* hoc tempore prohibito eas commedere sine necessitate? Et licèt modo non effundatur hęc ira Dei super comedentes reseruatur tamen in vltionis diem Christus ergò Dominus ieiunio se armat, non quod ille his indigeat armis, vt diabolum superet: solo enim verbo superare poterat. Et Dauid eius figura arma Saulis fortissima abiecit: sed vt

1. Reg. 17. nos doceat ieiunio & oratione armandos, vt dæmonem vincamus: nos his armis indigemus.

Accedens tentator. &c. Tentat Deus Abrahã, vt filiũ interficiat in sacrificium, & fidelis inuentus est. *Quia fecisti hanc rem*, reddidit ei Deus filium, & promittit semen benedictũ in quo benedicentur omnes tribus terrę. Sic cũ Christo factũ est: Procedit in desertum, tentatur, fidelis inuentus est; prælegit fame perire, quàm Deum relinquere: nec quęrit gloriam suam & inanem, sed patris: despicit regna & omnem eorum gloriam: propterea defertur ei summus honos, & Angeli ministrant ei: accipit *nomen quod est super omne nomen.* & *data est ei potestas in cælo & terra.*

Genes. 22. *Galat. 3.* *Philip. 2.* *Matth. 28.*

Ingenium dæmonis obseruandum.

Sed in his tribus tentationibus ingenium dęmonis aduertentum est. Primùm solo pane eum conatur deijcere: sed cùm eo non valet, maius aliquid proponit, vanam scilicet ostẽtationem, si se deiecerit è pinnaculo: Et cùm hoc etiam Christus reijcit, proponit regna magna, sed hæc vana & fallaci promissione. Tam est inuidus dæmõ, tam inimicus hominis, vt nõ solum vera bona & æterna nolit te habere, gratiam & gloriã, sed nec vana bona, vel breuem delectationẽ vellet tibi concedere. Vnde quando hanc offert tibi, non eò est, quòd eam vellet dare, sed quòd sine illa te non potest vincere. Vnde cum prauo proposito te potest vincere, magnum non proponet. quando pane te trahere poterit, amplius non dabit. Ita cum Christo factũ legis: simile tecum agitur. Sic misero prodigo non dabat siliquas, quib. vesceretur. Sicut enim piscator non piscem cibare cupit, sed capere: quo capto cibum ex ore extrahit: ita dæmon proponit delectationis escam, non vt concedat, sed vt capiat: te capto non permittit delectatione peccati frui; sed sola desiderij cogitatione te detinet. Sic Christo promittit orbis imperium, non vt det, sed vt falsa promissione decipiat. Vide, quam parua res pomum sit: sed nec hoc vellet frui primos nostros parentes: sed vt deciperet, hoc dedit, & insuper falsa promisit, *Eritis sicut dij.* En Adam vt puerum pomo deceptum, & promissis mẽdacibus. Meritò ergò dæmon seductor dicitur: vana enim promittit, non vt præstet, sed vt decipiat. Promittit per falsos Prophetas Regi Achab Ramoth-Galaad, non vt impleat promissa, sed vt ibi cadat. Caue ergò tibi à seductore tanto, omnia enim eius promissa vana sunt.

N. B. *Luc. 15.* Simile. *Dæmonis summa inuidia.* *Genes. 3.* *Seductor recte dæmon dictus.*

Sed

Sed obijcis. Fortissimi inimici mihi sunt, quis cum tantis hostibus contendat? Respo. Paulus *Induimini Dominum Iesum Christum;* qui nobis est armatura Dei. Hodie enim ductus est, & positus quasi signum omnibus tormentis, ictibus, & machinis inferni, & fortiter restitit, nihilq; mali passus est. Induere eo, & securus inter inimicos eris. Esa. 41. ostendit fortitudinem venientis Christi, & ait, ad nos conuersus. *Ne timeas, quia ego tecum sum. Ne declines, quia ego Deus tuus, confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescent omnes, qui pugnāt aduersum te. &c.* Mira profectò Christi & gratiæ eius fortitudo, qua talia perficere possumus.

Praeoccupatio. *Rom. 13.* *Christus est induēdus pro armatura.* *Esaiæ 41.*

Sed interim cùm te videris per Christum superasse tentationes graues, illud tibi peragendum est, vt contempleris armaturam tuam, qua indutus fuisti: sicut qui optimis armis induti cum armorum vi incolumes & victores procedunt, ea contemplantur loca, vbi inimicorum ictus constitisse vident, quibus interempti essent, nisi arma obstitissent. Euasisti à tentatione liber? superasti inimicum? Vide quem indueris? Iesum Christum; cōtemplare armaturam tuam, quæ te defendit. Vide vulnera ei inflicta, ne tu vulnerareris. Hæc tua est armatura, illa defensus es, ei gratias age.

Superatis tentationibus quid agendū. Simile.

FERIA SECVNDA POST DOM. I QVADRAG.

THEMA: *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo.* Matth. 25.

HODIERNA Euangelij prædicatio fortissima est & terribis; non dulciter sonans musica, sed horribilis tuba. *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? Quoniam timore Domini omnis recedit à malo.* Dicit, *Omnis*, quia non est, qui hoc non moueatur. Audiens Fælix Paulum de iudicio disputantem tremefactus est. Nam, *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium.* Inuocemus. &c.

Horribilis tuba. *Amos 3.* *Prou. 15.* *Actor. 24.*

Nuncium mundo damus iustis quidem lætum, sed improbris triste & austerum, & tam amarum, vt omnes eorum delitias in fel conuertat, scilicet iudicium futurum, in quo omnium reddenda est ratio & omnibus digna

Eccli. 12.

Ierem.31. retributio. Hoc frenum malorum, & bonorum consolatio. Sed durissimum visum est iudicium tanti Dei cum homine, qui nihil est. Quod elegantissimè Iob explicat. *Homo natus de muliere. &c. dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium?* Huic quæstioni fides & ratio occurrit. Cùm enim sit arbitrio liber, & relictus in manu consilij sui, hæc dignitas obstringit eum, vt factorum reddat rationem: hoc ab eo tributum exigitur, & retributio pro dignitate tanta.

Iudicij diuini æquitas. *Iob.14.* *Eccli.15.*

Vt verò de hoc iudicio loquamur, ab omnibus petenda maximè attentio. Idem exigit Moyses locuturus populo. Sed quid audiendum? *Cur timebo in die mala?* in die iudicij? *Iniquitas calcanei mei circundabit me.* Hoc solum in iudicio timēdum, PECCATVM scilicet, maximum malum, & tantum, vt verbis explicari non possit. Grande profectò malum, propter quod non solus homo punitur qui commisit, sed vniuersus mundus deletur in pœnam hominis. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* sed si Deus contra nos, quis pro nobis erit? Quanta mala manent peccatorem? *Multa flagella peccatoris.* Sed quid mirum? *Quæ seminauerit homo hæc & metet.* Seminauerunt dolorem, & spinas messuerunt.

Deut.72. *Psalm. 48.* *Quid in iudicio timendū* *Rom.8.* *Psalm. 31.* *Galat.6.* *Ierem. 2.*

Exaggeratione & ponderatione tanta loquitur veritas, tam inauditis & exquisitis verbis, vt meritò tremorem incutiāt, & timorem. Isa 13. *Vlulate, quia prope est dies Domini. quia vastitas à Domino veniet* &c. Ierem. 46 *Dies ille domini exercituū, dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis suis.* &c. Oseæ 13 *Et ego ero eis quasi leæna, & sicut pardus in via Assyriorum.* &c. Ioel 2. *Vlulate in monte sancto meo* &c. *quia prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis.* &c. Similibus verbis omnes Prophetæ loquuntur de hoc die.

Isa.13. *Ierem.46.* *Oseæ 13.* *Ioel 2.* *Soph.1.* *Nab.1.2.3.*

Sed vnde indignatio & vltio tanta? Primùm ex potestate vlciscentis: Secundùm ex odio eius, in quem vltio desçuit. Potestas vlciscentis probatione non eget, quanta sit. est enim infinita. odium verò peccati quantum sit dici nō potest. Si Dominus Deus in filio puniens innocente peccata tam acris fuit & vindex; qualem se exhibebit in peccatoribus, in vilissimis seruis ea puniens, in qua personæ dignitas nulla? Et huic accedit, quod sanguis Christi, nunc pro peccatoribus ad misericordiam interpellans, & melius clamans quam Abel iusti, tunc vindictam clamabit cō-

Indignatio diuina vnde. *Hebr.12.*

tra omnem peccatorem, qui eum fudit, & tantum spreuit remedium. Tunc dicent pecatores, quod fratres *Ioseph. En sanguis eius exquiritur.* Dic mihi ergo, ô peccator, hunc diē non times? tantam iram Dei non pertimescis? Signum est reproborum, iudicium non timere: sicut contra prædestinatorum illud pauere. *Genes 42.*

Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. En impletum illud Pro. *Nobilis in portis vir eius, cùm sederit cum senatoribus terræ.* Vir Ecclesiæ Christus. Hic est homo *ille nobilis, qui abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum & reuerti* ad iudicium. Primo aduentu ignobilis visus est & despectus: sed in secundo illustrissimus in maiestate sua. Paruitatem suam ostendere difficile erat, tamen exactè fecit: quod ei facillimum, & à natura insitum quomodo ostendet? Primo aduentu venit mutato habitu, & paucis notus est: *in propria venit, & sui eum non receperunt.* Sed quomodo reciperent superbi humilem; auari inopem; ambitiosi non quærentem gloriam suam, sed patris? Sed secundo aduentu, *Deus noster manifestè veniet & resilebit.* Primo aduentu veniens, vt pacem ponat, nascitur pacis tempore: Secundo horribili tuba, quia bellum indicturus mundo, quo omnia igne & sanguine vastanda Dan. 7. *Maiestas aduentus secūdi. Proue 31. Luk. 19. Ioan. 1. Psal. 49.*

Sed quæ dies illa habet super iudicium mortis? Primùm erit terribilis aduentus Christi, eius ira & increpatio, omni inferno acerbior, & durior. *In increpatione mea desertū faciam mare, ponam flumina in siccum* &c. Et hoc timebat Psal. *Ab increpatione tua domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.* Secundùm, illa reuelatio publica peccatorum, & confusio coram vniuerso mundo. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* vbi ab omni mundo peccator erit exsibilandus. Duplex est peccati facies, pulchra & deformis: Attendis modo pulchram, delectationem scil. deformem verò, quæ est Dei offensa, non vides nunc. Videbis tunc fœdissimam fœditatem. Hæc ostendetur coram Angelis & sanctis Dei vt surgant in iudicio contra te, sicut regina Austri contra Niniuitas. Ostendetur hominibus, vt semper rideant. Ostendetur dæmonibus, vt iuxta mensuram delicti, sit & plagarum modus: & *quantum glorificauit se & in delitijs fuit, tantum dent ei tormentum & luctum.* Hæc tu non pauis? Securus es nondum audita sententia? Attonitum te esse oporteret. *Terribilis aduentus. Isa. 50. Psalm 17. 2. Publica peccatorum reuelatio. Psalm. 49. Peccati duplex facies. Luc. 11. Apoc 18.*

Iob.31. teret. Dic mihi peccasti mortaliter? Tremebundus diceres.
1.Pet.4. *Quid faciamus, cùm surrexerit ad iudicandum Dominus? & cum interrogauerit, quid respondebo ei? Iustus vix tunc saluabitur, impius & peccator, vbi apparebunt?* An non hoc nobis timendum: Sedebit *Dominus quasi ignis conflans.* Et Paulus. *Saluus e-*
Malach.3. *rit sic tamen quasi per ignem.* quot opera bona igne examina-
1.Cor.3. ta nihil erunt?

Tunc separabit oues ab hædis. Iam accipit *ventilabrum &*
Matth.3. *permundabit aream suam, & triticum à palea,* oues ab hædis,
Separatio bonorum & malorum. separabit. Modò impij bonorum societatem consistunt, vt palea tritico; quia iusti pro impijs orant: sed cùm palea à tritico discesserit, deseruiet palea dentibus bestiarum
Daniel 32. & igni, nec iustus pro impio interpellabit; *imò verò lætabi-*
Psalm.57. *tur iustus cùm viderit vindictam.* Cùm ergò separatæ fuerint oues ab hædis, glorificatum erit corpus Christi mysticum, & purum omninò aurum apparebit, separatis zizanijs à tritico. Nunc mali permixti sunt bonis: tunc ergò omni malo separato, puritas & claritas iustorum apparebit maximè.

Sententia mirabilis. *Tunc dicet ijs, qui à dextris sunt. &c.* De hac sententia mirabiliter Psal 61. *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia*
Psalm.61. *potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* Vnicum verbum locutus est Deus, non est verbosus. Sed hoc vnicum verbum ex duplici sententia constat, iustitia & misericordia. Iustitia malis, misericordia bonis: *Venite benedicti; Ite maledicti.* quia vnicuiq;
Rom.9. *dabit secundum opera sua.* Quod explicat Rom.9. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.*
Vasa misericordiæ. Duo vasorum genera ostendit, vtraque *apta*, id est, capacia satis: sed hæc vt misericordiam suscipiant; illa iram. Sed felicissimi illi, qui, vt vasa misericordiæ, ad dexteram col-
Vasa iræ. locandi sunt, in quibus omnes diuitias gloriæ suæ effundet Deus. Infelicissimi illi, qui ad sinistram collocandi, in quibus infinita Dei potestas, ira, & vindicta est ostendenda. Hoc ergò diem magnum & insignem reddet. Sic
Apoc.10. enim omnes Prophetæ vocant, magnum hunc diem Do-
Ezech 7. mini: erit enim finis omnium temporum & æternitati
Isai. 24.27. initium. Hoc die Israël exijt è tenebris AEgypti. *Memen-*
Exod.13. *tote ergo huius diei.* Hoc die numerus bonorum comple-

tur,

tur, omnis bonorum labor finitur. Hoc die omnis laborandi & merendi tempus iustis clauditur, iniustis pænitendi tempus aufertur. Hunc diem perpetuò benedicent iusti: contrà mali maledicent. Dies ergò in æternum memorandus bonis & malis. Hic est etiam dies, in quem omnis diuina promissio respicit. Omnium horum extrema sententia huic diei reseruata est. Magnus profectò dies in quo tam magna perficienda. *Amplificatio magni diei domini.*

Sed quæ bona in bonis, quæ mala in malis inuenta sunt: vt his mala tanta, illis bona innumera sint conferenda? *Esuriui enim*, &c. Vide quantum excellit charitas & misericordia & eleëmosyna. Hanc solam nominat Christus in iudicio, & quasi omnia iustorum bona oblitus esset, ait, *Venite benedicti*, &c. *Esuriui enim*, &c. Et quasi omnia inimicorum mala alia oblitus, *Ite maledicti. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*. Horum ratio est. Scriptum est enim. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*. Et. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te*. Et Dan. *Peccata tua eleemosynis redime*. Ideò iustis dicitur, *Venite benedicti* Rursus iniustis. *Ite maledicti*. Nam, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Modò verò: *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam*. Vis non deseri à Deo, vt in peccata incidas? *Eleemosyna resistit peccatis*. *Bona iustorum. Aug. to. 10. ser. 1. de 70. & 50. de temp. Mala impiorum. Eccli. 3. & 29. Dan. 4. Matth. 5. Iacob. 2. Eccli. 3.*

Accipite, inquit Christus iustis, *regnum*. Sed quod regnum? Misericordiæ. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*. Et sic promittitur misericordibus. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare* Sed pro tam paruo cibo tale regnum? Quis hoc crederet, nî Christus assereret? Vbinam omnia nostra profundenda? Quod vtilius negotium aut commercium iucundum? quomodo non omnia nostra huc conferimus? quomodo non vendimus omnia, vt talia ac tanta lucremur? Locuti sumus filijs, loquamur seruis, qui nil faciunt, nisi timore supplicij. Timor iudicij & inferi te abstrahit à sceleribus? moueat te idem vt misericordiam facias; Nam, *iudicium sine misericordia, qui non facit misericordiam*. Væ & laudabili vitæ si sine misericordia iudicetur. An non væ iniustæ vitæ, si sine misericordia fuerit iudicata? Dicis, misericors est Deus! sed misericordi. Qualis *Regnum. Psal. 102. N. B. Adhortatio ad eleemosynam, & misericordiam. Iac. 2. August.*

N. fuiſtis proximo erit & tibi Deus. Iudicium quem dam-
Auguſt. nas? Immiſericordem. Inferne quem crucias? eundem. O-
mnis diſciplina Chriſti miſericordia eſt. Ne dicas: Non
video pauperes. Ob hoc enim in iudicio damnantur im-
Lucæ 20. pij qui dicunt *Quando vidimus te egentem & non pauimus?* I-
deò quære pauperes quos cùm videris noli pertranſire, vt
Sacerdos & Leuita; ſed eſto vt Samaritanus. Deus regno
munerat eleëmoſynam Cibâſti Deum? ſuſcipe eius bene-
Geneſ. 27. dictionem. *Venite benedicti, poßidete regnum.* Ecce primoge-
niti hæreditatem. Sic actum cum Iacob. cibat patrem, &
odoratus veſtimentorum fragrantiam, accipit ius primo-
geniture. Nabal cibaria dare noluit, & moritur continuò:
Abigail dat, & fit regina pro exiguo cibo. Sic Chriſtus
dat pro cibo & potu omnem benedictionem in cæleſti-
bus.

Luc. 10. Dicant aliqui, O beati qui Chriſtum, vt Martha, in do-
Aug ſer. 26. mum ſuſceperunt. Noli dolere, quia temporibus natus es,
de verb. Do. quando dominum non vides in carne, non tibi abſtulit
Matth. 25. iſtam dignationem: *Cùm vni*, inquit, *ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Dediſti tua propter me, accipe meipſum in
tuum. Non ero ego minor in retribuendo, quàm tu in
dando. & cæt.

FERIA QVARTA POST DOMIN. I. QVADRAG.

THEMA: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio.* Matth. 12.

Marc. 8. ACCEDVNT hodie Phariſæi ad Chriſtum Do-
Lucæ 11. minum, *& ſignum petunt*, quod Marc. ait, *ſignum de*
Prauitas Iudæorum. *cælo* eſſe, quale fuit Manna; vel ſolem ſiſtere; aut
ignem deſcendere. Chriſtus verò grauiter eos obiurgat d.
Generatio praua & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ. Dicit eos prauos volũtate, adulteros
intellectu, quia vero ſponſo Meſſiæ non adhærebant. Sed
quomodo ſolum ſignum Ionæ datum eſt eis, cùm alia
Ioan. 2. multa præſtiterit? Senſus eſt? Sæpe ante petiſtis ſignum à
me maximum, & dedi vobis ſignum mortis & reſurre-

ctionis

ctionis meæ:idem vobis modo constituo signum. Tunc enim videbitis signa de cælo maxima, solem scil.obscurari;monumenta aperiri,mortuos surgere. &c. *Tunc cum exaltaueritis filium hominis,scietis quia ego sum.* Hoc ergo sibi verba Christi volunt,*Generatio praua signum de cælo petit:* sed ei hoc nō conceditur, nisi in morte & resurrectione mea. Tunc enim dabitur mundo maximum signum, & his etiam prauis dabitur cæleste signum, quale petunt,& illud Ionæ signum præcipuum est: quod semel & bis & tertiò promisi,nec ei simile reperiri potest.

Ioan.8.

Maximum signū passio. & resurrectio Christi.

En iratum Christum contra signa petentes. Sed videmus à sanctis sæpè signa petita, & data, vt Moysi, Gedeoni,Ezechiæ, & Achaz. Quomodo ergo nunc irascitur petentibus signum?Respond.Si manifestè videremus Deum nobis loqui, nullo signo opus esset ad credendum ab eo proposita: quia summa veritas est. Sed quia id perspicuè non apparet,consueuit dominus signa dare, quibus id deprehendatur. Irascitur tamen contra proteruos,qui pluribus signis visis non credūt. Sic iratus est in Pharaonem, quod tot visis signis fidem non præstiterit. Sic nunc irascitur in hos, qui plura viderant signa, & tunc dæmoniacum liberatum,& cum mutus esset loquentem. Admirāter dicit Euangelista, tunc, cum manifestum viderant miraculum,& cum similia multa vidissent, de quibus dominus: *Si opera non fecissem,quæ nemo alius fecit.&c.* Erat ergò iam insignis proteruia non credere. Vnde ait *Signum non dabitur eis* In quo se habet vt prudēs medicus, qui prætiosam habēs medicinā effundit, si profutura sit:alias seruat. Ideo dæmoni petenti,*Si filius Dei es*, non annuit; quia malum eius insanabile est. Sic nouit Scribis & Pharisæis signa non profutura, imò nocitura. Nam ex signis datis quod colligunt illud est: *Quid facimus,quia hic homo multa signa facit:occidamus ergò illum.*

Exodi 4.
Iud.6.
4.Reg.20.
Esa.7.
Cur iratus Iudæis signū petentibus.
Exod.10.
Chrys.ho.44. in Matth.22.
Simile.
Matth.4.
Ioan.11.
Matth.27.

Nisi signum Ionæ Prophetæ. Hoc signum omni peccatori datur, quemlibet conuertere sufficiens, & petras etiam scindere,vt in passione factum est. Petunt Pharisæi cæleste signum: & omnis homo diuini amoris prouidentiæq; signum cæleste videre cupit. Audiamus hoc signum, quod amor diuinus omnibus dedit supremum, & quo maius dari non potuit, de quo Isa. *Et erit dominus nominatus in signum.* Sed quod non auferetur ponderemus signum

Signum peccatoribus cōuertendis efficax.

Isa.55.

2.Cor.5. hoc, quod vim quodammodo cordi infert, si benè consideretur, teste Paulo, *Charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Immensa verò Dei in nos charitas hoc in opere apparuit, quæ verè vrget nos. quod filium tradiderit in mortem, vt seruum nequam redimeret. O inæstimabilis dilectio. O homo, qui signum quæris diuini in te amoris, potuisti simile signum desiderare? Multæ erant medicinæ, quibus homo potuit curari, sed optimo omnium modo nos voluit saluti restituere, summa misericordia, sūma iustitia. Verè tantus hic mundo apparuit amor, vt iudicatus sit stultitia: *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam, &c.* Verè tam ingens hæc charitas est, vt si Deus seruus tuus esset, & tu Rex, hoc facto ita te sibi deuinxerat, vt regem eum faceres, & tu seruus eius fieres. *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, &c.* Et *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos.* Verè nimia charitas. O vel ferreus peccator tanto amore non leniris? tanto beneficio non frangeris? Quid enim faciat homo, Deum præ amore ebrium videns, sicut Noe ex vinea sua, nisi amore inebriari? stultitiam crucis Christi imitari? *Nos stulti propter Christum, nos ignobiles.* Aliud ergo signum nulli expectandum iam restat: vltimum enim quod dari potuit nobis, datum est in Christi morte.

Optimus restitutionis humanæ modus.

1 Cor. 1.

N. B.

Rom.

Ephes. 2.

Genes. 9.

1. Cor. 4.

Ex quibus contra nos sequitur manifestè, quod Christus subinfert: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plus quam Ionas hic.* Exemplum hic nobis ad pœnitentiam dari.

Exemplum ad pœnitentiam insigne.

Fuit Niniue opulentissima ciuitas, itinere trium dierū, Assyriorum regni caput. Hæc regnante Sardanapalo, homine mollissimo & summè effæminato, in omni voluptate secura viuebat: qualis enim rex, talis & populus. Sed hæc, nullum timens inimicum, dominus Prophetam aduocat, & sententiam mortis contra eam pronunciat: *Nam iniquitas eius finem dabat ei,* vt ait Tobias. Sed attende diuinam clementiam in Niniuen. Prophetam vocat, vt eos moneat interitus sui, vt impleat illud Psal. *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* q. d. Arcū tetendit, posuit in eo sagittas mortis: sed priusquam illas iaciat, dat

Tobiæ 14.

Psalm. 59.

dat significationem, vt fugiant sagittandi, & abscondantur ab ira eius. Sic ad Ionam ait: *Vade ad ciuitatem Niniue, & dic ei: Adhuc 40 dies, & Niniue subuertetur*. Huius admonitionis causa fuit diuina misericordia, *nolens nos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*.

Admonitio diuina.

Timuerunt Niniuitæ, & conuersi ieiunauerunt, ipsi & bruta eorum, & sacco induuntur, & *conuersus est vnusquisq; à via sua mala*. Et ieiunium igitur & vitę in melius mutatio eos à perditione eripuit. Nam mutat Deus sententiam, quòd benè præuiderat Ionas, & respicit *in opera eorum*. Sed mutatur immutabilis? Minimè: Sed illam erga te seruat voluntatem, quã tu illi præstas; & *cum sancto sanctus est, cum peruerso peruersus*. hæc autem mutatio in te est non in Deo. quid *Ego Deus & non mutor.*

Quid à perditione Niniuitas eripuerit.

Deus nõ mutatur.

Psal. 17.

Mal. 3.

Quomodo ergo impletum est diuinum & infallibile oraculum, *Niniue subuertetur*? Deus non solum peccatores iratus, sed etiam miseratus euertit. Euertuntur enim peccatores duobus modis; aut sicut Sodomitæ, vt pro peccatis deleantur: aut quemadmodum Niniuitę, vt ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur. Factum est ergo quod prædixit Deus: Euersa est Niniue, quæ mala erat, & bona ædificata est, quæ non erat.

Aug. lib. 21. de ciuit. Dei cap. 24.

Euersio peccatorum duplex.

Sed tandem consideranda est Ionæ mirabilis audacia, q. videns Niniuen non subuerti, afflictus est afflictione magna, & iratus est, &c. An non videtur prima facie insolentia in Iona, quod Deum increpet? Audi similem in Isa. *Indulsisti genti, indulsisti gẽti, nunquid glorificatus es?* &c. An non insolẽtia videtur: *Aut dimitte hanc noxam, aut dele me de libro tuo. &c.*? Similis illa Abac. *Iustus quidem es domine, sed & iusta loquar ad te. Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se*? Sed non est insolentia in sanctis. Hæc verba sunt mysteria profunda. Sed quæ? Duo planè. Primùm est, quod non potuit aliter excessus amoris Dei in sanctos, familiaritasque verborum nisi his excessibus verborum explicari. Sicut amicus potest obiurgare amicum: ita voluit Deus obiurgari ab amicis suis. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde? Beati serui tui qui astant coram te semper*, quos tali dignaris honore. Tanta est Dei seruorum authoritas in ipsum, tantusq; Dei respectus in suos.

Audacia Ionæ.

Isa. 26.

Exodi 32.

Abac. 1.

Ierem. 12.

Quid hæc apparens insolentia mysterij habeat.

Familiaritas sanctorum cum Deo.

Psal. 72.

Secundùm mysterium est, tantam esse Dei in peccatores

clemen-

Clementia in peccatores. clementiam, vt ad indignationem prouocet seruos suos. Tanta Dei misericordia, vt iusti quasi indignentur. Similis fuit clemētia Dauid Absalō, quę fecit Ioab irasci, & loqui ad Dauid: *Diligis odientes te, & odio habes diligentes te.* Talis senioris filij indignatio de tanta patris misericordia in prodigum: Et operariorum murmuratio aduersus patremfamilias. Verè tanta est in peccatores diuina misericordia, vt à Pharisæis sępè de hoc carperetur. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Sed vt *non est similis tui in dijs Domine,* ita *non est secundum opera tua.* Cùm misericordia & bonitate excedat omnem creaturam, ita operibus longe etiam superat. Vnde prouenit creaturæ summa admiratio quæ ijs obiurgationibus declaratur. Accedamus ergò ad misericordiam tantam, *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam inueniamus* cùm Niniuitis *in tempore oportuno. &c.*

2.Reg. 19. Lucæ 15. Matth. 20. Luc. 15. et 7. Psalm. 85.

FER. V. POST DOMINICAM PRIMAM QVADRAGESIMAE.

Hoc Euang. legitur in Colon. Diœcesi Do. 2. Quadr. Iud. 14. 15. 16.

THEMA: *Miserere mei fili Dauid.* Matth. 15.

VICERAT Samson plures Philisthæos, & qui fortissimos vicerat, ab infirma muliere superatur. Ita Christum vidimus dæmones superantem, sed hic à muliere Chananæa superatum videmus. Inuocemus & cæt.

Bern ser. 5. in Nat. Do. 2. Cor. 1. Psalm 100. Psalm 24. Pater misericordiarum.

Miserere mei fili Dauid Rectè Paulus ait, *Pater misericordiarum & Deus totius consolationis.* Deus quidem non misericordiam solum pręstat, sed etiam iustitiam operatur; iuxta illud, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Et. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Dicitur tamen *pater misericordiarū,* non pater iustitię. Quoniam cùm misericordiam præstat, ex se ipso motiuum miserendi capit, & à bonitate sua, propter quam misericordiam præcipuè largitur, Motiuum verò iustitiam exercendi non à se, sed à nobis ille capit & à peccatis nostris. Semper enim peccatis exigētibus & quasi cogentibus vltiones adhibet. Vnde Deus quàsi à nobis immutatur & peruertitur, cùm cū pec-

Iustitiā exercendi causa à nobis oritur.

catis nostris quasi cogimus de nobis vindictam sumere, & quasi à se egredi facimus. Hinc dicitur apud Isai. *Egredietur, vt visitet peccata populi sui.* Ex quo intelligitur, quod Psal. ait: *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.* Vbi de Deo loquitur, cùm subdat, *Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis. & cæt.* Sed num Deus peruerti potest? Potest quidem. Peruertere enim significat rem in diuersum mutare. Id verò efficitur, cum eum vltorem facimus, quod *alienum & peregrinum opus est* ab eo.

Isai. 26.
Psalm. 17.
Deus quomodo peruertatur.
Isai. 28.

Ex hac verò diuersitate inter misericordiã & iram Dei, sequitur, facilè Deum misericordiam præstare, cito misereri, tardè verò ac difficilè punire & vlcisci. Vt misericordiam præstet, manè venit; vt vlciscatur vesperi: vt misereatur, velociter; vt puniat, serò, & lento gradu. Vnde Psal. *Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuã per noctem.* Et. *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia* significat ergo manè prẹstitam misericordiam præstitam, & vesperi adhibitam misericordiam Peccauit Adam manè, sed non continuò Deus venit: veniret verò, si pronus esset ad iram: sed vespere venit *post meridiem deambulans ad auram*, dicens, *Adam vbi es.* Sic & ante diluuium mittit Noë centum annos tum verbo tum arcæ fabrica. En ergò Deum in vindictam difficile prodeuntem. Sic loquitur apud Isai. *Heu consolabor de hostibus meis & vindicabor de inimicis meis.* Et *Super contritione filiæ populi mei contritus sum.* Summa ergò eius in misericordiam propensio, facilis est Dominus ad miserendum. *Deus meus misericordia mea* Facilè eam inuenies in Deo.

Misericordia matutina.
Ira sera & vespertina.
Genes. 19.
Venerũt duo Angeli Sodomã vespere.
Genes. 3.
Genes. 6.
Isai. 1.
Hier. 8.
Psal. 28.
Exod. 20.

Sed quomodo eam quæremus & inueniemus? In exemplum proponitur nobis Chananæa, quæ misericordiam quæsiuit, & inuenit. Nec dedignemur eam habere magistram: nam & ad bestias nos Deus mittit, vt discamus sapientiam *Vade piger ad formicam, & considera vias eius.* Attendamus formicam hanc *Chananæam*, quæ nouit granum illud frumenti seruare, animæ nostræ cibum. Tanta est huius mulieris fides, vt Christus ipse non tantùm miratus sit, d. *O mulier magna est fides tua.* sed & Christum transferre potuerit à Iudæis ad gentes. Videamus ergò nunc huius magnæ fidei ramos, in quibus nos quiescere possumus.

Misericordia Dei quomodo quærenda & inuenienda.
Prouerb. 6.
Ioan. 12.
Fides Chananææ.

Secessit

Magna fides Deum inuestigat. *Secessit in partes Tyri & Sidonis: & ecce mulier à finibus illis egressa. &c.* Marcus ait Christum domum ingressum, cum neminem scire vellet, non potuisse latere: quia ma-
Marc.7. gna fides Deum inuestigat & inuenit tandem. Cùm Deus
Iob 9. animam ingreditur latenter intrat. Sic Iob. *Si venerit ad me*
Signa præsentiæ diuinæ. *non videbo eum.* sed tamen omninò latere non potest: coniecturis enim eum adesse cognosces. Dei enim aduentu renouatur cor carneum, & in spirituale mutatur, cogitationes sunt diuersæ, opera dissimilia.

Sciens ergò Chananæa adesse Christum, eum quærit: videns ad se appropinquare solem iustitiæ, egreditur hi-
Ierem.8. rundo cognoscens tempus suum, annũcians ver nouum.
Mal.4. Et vt venatorius canis leporem odorans huc illucque fe-
Relinquendi fines nostri. stinanter discurrit: sic Chananęa Christum quærit ardenter. Sed vt eum quærat *à finibus illis* egreditur: nobis ostendens, vt Christum inueniamus, relinquendos esse fines
Vnus bonorũ finis: malorũ plures. nostros. Bonorum vnus est finis Christus: Malorum verò plures sunt fines. honor, diuitiæ, voluptas, &c. Ab omni ergo alio fine nobis egrediẽdum, vt Christũ inueniamus omninò à nobis peccatum abijciendum est, vt Christum
Peccati occasio vitanda. habere possimus. Deinde egrediẽs *Chananæa à finib. illis* nos docet etiã ab omni peccati occasione recedere. Est enim quasi finis peccati occasio, quæ intra limites peccati continetur. Sic Angeli ad Loth. *Exi à ciuitate, & ne stes in omni*
Gen.19. *circum regione, sed in monte saluum te fac.* Regio circumcirca
Ioel 3. peccati occasio est, quã fugies: & dic. *Quid mihi & vobis Tyrus & Sidon. & omnis terminus Palæstinorum?* Si enim ab occasione non recedis, non omninò à peccato discedis. Nihil durum sit relinquere, vt Christo perfrui possis. Sed relictis finibus suis, quid Chananæa faciat, videamus.

Fugiendum est ad Deum. *Clamauit ad eum dicens.* Primò omnium Christum adit, vt sibi remedium quærat. Innumera sunt hodie mala sine leuamine ac remedio; quia illud non quærimus, vbi quærendum est, in Deo scilicet. Sæpè versaris in necessitate; ad quem confugis? Ad Deum? vt Psalm. De ne-
Accedentiũ ad Christum diuersitas. cessitatibus meis eripe me domine. Bene facis. Aliqui verò in periculo aut necessitate constituti, vt liberentur, Deo relicto remedium quærunt peccantes, vel iuramento fal-
1. so se defendunt; vel furto, vt inopiæ subueniant; vel ini-
Exemplũ. quo contractu & vsuris, vt diuitias parent; vel vindicta, vt
4. Reg.1. honorem tueantur. Hi similes sunt Ochoziæ, qui Deo

oblito

oblito misit ad Deum Accaron. O miser cæcusque peccator, qui peccato consentis, vt tuæ succurras necessitati: quàm similis es illis qui Barrabam prælegerunt Christo derelicto. Contra hos surget in iudicio Chananæa, quæ ad Christum accedit in necessitate posita.

Alij verò, ad Deum accedunt primùm cùm Chananæa, sed obliti nominis Dei sui; cùm se vident in necessitate, ad amicos, ad substantiam, & ad temporalia præsidia confugiunt, & in his fiduciam collocant. Ad quos sæpè dominus. *Qui confidit in diuitijs suis, corruet.* Et *Non salua tur Rex per multam virtutem.* &c. Et Iere. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* &c. Hi ergo peccant & errant. Nam in Deum spes omnis nostra primùm est collocanda, deinde ad secundas causas nos accedere oportet, vt Chananæa ad discipulos. 2. *Prou.* 11. *Psal.* 31. 145. & 146 *Ierem.* 17.

Alij verò licet ad Deum confugiant, tamen si continuò non exaudiantur, recedunt, nec perseueranter petunt. E-contra Chananæa fecisse ostenditur, quæ repulsam passa adhuc instat, clamat, vrget, & tandem magna fide obtinet plusquam petat. Similis huic fides Iob dicentis, *Etiamsi occiderit me in eum sperabo.* Similis Susannæ, quæ in re desperata erat *confidens in Domino.* Similis Ionæ, qui in ventre ceti sperauit, orauit, & exauditus est. *Quis sperauit in eo, et cõ fusus est? Ego dominus super quo non confundentur.* Sed adhuc audi quid Chananæa faciat. 3. *Iob.* 13. *Dan.* 13. *Ion* 2. *Eccl.* 2. *Isa.* 49. *Psalm.* 30.

Clamauit. Quid enim aliud faciat, nisi clamare, quæ tanta mala patitur? Vides te à dæmonibus oppugnari, innumeris tentationibus agitari, malis obrui? clama, ne cesses. Psal. *Ad dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* Videt quis leonem aut lupum ad se propinquare, vt discerpat, & deuoret, an non clamet ad eum, qui possit eripere? *Tanquam leo rugiens circuit* dæmon, *quærens quem deuoret.* clamandum nobis est ad verum Sampsonem, vt nos eripiat. Videt Tobias piscem grandem venientem, vt eum deuoret: clamat ad Angelum, *Domine inuadit me.* Econtra Psal. quæritur. *Quoniam tacui, inueterauerũt ossa mea.* Cũ igitur simus in tanto salutis discrimine cõstituti, vt Moyses inter Pharaonem & exercitũ eius, clamandũ nobis est. Nam Clamabit ad me & ego exaudiã eum. Clamaui, & dixi; *Domine spes mea.* Sed q̃d significat hic clamor. Est duplex oratio, tepida & feruẽs. Hęc seria est; illa ridicula. hęc penetrat *Clamor Chananææ quid.* *Psalm.* 119. 1. *Reg.* 17. *A simili.* 1. *Pet.* 3. *Iud.* 14. *Exempla.* *Tob.* 9. *Psal* 31. *Exod.* 14. *Psal.* 90. *Psal.* 141. *Oratio duplex.*

cæ'os

cælos & exauditur;illa in terra manet & negligitur, & aliquando fit in peccatum: Audi orationem Christi *preces supplicationesque cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est.* &c. Clamor orationē feruentem significat, ex toto corde procedentem. de qua Psal. *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.* Hac oratione feruenti orauit Chananæa;hac nobis orandum. Sed quid clamet audiamus.

Hebr.5.

Psalm. 118.

Allegoria. *Fili Dauid, miserere mei.* Filium Dauid dicit, vt sicut Saule vexato à dæmone Dauidis cythara pellebatur; sic & nunc dæmon pelleretur. Vis tu è corde dæmonem pellere, cytharam accipe Dauidis, intuere Christum pro te crucifixum. Non est dæmon tam malus, qui non fugiat illius harmoniæ. i. contemplationis sonitum. Hac luxuriæ, auaritiæ, superbiæ dæmon pellitur;si intuearis Christum, *virum dolorum, pauperem, humilem,* &c.

1.Reg.16.

Dæmon, quomodo pellendus.

Sed *malè,* inquit, *à dæmonio vexatur.* Mala quidem vexatio demonis, qua corpus; sed pessima, qua animam vexat. In eo ergo, in quo videris animam tuam à peccato possideri, in eo malè à dæmonio vexaris. Clama igitur ad Deum tanto ardentius, quam Chananæa, quanto deterius est possideri in anima, quàm in corpore. & dic Deo tuo: Anima mea *malè à dæmonio vexatur.* *Malè,* inquit, *vexatur,* Miserrima captiuitas. Si ergò misericordia mouemur in eum maximè, qui à dæmone vexatur in corpore, multo potius misereamur impij, qui maiori miseria oppressus est.

Dæmonis mala vexatio & tyrannis.

A minori ad maius.

Sed quid respondet Christus? *Non respondit ei vllum verbum* O rem inauditam! en verbum mutum. Tu domine eam trahis; dicunt enim Apostoli, *dimitte eam:* ergóne à te trahebatur? tu eam clamare facis, & non respondes clamori? Hoc quærebatur Iob. *Sto, & non respicis; clamo ad te & nō exaudis.* Sed tacet Christus, vt illa magis clamet, & fides eius crescat, & magis magisque probetur. Vult nos Deus importunos esse, orationi instare semper: *saltem propter improbitatem dabit vobis.* Illudque ostendit exemplo tum amici, tum iniqui iudicis, à quibus importunitas obtinet, quæ petuntur. Ideo *orationi instate, orate nunquam deficientes.* Deus hac importunitate delectatur. Et tandem voluit fidem Chananææ crescere & maturescere, Sicut enim arbor primùm folia, deinde flores, tandem fructum profert, & hunc

Tacere Christū quid sit.

Iob.30.

Ratio.

Luc.11.

Maturitas fidei.

hunc paruum, qui tandem ad debitam magnitudinem & perfectionem veniens colligitur: Sic voluit Deus Chananææ fidem crescere, vt à nobis matura colligeretur. Et sicut chorda, quo præclarior noscitur, eo magis distendi: & sicut ensis, quò nobilior, eò magis in circulum agi potest: sic nouerat fidem Chananææ grandem, nouerat non frangendam, sed postquam probata erat, perficiendam. *Magna* enim *fides* omnia vincere poterat. *Proba, me Deus & scito cor meum*. Probata ergo approbataque est, nobisque in exemplum relicta, cuius vestigijs insistentes misericordiam inueniemus in auxilio oportuno. Docuit nos cum Deo luctari, vt Iacob, nec eum dimittere, donec benedixerit nobis. *Oculi nostri semper ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. &c.*

Simile. Simile. Simile. *Psalm.* 178. *Hebr.* 4. *Genes.* 32. *Psalm.* 122.

FER. VI. POST DOMINICAM PRIMAM QVADRAGESIMAE.

THEMA: *Est autem Hierosolymis probatica piscina.* Ioan. 5.

SICVT Paraliticus, qui hodie à Christo sanatur, longissima detentus fuit 38. annorum infirmitate, & à Christo sanatur: Sic peccator longa consuetudine peccandi laborans à nemine alio, quàm à Christo sanari potest.

Peccatum autem in consuetudinem ductum, maximè nobis & cauendum & timendum est. Cùm enim consuetudo sit altera natura, supremum malum est, cùm peccatum iam est naturale. De hoc intelligitur illud Iac. *Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem*. Peccatum dicitur consummatum, quod consuetudine firmatur; peccatum verò consuetudinis dicitur mortem generare: quia licet omne lethale peccatum mortem animæ afficiat, tamen in alijs peccatoribus remanent adhuc signa vitæ; & maior spes emendæ: at in peccante ex consuetudine nulla sunt signa vitæ, & est parua spes emendæ; Potentior est multò praua consuetudo, quàm inordinatus appetitus: quando enim deordinatus appetitus manet intra homi-

Peccatum consuetudinis timendũ & cauendũ. *Iac.* 1. *D. Thom. sup. illud Iac.* 1.

 nem

nem voluntas, quæ illi si non despotico saltem politico imperio principatur, cumque frenare potest. Consuetudine ligatur ipsa voluntas, quæ caput est hominis: inde difficulter remedium adhiberi potest tali peccatori. Et adeò potens est peruersa consuetudo, vt cùm peccatum sit adeò malum, vt ipsa sit malitia: efficit tamen, vt dulcissimum appareat, & magna cum delectatione committatur. Timendus valde locus ille est: *Si Aethiops potest mutare pellem suam, & pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*. Fascinat enim praua consuetudo hominem, ita vt de se dicat August. eò adductum praua consuetudine, vt licet malum suum agnosceret, & Deus eum ad se traheret, dicebat tamen Deo: Domine cõuerte me, sed non modò, ne delectationem meam amittam; cras voca me, non nunc. Qui enim in peccati via progressus fecit, oculos suos in ea solum, quæ mundi sunt, dirigit, & cum non sit Deus in conspectu illius, obliuiscitur Dei sui: & in eo solum intentus est, quomodo amplius in peccato delectetur, assequaturque omninò illud propter quod Deum dereliquit. Quorũ figura est Dina, quàm Sichem rapuit, vi opprimens virginem, & posteà *blanditijs eam deliniuit tristem*. Sic quasi vi rapitur anima, cum primùm peccato consentit, vnde ait, Domine vim patior: sed dæmon continuò adest, vt animam tristem deliniat blanditijs, dicens alios similiter peccare, postq; futurum, vt iterum reuertatur ad Deum: Acquiescit iniquis persuasionibus anima, & in peccato iam quiescit, nihil curans Deum, oblita omnis rectitudinis. Huius ergo, qui longa consuetudine peccato detinetur figuram hodie in Paralytico habemus.

Consuetudo ligat voluntatem.

Consuetudinis peccandi efficacia.

Ierem. 13.

Aug.

N. B.

Gene. 34.

Dæmonis blanditiæ.

Sed dicis: Similis huic sum, qui multis annis in peccato fui: estne mihi remedium? Est planè. Vtique quod huic paralytico, qui tui imago est. Sed primùm te interrogo, quod Christus paralyticum. *Vis sanus fieri?* Mirabilis interrogatio: quis enim infirmus sanari non velit? Infelix miserandusque homo, qui in dubium non vertit, quòd velit corporis sanitatem; dubitat verò, an velit animæ salutem? Interrogo ergo à te: *Vis sanus fieri?* Ais. vellem equidem, sed asperum mihi apparet remedium. Fieríne potest in tam paruo pretio à te Deum haberi & animæ tuæ salutem, vt aliquid arduum tibi sit, vt hæc recupe-

Remedium contra consuetudinem peccandi.

N.

Adhortatio ad remediũ.

recuperes? Dic obsecro quid hoc est, quod tibi asperum apparet, vt Deum habeas? Sed ais: Pænitentiæ remedium asperum mihi apparet. Infirmi sumus, debiles, delicatiq; curatio nobis dura videtur? Sed iam venit è cælo medicus, qui facilè curet, qui leniter & blandè. Quid enim est Christus, nisi medicus vnctus? Quid lenius, quam dole, confitere & sanus esto? Si hac sola medicina infirmitas corporis leuaretur, infirmus esset nullus.

Pænitentia non est aspera.

N.

Ait; *Hominem non habeo*. Sed quis hic homo? Vide hunc hominem etiam in mulieris mente. Eia Susanna vel peccandum tibi est in Deum, vel infami morte moriendum. *Angustiæ mihi sunt vndiq; : sed melius est mihi incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Dei mei*. Eia anima, Christi sponsa, tibi peccandum est, vel moriendum. Melius mihi mori est, quàm à Deo recedere. Hic animus verè virilis est, qui non est absq; gratia. Vide illum in viris, vt tribus pueris, & Machabeis &c. *Viriliter igitur agite & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in domino*. Homines non eramus, quia *comparati iumentis insipientibus, & similes illis facti*. Venit homo Christus, vt nos viriliter agere doceat, & sua gratia potentes reddat.

Animus virilis cōtra peccatum.

Dani. 13.

Dan. 3.

Psalm. 48.

Sed ais, Volo sanari; qua ratione & via id assequi potero? Ex hodierno Euangelio colligetur medicinæ modus. *Primò* in die festo hic sanatus est a Christo. *Erat*, inquit Ioannes *dies festus Iudæorum*. Irenæus, Pascha fuisse dicit. Dies festus institus est, vt Deo vaces, alijs occupationibus vitæ relictis. *Vacate & videte, quoniam suauis est dominus*. Deo enim vacandum est. Vis ergò ægræ animæ tuæ mederi? primùm fac tibi diem festum, in quo ei medearis. Grande grauissimumque negotium est in salutem animæ incumbere, maximè praua consuetudine affectæ. Si ergò cuicunque grauissimo negotio tempus destinas, quo illi solùm attendas: huic maximè negotio, quo ei solùm vaces, assignare necesse est. Quot dies vel annos, forsan insumpsisti in aliqua scientia addiscenda? Multos ais. Cùm ergo ars artium sit, animæ iam exanimi mederi, nonne rationi consonum esset huic negotio aliquod tempus & omnem operam impendere? Quod si non præstiteris, minimè assequeris, quod optas. *Secundò* verò, vt salutem assequaris, considerandum tibi est, quod *qui post*

Medicinæ modus.

Psal. 45.

1.

Deo vacandum.

A minori ad maius.

2.

Salus di-

 motio-

ligenter curanda. *motionem aquæ prior descendebat in piscinam, sanitatem assequebatur.* Voluit Deus hac motione præsentiam suam ostendere illi populo, eumq; disponere ad baptismi & pœnitentiæ virtutem credendam; vt cùm dixeris, vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat: Respondeas: sicut vis diuina assistebat illi aquæ motæ ab Angelo, sic assistit Baptismo & pœnitentiæ in animæ salutem.

Aug. tract. 80 in Ioan.

Isa. 9. 49. Sed non vacat mysterio, quod ille *sanatur, qui prior descendit*: non qui potior virtute, qui diu expectauerat. Ideò sciendum est, quòd postquam *magni consilij Angelus* è cælo descendit, & oblata est nobis salutis nostræ occasio per eius sanguinem, quidam non segniter se gerunt, sed rei pensantes magnitudinem, illud Apostoli dictum sibi putant: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et hoc beneficium pensantes, maxima cura *currunt in stadio*, in quo vnus *accipit brauium*, & negotium salutis suæ seriò operantur. Hi sanantur, significanturque per eum, qui prior venit. Alij verò licet credant Christum in eorum salutem de cælo descendisse, segniter tamen saluti suę intendunt; & vnde diligentiæ deberent causam sumere; quia venit ille *vt mundaret populum sibi acceptabilem, sectatorem bonorum operum*: inde caussam capiunt dormiendi, dicētes; Christus pro me mortuus est. Hi serò ad piscinam veniunt: serò ad sacramenta currunt; vt aliquando in mortem differant pœnitentiam; & TVNC BENE VIVERE VOLVNT, CVM VIVERE DESINENDVM EST. In quos fulminis instar iacitur illud. *Quia vocaui & renuistis; extendi manus meas, & non fuit, qui aspiceret; ego quoque in interitu vestro ridebo.* &c. Si piscinam non ingrederis, quid proficiet descensus Angeli? Quid proderit sub gratia viuere, si gratiæ remedijs non vtaris? Quid prodest, magnum aduenisse medicum in tui curam, si ei non obedis? Quid prodest frumenta in Aegypto vendi, si tu negligis eo ire? Si ergo Christi beneficia non consideras, si ei adhærere non desideras, tibi profectò Christus non venit. Tot gentes in Ecclesiam venerunt, & sanctificatæ sunt: tu verò in Ecclesia es, & paralyticus manes; quia segniter te habes. Viriliter ergò huic operi incumbe, & sanaberis.

2. Cor. 6.

1. Cor. 9.

Serò ad piscinā venientes.

N. B.

Prou. 1.

Quibus venerit Christus.

Genes. 42.

Deinde audi, quid Christus dicat, *Tolle grabatum tuum*

Sed quod

Sed quod hoc est *grabatum?* Vtique peccatum. quod faces habet duas, alteram culpæ, delectationis alteram. Cùm peccatum committis, attendis faciem delectationis. Cùm verò de peccato tibi dolendum est, attendere debes culpam, quæ malum est & onus graue. *Sicut onus graue, grauatæ sunt super me.* Cum ergo peccato delectabaris, in eo quiescebas vt in grabato: sed cum pœnites, tollis super te grabatum: quia quod prius te delectando ferebat, modò per dolorem te angit, vt onus graue. Israëlitæ vitulum fecerant aureum: sed Moyses illud in puluerem redegit, & illum puluerem amarum ebibere fecit. Peccatum tuum idolum tuum est, quod colis oblito Deo tuo: sed hoc idem in puluerem redactum bibit pœnitens, cùm de eo dolet, & sic efficitur, *Cinerem tanquam panem manducabam. Fructus ergò dignos pænitentiæ* facere te oportet, vt saluti restituaris. Bis itaque te oportet grabatum tollere, tum de eo dolens illudq; detestans: tum etiam condigna pœna pro eo satisfaciens. Grauia nanque admisisse scelera & nulla velle affligi pœna, indignum planè est. quod hi faciunt, qui pluribus grauātur peccatis & dicunt: Peccaui & quid mihi accidit triste? Contra sancti, minimis onerati peccatis, multa pænitentia afflixerunt.

Grabatum peccatum.
Peccati facies duplex.
Psalm. 37.
Exod. 32.
Allegoria elegans.
Psalm. 101.
N. B.

Præterea, *Tolle lectum tuum.* Corpus lectus est animæ, in quo anima iacet dissoluta paralysi, Cùm sic anima se habet, ducitur à corpore, quò illud vult; cum vērò anima gratia sanatur, ducit lectum, quò illa vult. Ducebaris ergò à corpore tuo, quo illud volebat: duc iam corpus tuum, quò anima vult in pœnitentiam scilicet & vitæ asperitates.

Corpus lectus est animæ.
Anima ducit lectum sanata.

Sed ais: His adhibitis medicamētis sanus ero? Dubio procul. Sed obijcis. Plenus sum peccatis, quomodo ad Deum accedam? Respondeo. Qui maximè solus est, qui hominem non habet, qui grauioribus peccatis irretitus ad Deū accedit, libentius ab eo suscipitur. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Psal. quia vbi maior est miseria, ibi maior impenditur misericordia. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Eadem ergò peccata, quæ Deus in te peccatore conspicit, iram prouocant: eadem verò, cum ad Deum accedis supplex, misericordiam magnam expostulant, quia filij vulnera sunt: & quæ in te peccatore tanquam offensas sui aspicit; in te pœnitente respicit tan-

Maior miseria maiorem impetrat misericordiam.
Psalm. 9.
Rom. 5.
Pænitentis peccata Christi sunt vulnera.

quàm mala & vulnera tua, quibus medendum & miserendum est. Magna ergò fiducia nobis ad Christum accedendum, dicendumque, *Eripe me de inimicis meis, Domine ad te confugi, & cæt.* Est enim Christus peccatorum xenodochium, est patris misericordia, qui dicitur *Pater misericordiarum*. Si ergò infirmus es in anima, accede ad Christum: omnia enim eius bona peccatoribus seruata sunt, tibi vniuersa eius satisfactio relicta est, tibi sanguis, tibi lachrymæ. Nec verò nobis diffidendum, quia maximè peccauerimus. Imò hac ratione maiori nobis accedēdum est fiducia. *Ego autem sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam.* Ais: Inter peccatores primus sum, & delicta mea grauissima. Hoc titulo Christus tibi maximè propitius erit, si ad eum accedas. Hac enim ratione in hunc 38. annos in infirmitate habentem aspexit; quia omnium miserrimus erat. libentissimè enim magnis peccatoribus adest. Cùm ergò te videris gratia sanatum; dic, quia omnium pessimus eram, in me potius respexit Deus. Cum videris te ingentibus criminibus obstrictum, dic, *Nunc sperabo, nunc adijciam super omnem laudem Dei,* quòd ego adhuc peccatorum primus semper in te sperem. Nunc ad Christum medicum accedam, nunc ab eo misericorditer respiciar.

Psal. 142.
Christus peccatorum xenodochium.
Psal. 70.
1. Tim 1.

Sed audi, quid ad saluti restitutum Christus loquatur: *Noli amplius peccare. Sufficiant vobis, domus Israel scelera vestra.* Quàm iusta petitio? *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam.* Qui enim facillimè in peccata relabitur, signum profectò dat, se non omninò à peccato resiliisse: cùm enim vulnus sanatum iterum recrudescit, ostendit non perfectè fuisse sanatum.

A restitutis saluti quid requiratur.
Ezech 44.
1. Petr. 4.

Si verò ad hoc vt saneris, vel in peccatum iterum non relabaris, aliqua tibi occurrerint factu difficilia; exemplum tibi sit Dominus Deus tuus, qui cùm multa homini dedisset, sine vlla labore in creatione, voluit in reparatione dare & sanguinem & vitam, quæ ei tam caro pretio steterunt, vt tu discas strenue militare licet id difficile sit. Quid laude dignum miles faciet, qui in prælij difficiles anfractus non irruit? Quis in scientiarum studio proficiet, nisi laboribus magnis? Si verò in minimis labore & diligentia nobis opus est, quid in magnis? quid in re omnium maxima?

Difficultas quomodo leuienda in correctione vitæ.

Sed quid saluti restitutus agat, videamus, *Inuenit eum in tem-*

in templo. Quò properauerat, vt Deo gratias ageret pro salute recepta. Salus, vires, & quicquid in te est siue gratuitum, siue à natura, à Deo est, cui omnium gratias referre debes. & cæt. *Saluti restituti quid agere debeãt.*

Nos tandem in anima paralytici temporis oportunitatem non prætermittamus: sicut aquæ piscina non sanat, nisi desuper mota: sic pœnitentia non sufficit nisi à Deo inspirata. Quam aquam licèt Deus semper moueat, vt sanetur peccator: nunc tamen hoc sacro Quadrages. tempore singulari auxilio Deus mouet, vt peccata deleantur. Inuitat te Dominus hoc tempore, *Conuertimini ad me in toto corde vestro. & cæt.* Quotidiè loquitur, *Vis sanus fieri?* En aqua mouetur. videntes ergò aquæ motum, accedamus & sanabimur, saluique erimus. *Pœnitentia qualis requiratur.*

DOMINICA SECVNDA QVADRAGES.

Euang. iuxta Coloniẽs dioecesin habes supra fer. V. post Dom. I. Quadrages.

THEMA: *Transfiguratus est ante eos.* Matth. 17.

PROPONITVR hodiè nobis nouus in mundo fructus, temporaneusque in hyeme huius seculi ortus, qui planè mirabilis est. Tres præcipuas induit vestes Christus Dominus, vt oculis sponsæ totus desiderabilis appareret; animas enim nostras nimio amore prosequitur, easque in sui amorem allicere conatur. Primam vestem induit naturam humanam, qua illum figuratum dicere poterimus. Antè enim figura carebat, qui purus spiritus & infinitus est: infiniti enim non est figura: & figura corporis est non spiritus. Propter nos verò figuratam induit, *habitu inuentus vt homo.* In ea veste pulcherrimus apparuit sponsæ oculis: *Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis. Specie tua & pulchritudine tua & cæt.* Ea pulchritudine inuitatur anima, vt eum diligat. *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam & cæt.* Secundam verò induit vestem in passione sua: in qua, vt sic loquar, defiguratus est: *Vidimus eum, & non erat aspectus.* Mutauit tunc habitum suum Rex Israël, & ingressus est bellum. Sed quia solo amore ac bonitate eam induit vestẽ, quamquam deformis & obscura videretur, pulcherrimus

Tres vestes induit Christus.
Prima vestis est incarnatio.
Philip. 2.
Psalm. 44.
Secunda est passio.
Isai. 53.
3. Reg. 22.

tamẽ ille optimuſq; apparuit, & ad ſe animas traxit. Vnde ait: Ego cũ exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me. Sed antequã ſecundã hanc induit veſtem, hodie tertiã induit, eamq; glorioſiſſimam, amictus *lumine ſicut veſtimento*, dum transfiguratur *Dominus regnauit, decorem induit*. Induit dominus pulchritudinẽ, vt oculos noſtros ad ſe rapiat, oſtendatq; ſuam defigurationem dignationis eſſe nõ neceſſitatis; amoris non ignominiæ & dedecoris. Qui in cruce trãsguratur: qui ſe tunc mortalem oſtendit: hic diuinitatis ſuæ certiſſima ſigna præbet. Nulla verò poteſt paſſio obſcurare, quem tantæ maieſtatis ſplendor illuſtrat.

Tertia veſtis transfigura tio. *Pſalm 92.* *Pſalm. 103.* *N. B.*

Sed videamus quomodo animas noſtras ad ſe trahat eo. quod hodie induit veſtimento. Cẽſeo id nobis voluiſſe hodie oſtendere, quali quantaque gloria ſe priuauerit, propter nos, dum in terra vixit, vt hoc nos deuinciat in ſui amorem. Cum ergo hæc gloria corporis, quæ hodie in eo apparuit, ipſi debita eſſet ab inſtanti conceptionis, tum quia verbo vnitum erat perſonaliter, tum propter animæ gloriam; hinc Chriſto domino duo præcipua debemus. *Primum* mala doloresque, quos pro nobis ille pertulit; de quibus hodie loquitur cum Elia & Moyſe. Secundum bona quæ pro nobis reliquit toto vitæ tempore. Sed quæ inquis, bona? Gloriam animæ, & gloriam immenſam corporis, quam hodie oſtendit. Sed quanta hęc gloria ſit, quis dicendo aſſequi poſſit? Cùm enim gloria corporis, animæ gloriæ reſpondeat; & gloria animę Chriſti excedat in immenſum gloriam omnium beatorum ſimul ſumptam: ſic & gloria corporis Chriſti excedit in immenſum gloriam omnium corporum beatorum. Si ergo Chriſto multum debes, quia maximos pro te dolores pertulit, magis ei es deuinctus, quia tot bona pro te reliquerit, quę maiora sũt, quam mala, quæ pro te paſſus eſt. Hinc eſt quod cum per Hieremiam, quæ hominum cauſa fecerit, oſtenderet, ait: *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius*: primùm ea extollit bis, quæ reliquit: deinde quæ paſſus fuerit, recenſet; quia plura reliquit, quam ſuſtinuit.

Quomodo animas noſtras ad ſe trahat Chriſtus. *Duo Chriſto debemus.* *Gloria corporis & animæ Chriſti.* *N. B.* *Ierem. 12.*

Ex quò nobis colligendum eſt: ſicut Chriſtus pro nobis paſſus nos ſibi deuinxit, vt ipſius amore labores ſubeam⁹; ita pro nobis tanta bona relinquẽs, vt pro eo omnia relinquamus, quãuis magna. Hoc fecit Moyſes, qui *fide grãdis*, fa-

Ad relinquẽda omnia Chriſto deuincti ſumus.

factus negauit se filiũ filiæ Pharaonis;maiores diuitias æstimãs thesauro Aegyptiorũ improperiũ Christi: Verè qui tẽporalibus delectatur,puer est:*Vsquequo paruuli diligitis infantiã?* Cũ verò nos viderimus Christum pro nobis tãta reliquisse, deuinctos nos putemus, vt pro eo minima relinquamus. minima enim sunt,quæ tẽporalia sunt. Nescimus Dei causa relinquere nostra.Quis est qui dicat:*Ecce nos relinquimus omnia,& secuti sumus te?* quã auari in retinẽdo. Disce ergo pro Deo honorem, voluptates, diuitiasque contemnere, accipies nunc centies tantum, & in futuro vitam æternam. Hoc hodie ostendere tibi voluit, gloriam suam manifestans, q. d. Videte,ô homines, qualia pro vobis ego relinquam, quibus me bonis priuem vestri caussa,vt vos similiter faciatis.

Hebr.11.
Quis puer.
Prou.1.
Temporalia minima sunt præ spiritualib.

Vt verò hanc gloriam Christus suis ostendat, *Assumpsit Petrum, Iacobum,& Ioannem, & duxit eos in montem excelsum seorsum*,scil. *in Thabor*. Semper Christus in montem suos ducit,in alta,in sublimia. *Mons Dei,mons pinguis,mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*. In monte Deus Abrahæ apparet.In mõte legem dedit.Elias in montẽ ire iubetur,vt Deũ videat.Est enim duplex modus Christianè viuẽdi.Primus cũ ascẽdere in montẽ quis conatur;cũ perfectionẽ sectatur:vel licet in statu sit humiliari,in eo tamen montem quærit; multa opera perfectionis præstat, cum sacramenta frequentat, orationem colit, mortificationem amplectitur,eleẽmosynas largitur. Hic in montem ascẽdit: huc nos Christus conatur ducere. Audi Paulum ascensum hunc nos monentem. *Fratres,magis satagite,vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando. sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Dei*. Alij verò montem ascendere recusant, sed in campestribus morari volunt,qui scil.vulgarem vitam ducere in animo habent, Deoq; seruire se dicunt, sed communi homine more, ea prestantes ad quę tenẽtur ex pręcepto. Periculis plena hęc vita est,hisq; contingere solet; quod is, qui arcum habent laxatum chorda remissa: qui cum in scopum iaciant sagittas, non quò diriguntur perueniunt. Sic hi,qui licet proponant, quæ præcepta sibi sunt seruare, eoque dirigunt vitam:multa tamen non seruant,quia natura nostra post lapsum infirma est ac debilis. Aeterna salus res est in

In alta suos ducit Christus.
Psalm.67.
Genes.22.
Exodi 20.
3.Reg.19.
Duplex christianè viuendi modus.
1.
Qui montem ascendunt.
2.Petr.1.
2.
Qui non ascẽdunt.
Periculum vitæ communis.
Simile.

N. B. dubium non vocanda; sed quàm in tuto collocare debes: nam & negotia secularia grauia curas in tutissimo esse.

Simile.

Luc. 9. *Et dum oraret*, ait Luc. *transfiguratus est ante eos. Accedite ad*

Psalm 33. *eum & illuminamini*. Sic enim nos transfigurari oportet.

Transfiguratio nostra. Cùm enim luna solem respicit, ab eo lumen accipit: sic qui se Soli iustitiæ opponit, ab eo lumen accipit, quo

2. Cor. 3. transfiguretur. Sic Paul: *Nos aũt reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in*

Simile. *claritatem*. Similisq; anima efficitur nubi; quæ cum natura sua obscura sit, radijs tamen opposita solis, omni induitur lumine & pulchritudine.

Iusti tribulati gloria. Sic ergò Christo orante transfiguratus est, *resplenduitq; facies eius sicut Sol*. Qua in re ostenditur nobis iusti in mundo adhuc tribulati transfiguratio. Sicut enim Christus in medio laborum trãsfigurationis gloria decoratur: sic iustus

Simile. etiam hic, dum laborat, cõsolatur. Sicut impius in medio

Daniel 5. deliciarum cõfunditur & angitur, vt Balthasar rex in me-

A contrarijs. dio conuiuij: sic è contra iustis in medio tribulationis,

Rom. 5. lux fulget transfigurationis. Hoc experiebatur, qui dice-

2. Cor. 7. bat. *Gloriamur in tribulationibus*, Et; *superabundo gaudio in omni*

Dan. 3. *tribulatione nostra* Hoc experti sunt tres pueri, qui in medio ignis rorem flantem senserunt, qui eos ab igne lædi non permisit. Hoc etiam experientia iusti nouerunt, qui licet maximis afflictionibus vrgeantur, si tamen in mon-

Matth. 11. tem ascendunt, si Deum orant, experiuntur, illud: *Ego refi-*

Isa. 56. *ciam vos*. & illud: *Ducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*.

Excessus Christi. Sed Christo transfigurato, *apparent Moyses & Elias loquẽtes cum Iesu*. Quid loquuntur? *dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem*. De excessu eius loquuntur, vt gloriam Christo cumulent: & ipsemet Christus in colloquium miscet passionem suam, vt cumulata gloria fru-

Simile. atur. Sicut enim lætitiæ tempore colloquium misces eo-

Paßio Christo dulcißima. rum, quæ maximè læta ac desiderata sunt: ita res omnium dulcissima Chrristo passio est, ei desideratissima mors est, idcò de ea nunc agit. Tanta autem passionis desiderio te-

Luc. 12. nebatur, vt diceret, *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor, vsq; dũ perficiatur*. Et ideò passionẽ suã calicẽ dicebat &

Paßio cur sit calix dicta. potũ, Sicut .n. sitis maximè hominẽ affligit, & potus summè expetitur: ita Christus summè passionẽ sitiebat. Imo si-

Simile. cut calcis fornax vehementer accensa immissa aqua plus

ardet

ardet; ita tanto ardebat desiderio passionis Christus dominus, vt passionibus adhibitis plus sitiret. Quid aliud putas esse hodiernum *splendorem*, nisi ignem charitatis procedētem, qui intus latet? Si ergo tam desiderata erat passio, meritò de ea colloquium in transfiguratione immiscet. Sed estne tibi dulcis causa passio Christi? *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis* &c.

Splendor igneus charitatem significat.

Iac 1.

Sed dubium est, qua ratione illam *Excessum* dicat? Resp. Naturale est, partem exponi, pro totius conseruatione; imò & partem minorem pro maiori; vt manus pro capite. Quod verò totum se exponat pro parte, Deus pro homine, hoc verè excessus est: quod filium tradat, vt seruū redimat, excessus est. Sed nec hic solùm fuit in passione excessus; sed & multi alij; omne enim, quod in passione est, excessus est. Amor excessit *propter nimiā charitatē suam*; dolor excessit in immensū oēs omniū hominū dolores: *Videte si est dolor sicut dolor meus*: humilitas excessit; cū *vermis* reputatus est, & *nō homo*: obediētia excessit, dū *factus est obediēs vsq; ad mortē mortē autem crucis*. Nihil in passione videbis, quod excessus non sit. Sed qua ratione tanti in ea excessus? Resp. Cū contraria contrarijs curari debeant, & excedēs fuerit culpa hominum in peccādo: ideò cùm Christi passio medicina sit, excedens illa esse debet. An nō summus peccati excessus est, dū contra voluntatem niteris Dei? dū eū despicis, conculcas? Attēde quis Deus, quis tu, & cognosces peccati excessum; excedat ergò Christi passio. An non ingens excessus Adami, cùm voluit Deus fieri? quod ei erit remedium? Excessus alter, Fiat Deus homo, & homo *vermis*. An nō nimius excessus inobediētia hominis? superbia eius? delitiæ eius? Sit ergo Christi passio excessus obedientię, humilitatis, & dolorū. Sed cū Moyses & Elias excessū loquūtur, Petrus quid respondet? *Domine bonū est nos hic esse*. Vide quàm diuersæ sint cogitationes mortuorū & viuorū. Moyses & Elias, qui aliud seculū viderūt, dicūt, Moriatur Christus: Petrus verò: *Bonū est nos hoc in monte esse*. Quam diuersa iudicia nostra à iudicijs defunctorū. Illi dicūt: *Quid profuit nobis superbia? diuitiarū iactātia quid cōtulit nobis? omnia veluti vmbra trāsierunt*. tu verò cogitas, quomodo vanitate & diuitijs crescas. Illi delicias abominantur, quarum causa, in æternū se vident arsuros: tu dicis; *Non sit pratū, quod nō pertrāseat luxuria nostra*. Illi sua testamenta impleri clamnāt: tu verò eorū bonis

Cur paßio excessus dicatur.

N. B.

Ephe. 2.

Thren. 1.

Psalm. 21.

Phil. 2.

Excessus in paßione cunctus.

Excessus hominis & Dei collatus.

Iudicia viuorum diuersa à mortuorū iudicijs.

Sap. 5.

Sap. 2.

N.

bonis frueris, eos oblitus: illi vana dicunt omnia; tu cum Petro hîc manere desideras dicens: *Bonum est nos hic esse.*

Gloria corporis mundani cõtenti sunt. *Sed nesciebat, quid diceret.* Quare? quia gloria sola corporis contentus erat; & hanc in hac vita quærit. O quot habet Petrus socios in inscitia sua. Sapentia mundi hoc iudicat, hîc quærendam gloriam, insuper & in alia vita: sed

Gloria vera. omninò fallitur. duæ enim gloriæ nulli contingunt. Si

Genes.25. vis, ô caro, gloriam, accipe eam viuam integram, non fu-

Allegoria. tulem, & quæ præterit cum figura huius mundi, sed ve-

Genes.27. ram & æternam in cælis. Sed si caro intepræualuit contra

Esca Dei. spiritũ, & primogeniturã tulit, vis eã recuperare? fac sicut

Psalm. 50. Iacob patri suo fecisse scribitur. Deferat spiritus escã Deo, qua libẽter vescitur. Sed quæ hęc esca? *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies* Collo circundet pelles, id est, peccata cõfiteatur voce Iacob humili; & sic gratiam assequetur spiritus, qua sit maior carne, illamq; superet.

Iudiciũ cæli & mundi. Sed audiamus iam cæli iudicium de Christo, eiusque passione: *Hic est filius meus dilectus &c.* Quàm diuersum cæli

Matth.11. iudicium à mundi iudicio? Ait mundus: *Hic est blasphe-*

Ioan.8. *mus, potator vini, Samaritanus.* Pater verò ais: *Hic est filius meus dilectus.* Iudicio verò cæli standum esse, quis dubitet. Ne ergò multùm curaueris, quid de te mũdus dicat, sed quid Deus. Insuper volebat Petrus Christi passionem impedire, & in eo monte manere: sed Pater ait, *Hic est filius meus*

N. B. *dilectus:* & quem ego diligo, in passiones & crucem mitto.

Hebr.12. vt vel hinc discere possis, non te Deum odio prosequi,

Apoc. 3. cum calicem passionis porrigit, imò *pater quem diligit filium*

Christus dilectus. *corrigit atq; castigat.*

In quo mihi bene complacui. Cùm pictor in quampiam i-

Simile. maginem omnem artem suam posuit, eam intuetur, &

Greg ho. 26. in Euang. Ioan. 20. sicut misit me pater. in ea bene complacet: sic, vt in similitudine sui expressa, Pater in filio suo complacet Placent mihi alia, sed in ipso & per ipsum; ipse verò placet mihi in seipso: quicquid enim mihi in me placet, in ipso est. Eadẽ enim est pulchritudo & bonitas mea, & illius. Vnde vocatur *dilectus in di-*

In Christo omnia placẽt. *lecto.* Et Ephes.1. *Gratificauit nos in dilecto filio suo;* & omnis creatura diligitur à patre in filio: nam non solum ipse di-

Cant. 5. ligitur, sed in ipso omnis ratio diligendi est.

Ephes.1. *Ipsum audite.* Ipse audiendus, quia Verbum est, quo ego

Christus audiendus. explico omnia, quæ noui. Si vnica lectione Salomon ostentaret omnem suam sapientiam, quanta attentione audiretur:

diretur: volens ego mundum docere, nisi Verbum meum, quo omnia quæ scio dixi. *Audite eum*, quia est Verbum meum internum. Magister homo non verbum internum nobis dat, sed vocem: Accipite ergò non vocem, sed verbum meum internum, quod ego vobis do. Ioel. 2. *Exultate in Domino Deo vestro, filiæ Sion; quia dedit vobis doctorem iustitiæ.* Maximus planè iustitiæ doctor, sapientia ipsa infinita. Ipsum audiamus, ei obsequamur. *Anima enim, quæ non audierit illum, exterminabitur de populo suo* ait Moyses. *Prophetam suscitabit vobis Deus, illum tanquàm me audietis, vt viuere poßitis inæternum. & cæt.*

A minori ad maius.
Apostraphe patris ad nos.
Ioel. 2.
Deut. 18.

FERIA SECVNDA POST DOMIN. II. QVADRAG.

THEMA: *Ego vado & quæritis me, & in peccato vestro moriemini.* Ioan. 8.

AD impœnitentes & duros corde hæc verba dicuntur. Durissima profectò sunt & quæ terrorem ac horrorem incutiunt audientibus. Asperum apparet medici dictum, quo infirmanti loquitur: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non viues*: sed multò asperius duriusque verbum istud est: *In peccato vestro moriemini*, quo animæ vita præstat corporis vitæ. In peccato viuere miserum planè est & tremendum: at verò huic malo remedium est, dum vita fungeris. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*, &c, *& sanabiles fecit nationes orbis terrarum.* Sed in peccato mori, miserrimum planè est, quia sine remedio: quia est inæternum peccare, & inæternum puniri sine vlla salutis spe. Inæternum à Deo separari, exulem esse à patria cælesti, Dei inimicum perpetuò, de quo dicit, *complebo sagittas meas in eis*, quis hoc verbis explicare potest? Hinc Psal. *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

In peccato mori durißimum est verbum.
Isai. 38.
4. Reg. 20.
In peccato viuere miserum.
Sap. 1.
Inæternum mori miserrimum.
Deut. 32.
Psalm 89.

Maximè ergò nobis inquirendum, in quem verba illa dicuntur, quæ fulminis instar sunt, & tonitruum magnitudinis Dei. Pharisæis principibus, scribis doctissimus, qui cæci erant & duces cæcorum, & in foueam inferni deciderunt

Infidelitas quàm graue peccatum.

runt. Sed nosse cupis, quod fuerit horum hominum peccatum, quibus dicitur, *In peccato vestro moriemini?* Præcipuum eorum peccatum fuit in Christum non credere. Infidelitatis peccatū dicitur in scriptura peccatum per Antonomasiam. Quod illorum peccatum explicat Proph. *Negauerunt*, ait, *dominū, & dixerunt. Non est ipse, neq; veniet super nos malū.*

Aug. tract. 95 in Ioan. 16.

Ierem 5.

Caussa infidelitatis.

Sed videamus, quo pacto hi Pharisæi in luce admodum manifesta (Christi enim doctrina & opera diuina erāt) impingere & scandalizari potuerūt? Audi Christū ostendentem. *Lux venit in mundū*, Summum hoc bonū, si lux venit: omnes ergò videbunt recta, omnibus cæli via patebit. Sed non ita factum est. Quid ergo? *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucē.* An non hoc horrendum monstrum, tenebras prǽponere lumini? *Erant enim*, inquit, *eorum opera mala: & omnis qui malè agit, odit lucē.* En omnis mali radicem. Sed quo pacto voluntas excæcare potest intellectum? ille enim dux & lux est voluntati. Hoc in his, ad quos sermonem habet, facilè perspicies. Venit Deus in mundum, vt viam cæli ostenderet. *Elegit Israel in habitationem sibi*; vitam duxit perfectissimam & diuinam: doctrina enim ipsa veritas, ex thesauris sapientiæ & scientiæ Dei deprompta. Adhuc in tam manifesta luce impegerunt, *& in meridie palpauerunt vt cæci.* Et huius rei caussa est: *quia eorum erant mala opera.* Dilexerunt vitia & peccata; & ideò audire noluerunt eum, qui his contrarius erat; & iusto Dei iudicio ablata est ab eis veritas, quam recipere recusarunt, concessumque mendacium, quod dilexerunt. sicut cum alijs Paul. factum ostendit. *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, immisit illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio.* Timendum ergò nobis maximè est, si forsan in corde nostro viderimus veritatis odium, passiones exuperātes, peccatum dominari in nobis. Sicut enim in corpore infirmitates sunt desperatæ: ita aliqua sunt peccata adeò radicata, vt licet remedium eis sit, est tamen adeò difficile, vt quasi impossibile appareat, vt medicus dicat illud Paul. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & gustauerunt donum cæleste, et prolapsi sunt, iterum renouari ad pœnitentiam.*

Ioan. 3.

Radix omnis mali.

Isai. 59.

Soph. 1.

N. B.

Induratorū periculum.

Simile.

Heb. 6.

Ad hos induratos, vt & Pharao olim fuit, sic nunc loquitur Christus. *Ego vado, & quæretis me.* q. d. Vani sunt conatus vestri, quibus me cōprehendere quæritis: nihil enim in me efficere poteritis, nisi quando ego voluero. Ioan. 10.

Ioan. 8.

Ioan 7.

Pet-

Potestatem habeo ponendi animam, et iterum sumendi eam: & nemo tollit eã à me. oblatus est quia ipse voluit. Et vos post mortem meam me quæretis: Me nanq; reiecto, quæretis & expectabitis verum Christũ, & sic semper in errore permanebitis, atq; adeò *in peccato vestro moriemini.* vel, Romanis vos obsidentibus incidetis post meum discessum, in maximas calamitates, & tunc desiderabitis meam præsentiã, vt miraculo vos eripere͂, nec me habebitis, & sic *in peccato vestro moriemini.* Secundò, *Quæretis me* post morte͂ meã, me in Apost. persequẽtes; & cùm meipsũ in propria persona persequi nò valueritis, nomen meum persequimini, vt illud de terra deleatis, sed illud omninò non obtinebitis: & tandem quæretis me in morte vestra, & non inuenietis, ideoq; *in peccato vestro moriemini.* Tremendum profectò verbũ, in morte vitam quærere, & non inuenire. Sic Esau *quæsiuit locum pænitentiæ, nec inuenit; quamuis cum lachrymis quæsisset eam. Quærite ergò dominum, dum inueniri potest; inuocate eum, dñ prope est,* ne vobis cõtingat quòd fatuis virginibus, quæ clamantes, *Domine, Domine aperi nobis*, exauditæ non sunt. Hoc verò ijs contingit, qui conuersionem suam in mortem differunt; quibus maximè congruit. *In peccato vestro moriemini*; Et, *quæretis me, & non inuenietis*: non quod impossibile sit inueniri, sed quia de facto pauci inueniunt.

Duplex verborum sensus. *Theophyl.* *Iansenius.* *N. B.* *Heb. 12.* *Isa. 55.* *Matth. 25.* *Conuersionem in mortem differentium periculum.*

Meritò addit; *Quò ego vado, vos non potestis venire.* Ego quidem moriar, & vos similiter moriemini: sed dissimilis valdè erit terminus: nec enim venietis eò, quo ego. quia viam meam tenere non vultis. Sicut enim ego *vita* sum, quò tendendum est: ita & *via sum*; & qui me vt viam non tenuerit, nec assequetur vt vitam. En maximam Dei *iram in filios diffidentiæ*. Vt similem caueamus ruinam, hæc nobis proponuntur. *Videamus ergò ne incidamus in idipsum incredulitatis exemplum.* Ideo *hodie si vocem eius audieritis*, nolite obdurare corda vestra. Sed adhuc manifesta est Dei misericordia, q omnib. his verbis eos ab incepta via deterrere cõatur, nollet nanq; has minas intentatas opere exequi: Eò tendunt omnes Dei minæ. *Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum.* Non ex corde, neq; ex Dei ingenio procedit ira atq; afflictio. *Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem: reuertatur vnusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras.* Sed audi malorum ingenium: nihilo meliores fiunt verbis tantis; sed dicunt: *Nunquid inter-*

Ioan. 14. *N. B.* *Eph. 5.* *Hebr. 3.* *Hebr. 4.* *Psalm. 94.* *Misericordia Dei manifesta in induratos.* *Ierem. 18.* *Thren. 3.* *Ingenium malorum.*

Ioan 7. *interficiet semetipsum? quia dicit, Quo ego vado, vos non potestis venire.* Ministri missi ad Christum comprehendum superiori cap. audientes hæc eadem verba dixerunt: *Nunquid abiturus est in dispersionem gentium.* at Principes alium sensum conceperunt, *Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quo ego vado, vos non potestis venire.* sic enim poterit euadere manus nostras, ne eum occidamus. Considera nunc eorum studium in Christi mortem: nec enim putabant Christum eos effugere posse nisi se occidendo.

Studium in mortem Christi.

Sed vt adhuc magis eorum infirmitatem aperiat, simulque ostendat eos non posse venire, quò ille, adiungit: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum: Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo* Omnes quidem de terra sumus, Christus verò de cælo: *Qui de terra est, de terra loquitur; qui de cælo venit, super omnes est.* Sed reprobi non solùm de terra sunt, sed etiam de hoc mundo. Ideo cum Christus dixisset; *deorsum estis*; quod etiam iustis conuenit, addidit; *Vos de hoc mundo estis*: quod peccatorum proprium est. Non enim de hoc mundo iusti sunt, quia ei per affectum non conformantur. Ideò ad eos Christus dominus ait: *Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Reprobi ergo de terra, terreni; iusti verò etsi de terra, non tamen terreni, sed cælestes sunt. Sed notand. probro hominibus dari, quod de mundo hoc sint: cum tamen nihil adeo homines curent, quàm de hoc mundo esse, & huic sæculo confirmari: cum audierint illud. *Nolite confirmari huic seculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Meritò de his adiungit Dominus: *In peccatis vestris moriemini.* Signum enim reproborum est, de hoc mundo esse. Vide, an in corde tuo amor mundi principatum gerat: erit enim tibi malum. Nam anima, terrenis inhærens, pondere huius seculi in profundum malorum venit, & in infernum demergitur, sicut *mulier in amphora sedens, in cuius ore talentum plumbi erat, in amphoram cadit.* Meritò ergo Christus adiungit: *Dixi vobis quia in peccatis vestris moriemini.* Repetit tremendum verbum. Sicut enim, qui vno conamine non imprimit ceræ ob eius duritiem imaginem sigilli, hoc secundo conamine curat efficere: ad eum modum Christus se habet. *Si enim non credideritis, quòd ego sum, moriemini*: si autem hoc credideritis, præsto erit peccati remedium. Sed ais. Ego credo, quod Christus est. Bene facis, sed hanc perficere cura

Christus cælestis.

Ioan. 3.

Terreni & mundani differentia.

Iusti non sunt de mundo.

Ioan. 15.

N. B.

Dedecus est de mundo esse.

Rom. 12.

Ephes. 4.

Signum reproborum.

Zach. 5.

Simile.

Simile.

Exod. 3.

N. B.

Iac. 2.

re cura operibus fide dignus, & charitate ipsam viuificante. Non enim perfecta fides est, si charitas absit. Credere verò ab intellectu & voluntate pendet: nullus enim credit nisi volens. Vt ergò perfecta sit fides, oportet voluntatem charitate perfici, intellectum verò fide. Dicit tibi fides; Mors in peccato est; & adhuc *bibis iniquitatem, quasi aquam?* Dicit iterum, Noli peccare; in peccato nanque infernus & dæmon absconsus est; & adhuc *confidis & transilis?* Vere videris non credere. Fides quidem in peccatore est, sed informis, imperfecta, & mortua In his ergò ostenditur Christi iustitia, qui fide perfecta formati sunt, quia *iustus ex fide viuit*, id est, ex fidei operibus: & spiritualibus exercitijs.

D. Thom. in Rom. 1.
August.
Iob 15.
Prou. 14.
Iustus quomodo ex fide viuat.

Dixerat Christus: *Si non credideritis, quia ego sum. Dicunt ei; Tu quis es?* Et ille. *Principium, qui & loquor vobis.* id est, sum principium, Deus verus, *qui & loquor vobis*, qui dignatione mea factus homo vos doceo: qui cùm in diuinis *Verbum* sim, quo Pater loquitur, & iam homo factus vobis loqui dignatus sum, doctor vester effectus sum. Quibus verbis vtranque expressit naturam, diuinam & humanam.

Christus principium.
Ambro.
Bernard.
Beda.
Rupertus.
Glosa.

Sed expendenda nobis illa verba sunt: *Qui & loquor vobis.* Magnum quidem in homines collatum beneficium est illud. *Quid est homo, quia magnificas eum? Quid est homo, quòd memor es eius? & cæt.* Maius adhuc beneficium illud, quod Moyses inauditum à mundi exordio ait, *vt populus Deum audiret de medio ignis*, cælestibus præceptis ipsum imbuentem. Si tam mirabile fuit Angelum mitti, qui in Dei persona loqueretur, quale obsecrò erit in nos collatum beneficium, vt naturam indueret humanam, & *in terra conuersatus*, nos doceret *verba vitæ*. Propterea *abundantius seruare oportet ea, quæ audiuimus.*

Thom.
August.
Maximum beneficium.
Psalm. 8.
Iob 7.
A minori ad maius.
Baruch 3.
Ioan 6.
Hebr 2.

Addit verò Christus: *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare* quasi dicat. Non solum habeo, quæ nunc dico; sed multa alia possem de vobis, id est, contra vos loqui, & iudicare vos: at nunc non est tempus iudicandi, verùm saluandi. Aliquando verò hæc loquar. *Tunc loquetur ad eos in ira sua & c.* Sed quis peccatorem excusabit, cùm Christus eum accusauerit? *Frater non redimit, redimet homo?* Sed modo non vos iudico, nec contra vos loquor; *quia qui misit me verax est, & ego, quæ audiui ab eo, loquor.* quasi dicat. promisit me ille Saluatorem, non iudicem; ideò modò Saluatorem solum ago; iudex posteà ero. Et licèt iudicium differatur,

Iudicandi nunc tempus non est sed saluandi.
Psalm. 2.
Psalm. 48.
Iudiciũ peccatorem terrere debet.

Lucæ 21. feratur, sed veniet aliquando, *quia Pater meus verax est*, qui hoc dixit. Voluit ergò Christus eos terrere comminatione iudicij, quo tremefactus est Fœlix, & quo maximè terreri peccator potest.

Actor. 24.

Et non cognouerunt, quia patrem suum dicebat Deum, addit Ioan. Ideò Christus subiungit se crucifigendum ab illis, & tunc eos agnituros, quis ille sit. *Cùm exaltaueritis, ait, Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Tanta enim signa facta sunt in Christi morte, resurrectione, & aduentu Spiritus Sancti, vt multi à cruce reuerterentur *percutientes pectora sua*, & deinde multi crediderint, Iesum fuisse verum Messiam. Nunc ergò non videtis, quãtum sit peccatum, quod cõmittitis me persequentes, cùm peccatum omninò perpetraueritis me occidendo, tunc cognoscetis, quis ego sim, & quantum admiseritis peccatum. Hoc enim diabolus agit, peccati grauitatem non ostendit, donec opere completum sit: vt liberè peccet homo, peccatum leue dicit: vt desperet perpetrato peccato, illud aggrauat. Sic Iudę contigisse manifestum est, qui Iesu tradito ait, Peccaui tradens sanguinem iustum. Væ ei qui peccatum non videt, cùm tempus gratiæ & veniæ pertransijt.

Crucifixio Christũ Dei filium demõstrauit.

Diaboli fallacia.

N. B.

Grauitatem peccati tollit vt liberè peccetur. Auget, vt desperetur.

Non reliquit me Pater solum, ait Christus, *quia ego, quæ placita sunt ei, facio.* Impium solum relinquit Deus, quia peragent, quæ Deo non placent. Ipsi regnauerunt, & non ex me. Sed iustum maximè hæc verba consolantur. Non relinquêris, si Deo placita peragis. Solum Christum putauerunt esse cum dicerent: *Deus dereliquit eum.* &c. Sed Christus ait: *Non reliquit me solum*: ita etiam cum omni iusto se Deus noster habet. &c.

Exemplũ.

Impius solus relinquitur.

Oseæ 8.

Iustus non relinquitur.

Psal 70.

FERIA IV. POST DOMIN. II. QVADRAGES.

THEMA: *Tunc accessit Mater filiorum Zebedæi.* Matth. 20.

ACCEDIT hodie Mater filiorum Zebedæi, vt filijs suis dona impetret, sed audit: *Nescitis quid petatis.*

Mirum

Mirum valde est, cùm homo ad imaginem Dei efformatus sit, quàm diuersus sit à Deo voluntate, ordine, atq; ratione. Hinc Isa. *Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cæt.* Sed si diuersa est via Dei à via nostra, & diuersa voluntas, vt inter se conueniant, quis, quem sequi debet? Deus nos, an nos Deum? Si Deus te sequetur, dic te Deum esse: si verò agnoscis te Deo inferiorem, acquiesce tu Deo, eius sequere ductum *Acquiesce Deo, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos.* Homo vult honorem, vtilitatem, quietem. Non hac procedit via Deus. Sed qua? Audi: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & Filius hominis tradetur. & cæt. Calicem meum bibetis.* Cui pulchrum videtur cælum, crucem non horreat; illa enim est via ad cælum. Cui placet hæreditas, placeat onus. Velles tu delicias, honorem, diuitias: Christus verò sibi prælegit crucem, tormenta, ignominiam. Caro nostra hanc ingredi recusat viam, vt ostendit Mater filiorum Zebedæi: sed Christus concludit nullam aliam esse viam ad cælum præter crucem & calicem eius. Hæc Euangelij summa est.

Diuersitas diuinæ voluntatis à nostra.
Isai. 55.
N. B.
Iob. 22.
Christi via.
Carnis via.

Assumpsit Iesus duodecim discipulos secretò. Attentos nos esse oportet ijs, quæ secretò dicuntur à Christo Domino paucis, qui à consilijs ei sunt, quibus crucis mysterium exponit. Summum sine dubio crucis est mysterium, quod vulgo declarari non potest: cùm vulgus crucem & maledictionem malum augurium esse putet. Ideo Christus suis dicit, Ponite in cordibus vestris sermones istos. *Verbum crucis pereuntibus stultitia est.* cùm tamen in cruce omnium bonorum summa sit. Sed Domine quo ordine crux, res abiectissima est eleuanda? Hoc efficietur, ait Christus, cùm homo Deus eam sibi assumpserit in gloriosam vestem & pretiosam. Et vt hoc fiat; *Ecce ascendimus Hierosolymam.* Ascendimus nunc in ciuitatem illustrem, vbi Pascha celebrandum est, quo tempore solent omnes procedere in vestibus gloriosis, quæ hominibus apparent pretiosæ. Ego verò qui de cælo sum, ornamentis vtar cælestibus, & quæ Deo & Angelis eius in pretio habentur. Huiusmodi verò sunt, crux, claui, flagella, spinea corona, & cæt, vt hinc vos discatis, cùm similibus vos ornamentis videritis ornatos Deum laudare. O præclarum aquatium pænitenti, multa patienti, afflictoque & cæt.

Secretũ Christi attentè audiendum.
Luc. 9.
1. Cor. 1.
Crux quomodo eleuanda.
Vestes Christi pretiosæ quæ.

Vestis Christi est vestis tua: ornatus es regio ornamento vestitus purpura Christi. Christus enim condidit Euangelium suum in solatium pœnitentium & afflictorum. Hos hodiè Christus ducit in secretum locum, & docet horum indumentorum pretium. Vnde illa mutatio, vt sancti diuitias & delitias oblatas auersentur, & indui cupiant paupertate, afflictione, humilitate, à quibus natura abhorret, nisi quia viderunt Christum his processisse ornamentis ornatum? Pretiosa sine dubio vestis est, quam Deus in pretio habet, quam sancti omnes magnifaciunt. Procedite ergò Angeli, procedite animę fideles, videte Principem vestrum ornatum pręclaris margaritis lachrymarum, spineæ coronæ, flagellorum & crucis præcipuè Procedite omnes peccatores, & videte, quomodo vos vocet ad pænitentiam dicēs. *Induimini Iesum Christum* induimini vestibus pretiosis, de quibus gloriatur: *Gaudens gaudebo in Domino & cæt quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis* Sed non hæc apparet mundo pretiosa vestis, imò humilis & abiecta. ita sane, quia *animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt: stultitia enim est illi*. Indoctæ & incultæ animæ, sicut rusticę virgines, irrident hanc vestem, vt Michol Dauidem lineis indutum. Sed tam hæc est pretiosa vestis Angelis & iustis, vt vniuersum lætificet eorum cætum. Intuentur Angeli Herodem indutum auro & gemmis & percutiunt eum: vident peccatorem deplorantem peccata, & gaudium est coram Angelis Dei, cùm te Christi veste indutum conspiciunt.

Euangelium solatium pænitentium. *Sanctorũ mutatio vnde.* *Adhortatio.* *Rom. 13.* *Isai. 61.* *Mundo crux non est pretiosa.* *2. Cor 2.* *2. Reg. 6.* *Act. 12.* *Luc. 15.*

Sed ipsi nihil horum intellexerunt. Manifestis verbis loquitur, & tamen non intelligunt. Non potest menti humanæ insidere via hæc crucis, non capit eam. Sicut enim Rex habet inuolutas literas, easq; in epistola legens stultas reputat: sed si explicationem earum habeat, facilè intelligit: sic crux est litera Dei inuoluta, amicis verò ostendit explicationem. de quibus dicitur, *Virtutem operum suorum & nuntiabit populo suo.* Hi virtutem crucis intelligentes, ea lætantur, &, vt intelligant bonum tribulationis, petunt à Deo sapientiam, vt Iaco. monet. Sed adhuc caro nostra non intelligit, licèt manifestis verbis sit dictum. Veniat nunc aliquis ad Christum, vt eum interroget, & insipiens etiam intelligat.

Crucis viam homo non capit. *Psal. 110.* *Crucis virtus quomodò intelligenda.* *Iacob. 1.*

Ad hoc, *accedens Mater filiorum Zebedæi*. Optabat hæc filijs in cælum patere aditum, Huic Christus viam aperit, quam ille nouit, quia eam perambulauit. Sed nobis aduertendum, opportunè mulierem accessisse ad petendum, cùm scilicet de Christi passione sermo haberetur. Quando tu memoraris passionis Christi & Patri proponis, tunc pete quicquid voles. Sed *accedit Mater*, tota mater, solo affectu materno ducta. Nihil aliud tunc erat, quam mater; nihil agebat quàm matrem, nihil curabat nisi filios. Disce ergò non solum mater esse, vel pater; sed sic esto filijs mater vel pater, vt sis etiam frater fratrum, amicus amicorum. Nō enim solis filijs natus es, sed omnibus. Hæc verò mulier nunc solum mater erat, & ab Eua hæreditario iure acceperat, vt filijs terrena ac caduca quæreret. Inordinatus parentum amor efficit, vt sic filijs terrena prouideant, vt ipsi amittant æterna. An non insignis inscitia, vt filium diuitem relinquas, peccata admittere, quibus in æternum damneris? Quot adinuentionibus quęrit Rebecca filij eius benedictionem; & tu maledictionem ęternam sustinere vis, vt filius tuus diues euadat? Sola terrena filio quæris; æterna ei non quæres? Verè indurantur ad filios suos tanquam struthio. Quòd si solum caduca filio relinquere desideras, vtilius erit filio tuo, si tu iustus sis, eique benedicas, quàm si domum auro plenam malè parto ei reliqueris. Hoc manifestum est in Iacob, qui in baculo Iordanem transiuit à patre benedictus. *Beatus vir, qui timet Dominum, potens in terra erit semen eius; generatio rectorum benedicetur*, id est maximis bonis cumulabitur. Vis amplam substantiam filio relinquere, esto tu iustus: & benedictio tua firmabit domum illius.

Mater materno affectu postulat.

N. B.

Inordinatus parentum amor.

Exemplum parentibus imitandum.

Thren. 4.

Iob 39.

Gen. 28. 32.

Psal 111. & 127.

Eccli. 3.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Volens discipulos allicere ad calicem bibendum, summam dulcedinem eius exposuit, dum dicit; se biturum primùm. Et verè si fideles Deo essemus, hæc ratio satis erat, vt eum libenter biberemus. Sed vt dicit Sapiens: *Multi misericordes vocātur, virum autem fidelem quis inueniet?* Non est filius, non est seruus, qui sic agat cum patre aut Domino, ac nos cum Deo. Satis hoc nobis verbo dictum est, *Quem ego bibiturus sum*, vt calicem hunc sitiamus. Vbi fidelitas, vbi honor Christiani? Ille pro te bibit, non tu bibes ob illius amorem? Estne fidelis miles Regis, qui rege prælium ingredientc

Dominici Calicis dulcedo.

Prou. 20.

N. B.

Simile.

diente recedit? Quàm aliter illa, quæ ait, Dilectus meus mihi & ego illi. In nullo alio homo respondere Deo suo potest nisi in dilectione, & calice bibendo. Dat tibi dona Deus, non potes illi quicquam dare. Beatificat te Deus, non potes illum beatificare: sed in dilectione & passione potes. Diligit te Deus, potes eum diligere: passus est pro te, potes pro illo pati.

Cant.2. *Bernard.* *August. Manual. cap.18.*

Sed si iustis calix bibendus est, peccatoribus calix non erit? Absit. Audi Petrum. *Si autem primùm à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euangelio Dei?* Si iustis calix est tribulationis, quomodo effugiet impius? Ierem.25. *Sume calicem vini furoris Domini de manu mea; & propinabis de illo cunctis gentibus, & turbabuntur et insanient. Cumq; noluerit accipere calicem de manu tua, dices ad eos Bibentes bibetis, quia ecce in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, & vos quasi innocentes & immunes eritis? Non eritis immunes?* &c. Si amicos affligit, inimicos non affliget? Isa.32. *Super humũ populi mei ascendent spinæ & vepres, quantò magis super omnes domus gaudij ciuitatis exultantis*: Sed terrent verba Psal. *Calix in manu Domini vini meri, plenus misto; & inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fæx eius non est exinanita. bibent omnes peccatores terræ.* quasi dicat. Est in manu Domini calix plenus infusione vini meri, id est, potentis ad inebriandum, quo potat omnes homines: sed peccatoribus fæx calicis reseruatur. Iustis tribulatio datur, quæ licet grauis sit, adhuc tamen vinum est; quia semper Deus consolationem præbet, qua facilè toleretur; at peccatoribus datur fæx calicis. *Pluet super peccatores laqueos ignis. Ignis, nix, grando, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Et, *hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est in calice iræ ipsius.* Terribilis, tremendaque sententia. Si enim iusti tribulantur, quanta manet peccatores ira & calamitas? Respondet Christus.

Calix peccatorum. *1.Petr.4.* *Ierem.25.* *Isai.32.* *Psalm.74.* *Fæx calicis.* *Psalm. 10.* *Apoc.14.*

Non est meum dare vobis. Sed quomodo non est tuum dare? Non tu iudex viuorum & mortuorum? Nonne tu procurator, cui dicitur, *Redde illis mercedem?* Resp. Christi quidem est dare, sed non sic dare, vt modò rogatus est facere. Pro meritis enim daturus est, reddens vnicuique secundum opera sua, secundum proprium laborem: non intercessionis aut propinquitatis iure. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Ideò calicem Christi bibe; nam nullum ius est, nisi quod virtus meritumque præstat. *Si enim*

Matth 20. *Quomodo Christi sit dare.* *2.Tim. 2.* *2.Cor. 1.*

socij fuerimus paßionum, erimus & consolationis.

Duæ sunt hæreditates Christi, respondentes duabus naturis, & duabus generationibus, diuinæ & humanæ. In vtraque nos vult esse socios. Si ei volumus esse cohæredes in ijs, quæ hæreditauit à patre ab æterno; simus etiam in ijs, quæ à matre, & hæc est crux ac calix passionis. *Si tamen compatimur*, ait Paulus *vt & conglorificemur* Cuius rei figuram Dauid expressit, qui puer inunctus est in regem, sed regni possessionem non est adeptus, donec Saul vita excederet, sed primùm multis persecutionibus probatus: & tandem per multas tribulationes fidelis inuentus coronam regni assequutus est Sic tu baptismi aqua ablutus, inunctus es in cæli regem; sed illius possessio tibi non conceditur, donec per multas tribulationes fidelis inueniaris & dignus Deo: *quoniam Deus tentauit illos, & inuenit dignos se.* Habes quidem à baptismo ius ad regnum, sed vt illud ingrediaris, audi, *Calicem quidem meum bibetis*, hac ratione mihi chari eritis. *Ego*, ait Christus, *veni in hunc mundum*, vt multa patiar, non vt delecter; hæc meorum quoque cura esse debet. Ne glorieris vnquam de re alia coram Deo, quàm de eius imitatione. Nihil aliud illi placet Audite omnes, qui vos delitijs, diuitijs, honoribus tradidistis: *Non est meum dare vobis*, regnum meum. Sed Domine, quomodo tuum non est dare? cùm dicas. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Et, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Meum quidem est, dare, sed quibus *paratum est à Patre meo.* Quibus pater prædestinauit? Parentibus vtique: Ideò *potestis bibere calicem?* ijs enim dare possum. Est enim tribulatio Dei donum, quod non agnoscimus, nec meremur, sicut Beniamin, cui ignoranti scyphus datur. *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam pro illo patiamini* Gratiâ Dei hæc magna; sicut contrà ira Dei est, te delicijs tradere & desiderijs cordis tui Ex quod illud collige, quod Christus suis dixit. *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater.* Mihi verò disponit per passionis calicem; similiter ego vobis illud dispono. & cæt.

Duæ Christi hæreditates.
Rom. 8.
Allegoria.
Sap. 3.
Qua de re gloriandum coram Deo.
Matth. 28.
Ioan. 5.
Matth. 11.
Tribulatio Dei donum.
Genes 44.
Philip. 1.
Ira Dei maxima delitijs tradere.
Lucæ 22.

FER. V. POST DOMINICAM SECVNDAM QVADRAGES.

Legitur hoc Euang. Do. I. post Trini. in Eccles. Colon. & alijs.

THEMA: *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. &c.* Luc. 16.

Proposi-tio.

PROPONVNTVR nobis in Euangelio duo homines, diues & mendicus: in quib. duæ familiæ Christi & diaboli significantur, duobus hircis significatę, *Orig. ho 9. in Leuit. 16.* quorum vt alter sacrificabatur, alter liber dimittebatur: sic familia Christi sacrificatur passionibus, vt sit hostia Deo placens: altera libera sibi suisq; voluptatibus dimittitur, & ad hanc diues epulo pertinebat.

Diuersitas iudicij diuini & humani. In his verò apparet diuersitas iudicij diuini ab humano, & quia, *quod altũ est hominibus, abominatio est apud Deum*: contrà, quod hominibus despicabile, à Deo in pretio habetur. Ad huius intelligentiam duo homines proponuntur; diues epulo, omni temporali felicitate, diuitijs, gloria, *Lucæ 16.* nobilitate ornatus: & Lazarus, his omnibus destitutus. *Euangelij diuisio.* Ille humano iudicio felix erat, nec diuitijs abutebatur, sed eas insumebat in his, in quibus eas nunc omnes ferè diuites consumunt, in vestibus pretiosis, & ampla suppellectili, in cibis delicatis, lautisq; conuiuijs. *Psalm. 143.* *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Contrà verò Lazarus summa opprimebatur paupertate, vt vel micas desideraret diuitis, nec acciperet, & vlceribus plenus esset. Quis non beatum dicet diuitem: contrà verò Lazarum miserrimum? Sed hodierno *Psalm. 61.* Euangelio declaratur longè diuersum diuinum iudicium, & quòd *mendaces filij hominum in stateris sunt.* Et licèt hoc diuinum iudicium nunc occultum nobis sit, tamen *Dies nouissima & iudicium vniuersale falsitatē mundi manifestabit.* in iudicio vniuersali palam omnibus fiet. sicut ait Psalmista. *Existimabam vt cognoscerem hoc: labor est ante me. donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.* In die nouissima hæc apertè videmus: & tunc summa rei admiratio nos tenebit, videntes omnia, quæ mundus magnifecit, depressa: contrà in sublime posita *Psal. 72.* ea, quæ hic nulla esse videbantur. Sed quia multum interest

intereſt hæc nunc noſſe, Chriſtus hoc exemplo de his nos *Euangelium*
admonet. quod non eſt vt parabola accipienda: nam verè *hoc non eſſe*
tales homines extitiſſe antè Chriſti tempora, teſtatur Eu *parabolam.*
thym. ex Hebræorum traditione, qui diuite Mineuſen di- *Euthym.*
ctum fuiſſe tradunt. *Vtilitas mo-*
Et magni noſtra refert, ſi continuò verum iudicium *do rectè iu-*
de his iudicemus, nec illud in vltimum diem differamus, *dicare.*
quando etiam impij, velint nolint, rectè iudicabunt. Hinc *Carnalium*
Iob ait: *Vidi impiũ firma radice, et maledixi ſtatim pulchritudine* *iudicium va-*
eius Statim, inquit. Carnales quippe mentes, dum vident e- *rium.*
latum & diuitem, illum magnifaciunt: ſed cum vident e- *Iuſtorum iu*
ius interitum, iudicium mutant, dicentes: Ecce quam ni *dicium con-*
hil eſt, quod altum eſt mundo. Sed iuſtorum mens *ſtatim* *ſtans & ve-*
maledicit pulchritudini eius. Vt ergò hoc nunc iudicium *rum.*
iuſtum proferamus, primò proponitur diues exterius, in Simile.
terius pauper. *Homo quidam erat diues*. Multam coaceruaue- *Ierem 2.*
rat ſubſtantiam, ſimilis factus vrſo, qui vna die deuorat N. B.
mel totum, quod apes vno anno conficiunt: Sic auarus di- *Eccli. 31.*
ues vno die colligit omnem ſubſtantiam, quam toto an- *Hom. 40 in*
no plures agricolæ elaborant, ſibique omnia ſeruat, de *Luc. 16.*
quo Ier. *In alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum &* *Diuitis no-*
innocentium. Diues tandem cum eſſet, iniuſtus erat: mira *men igno*
culi enim loco eſſet habendum, ſi diues eſſet & iuſtus. *tum, & qua-*
hinc Sap. *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula, & poſt au* *re.*
rum non abijt. &c. quis eſt hic & laudabimus eum? 1.
Sed animaduertit Gregorius nomine proprio inſigni *Pſal. 71.*
ri pauperem Lazarum, non verò diuitem. aliter nanque 2.
Deus, aliter homo res penſat. Homo nomen diuitis in- *Pſalm. 15.*
quirit, Deus nomen pauperis; quia *honorabile nomen paupe-* *Pſalm. 68.*
ris coram illo. Secundò, nomen non habet diues in Euan *Ierem. 17.*
gelio: quia in libro vitæ ſcriptus non erat. Pſal. *Nec memor* *Pſalm. 48.*
ero nominum eorum per labia mea. Et iterum. *Deleantur de libro* *Lazari nomẽ*
viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. In terra hi ſcribunt *Deo notum.*
nomina ſua, curantes in ea perpetuum nomen. *Recedentes* *Iſa. 49.*
à te in terra ſcribentur. Et Pſalm. *Vocauerunt nomina ſua in terris* *Apoc. 3.*
ſuis. Contra iuſtus Lazarus nomen habet in Euangelio, *Luc. 10*
quia *ſcriptus eſt in libro vitæ. In manibus meis deſcripſi te*. Et, *Qui* *Matth 11.*
vicerit, veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de *Iuſti ſcripti*
libro vitæ. Et, *Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*. *in libro vi-*
Scripti ergò ſunt iuſti in libro vitæ. Primùm in ipſa di *tæ.*
uinitate, cum ab æterno prædeſtinati fuerunt, nomine

Exod.33. proprio, eo in libro quisq; iustus scriptus est. sic ad Moysen. *Noui te ex nomine.* Deinde in corde Christi scripti sunt, Psal.146. dũ efficaciter pro illis obtulit sacrificiũ. *Qui numerat multitudinem stellarum.* i. iustorum, *et omnibus eis nomina vocat.* Corã Deo nomen non habere est nihil esse in conspectu eius & sic iniustus coram Deo nõ est. Habere verò coram Deo nomen, est in pretio ei esse. Sic ergo iustis & iniustis contingit, iuxta illud Psalm. *Ad nihilum conductus est in conspectu eius malignus*; quantumuis diues & magnus: *timentes autem dominum glorificat*, licet pauperes & miseri sint, vt Lazarus *Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Et tamen curat nimium peccator nomẽ sum celebrari in terra, ideò etiam de terra Deus delet nomen eius, *Destruam*, inquit, *memoriam Amalech super terram.* Herostratus homo infamis incẽso templo Dianæ Ephesinæ nominis sui memoriam posteritati commendare volebat: sed magistratus iussit, vt nemo eum nominaret, & sic obliuioni penitus traderetur. Sic Dei iudicio ignorantur plurima nomina iniustorum, qui celebrari nomina sua in terra voluerunt: hac ratione etiam huius diuitis nomen non dicitur: contra verò iusti non curantes nomen suum celebrari, imò se abscondentes æternitati nomina sua dederunt. Sic Abrahæ dicitur: *Magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* Sic Lazari nomen magnificatum est Sed pergamus, vt diuitis mores videamus.

Nomen non habere, & habere corã Deo. Psal.14. 1.Reg.2. Exod.17. Exemplũ.

Induebatur purpura & bysso, & epulabatur. & cæt. Indumentorum nimius cultus vt vitium à domino notatur. Homo cinis est & puluis, sed operire se vult auro & purpura. Contra arca testamenti area operiebatur sacco & cilicio. Et de sanctis loquitur Paulus. *Circuerunt in melotis & in pellibus caprinis.* Cauenda sunt Christiano pretiosa & noua indumentorum genera. *Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina, & visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa.* Ostendunt vestes hominis vanitatem. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Ochozias enuntiauit Eliam ex vestitu aspero: sic enuntiant vestes vanum & incontinentem, cùm pretiosæ & molles sunt.

Indumentorum nimius cultus. Exod 26. Hebr. 11. Soph.1. Eccl.19. 4 Reg.1.

Insuper, *epulabatur quotidiè splendidè.* Abominanda est idololatria, qua venter colitur. *Quorum Deus venter est, & gloria*

Idololatria ventris. Philip. 3.

gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Tributum sol-
uis, cùm corpori escam das. Sicut ergò soluens tributum, Simile.
solum persoluit, quod omninò debet, quod necessarium *Cibus necessa-*
est: sic tibi cibus sumendus. *Curam ergò carnis ne feceritis in* *riò sumēdus.*
desiderijs. Solùm necessitati succurrendum est non deside- *Rom. 13.*
rio. Verè delitiosa vita periculis & peccatis plena est. Hanc
describit Ezech. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas* *Ezech. 16.*
panis, & abundantia, & otium, & manum egeno & pauperi non
porrigebant. Hanc eandem iniquitatem, describit Christus
Dominus in hoc diuite. De priore parte huius iniquitatis
vidimus: sed de crudelitate iam videamus, qua erga Laza-
rum vsus est.

Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus. Cùm hic La- *Crudelitas*
zarus iustus fuerit, & in sinum Abrahæ deportatus, du- *erga Laza-*
bium est, quomodò mendicus fuerit? Nam videtur ad- *rum.*
uersari; *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panē.* *Psalm 36.*
Resp. Iustus à creatore nūquam derelinquitur, licet à crea- *Ambros in*
turis derelinquatur, quia vt ait Psal. *Tibi derelictus est pau-* *Psalm 36.*
per, orphano tu eris adiutor. Et iterū. *Pater meus et mater mea de-* *Psalm 9.*
reliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Nec verò dicen- *Iustus quo-*
dus est derelictus, qui à Deo protegitur, licèt ab omni crea- *modo nun-*
tura relinquatur: sicut contrà derelictus ille est, qui à Deo *quam dere-*
deseritur, licèt ab omni creatura protegatur. Sciuit hoc *lictus.*
Moyses, cùm Deus diceret, *Non ascendam tecum*, se dere-
lictos omninò, Deo eos deserente; propterea respondet: *Si* *Exod 33.*
tu non ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. In quo enim scire
poterimus ego & populus tuus, inuenisse nos gratiam in conspectu *Aug lib 2. q.*
tuo, nisi ambulaueris nobiscum. &c. Ne ergò putes Lazarū de- *Euang. ca. 28.*
stitutum: nomine nanq; suo se ostendit protectum satis. *Chrys. ho. de*
Lazarus enim significat Adiutus. Licèt enim ab omni crea- *diuite.*
tura sit derelictus, à Deo tamē exceptus fuit. *Benedictus ho-* *Ierem 17.*
mo, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. &c.

Sed cur Deus permittit aliquando à creaturis derelin- *Cur Deus à*
qui eum, qui à se derelictus non est? Multæ sunt rationes, *creaturis*
quarum illa prior sit, vt in iusto virtus per *patientiam*, quæ *suos derelin-*
opus perfectum habet, perficiatur. Sicut enim fructus arbo- *qui patiatur.*
ris, perfectus vt sit, nunc humiditate indiget, nūc verò sic- 1.
citate; sic vt virtus in nobis perfecta sit, iam aduersis, iam *Iacob. 1.*
prosperis iuuamur. Aduersitas verò bene cōpensatur iustis. Simile.
Hoc planè in Lazaro ostenditur. Pro eo, q̄ fuit proiectus, *Aduersita-*
portatur ab Angelis: pro vlcerib. & mēdicitate cōsolatur, *tum compen-*
& satia- *satio.*

& satiatur in sinu Abrahæ. Hic terminus est tribulationũ
2. iusti: Huic verò secundam addamus. Ideo permisit Deus
In exemplũ. Lazarum derelinqui à diuite, vt seculo illi & nobis etiam exemplum esset patientiæ. *Patientia nobis necessaria est, vt re-*
Tob.2. *portemus promißiones*. Sic de sancto Tobia dicitur: *Hanc autem tentationem ideò permisit dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob* His exemplis
Iac.5. nos monet Iacobus patientes esse. *Sufferentiam Iob audistis*, ait, *& finem Domini vidistis*. Similia indies profert nobis patientiæ exempla: vt discamus patientes mala nostra tolerare, videntes aliorum labores maximos. Pauper es, infirmitate aliqua vexaris? &c. tolera fortiter; videns alios maiora tolerasse.

Cur aliquos pauperes, aliquos diuites Deus constituerit. Vis rationem & ordinem huius nosse, hæc planè est. Alios pauperes, alios diuites esse constituit; vt illi patientia & humilitate; hi eleëmosyna & benignitate salui essent. Et pauperi satis consuluit Deus, præcipiens diuiti, vt eum pascat: quod si ille non præstet; non domini culpa est, sed
N. B. iniqui diuitis, qui malus est dispensator. Deus noster
Psalm.144. *dat omnibus abundanter: aperit manum suam, & implet omne*
1. *animal benedictione*: nihil necessarium non prouidit. Si
Necessitati vniuscuiusq; prouisum. tamen superbus diues & auarus sibi rapiat, quod in pauperes erogandum fuit, eius est crimen, non Dei. Si pauper indumento, si suppellectili caret, non hoc est, quod Deus non prouidit: sed quod tu rapis, plura habens vestimenta, plurimam suppellectilem. Esto tu contentus necessarijs tibi, & reliqua pauperibus largire, & videbis nullum indigere, Deumque omnibus sufficienter
2. prouidisse. Secundò, constituit Deus pauperes esse, vt diui-
Diuitiarum contemptus. tiæ in pretio non haberentur; cum videamus plures iustos eas non esse adeptos: contra iniquos eas possidere abundanter. Non enim magnum potest esse bonum, quod ini-
3. micis Deus elargitur, & negat amicis. Tertiò etiam in pau-
Bonum pauperum. perum bonum, qui inopia curantur: sicut ægrotus media conficitur, vt sanetur. Diuitiæ animam prorsus oppilant, adeò vt multi in conscientijs suis periclitarentur, si bona temporalia pro animi sui libidine haberent: Illa ergo inutilia eis Deus non concedit, ne intereant. Sicut ergo pennas tollis aui, ne euolet, & à te recedat: sic à te abstulit diuitias, ne superbia pereas.

Sed iam diuersum exitum Lazari & diuitis videamus.

Factum

Factum est autem, ait Christus, *vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ Mortuus autem est & diues, et sepultus in inferno*. En manus Iacob commutatus. *Exiguo namq; conceditur misericordia: & potentes potenter tormenta patientur.* Quam diuersum iudicium Dei ab hominum iudicio nunc apparet? Quàm diuerso ordine procedatur in seculo venturo ac præsenti, in diuite & Lazaro manifestum est. Pulchrè Chrysost. ait, diuitias & paupertatem vitæ huius nihil aliud esse, quam laruas & personas in scena. Nam quemadmodum in scena pleriq; regum & diuitum personam induunt, qui ea deposita agnoscuntur infimi esse de plebe: sic post mortem plurimi, qui hic videbantur Principes ac Magnates, nihil omnino esse apparebunt. Manifestè hoc conspicere licet in hoc diuite, qui cùm egressus de hoc theatro vitæ suam personam deposuisset, visus est omnium miserrimus, & tam pauper, vt nec aquę guttam haberet in sua potestate: similisque factus est mulo regio diuitias multas deportanti; ex quibus nihil ei tandem manet, nisi plura vlcera, quæ ex tãto onere contraxit.

Diuersus exitus diuitis & Lazari.
Genes. 48.
Sap 6.
Diuersus ordo processus huius & futuri seculi.
Chrys. hom. 2. de Lazar.
Simile.
Simile.

Mirè profectò & iustissimè vniuersa contra ponit Christus. Diues, qui varijs delitijs vtebatur, nunc in pluribus est tormentis: qui iacentem Lazarum quasi in alto positus despiciebat, nunc sublimem aspicit in sinu Abrahæ, se verò despectum: qui olim tãta affluebat copia, nunc tanta opprimitur inopia, vt gutta aquæ ei non sit: qui linguæ nimium indulserat, diuersis epulis, & despectu Lazari; nunc in ea maximè torquetur. *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur*: qui micas negauerat, nec guttam aquæ recipit. En impletum illud: *Ne timueris, cum diues factus sit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cùm interierit, non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria eius*. Non sumet omnia i. nihil accipiet ex his quæ antè habuerat, nec aquæ guttam. Similiter in Lazaro omnia inuerso ordine proponuntur; impleturque in eo illud. *Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem*. Et illud *Quoniam ostendisti mihi tribulationes multas & malas; & conuersus viuificasti me, & de abyßis terræ iterum reduxisti me.* Qui iacebat ad diuitis ianuam, deportatur in sinum Abrahæ: & deportatur ab Angelis, qui hominibus despectui fuit: consolatur, qui antea cruciabatur. Sed hæc omnia proposita sunt, vt ea detestemur, atq; fugiamus, quæ in il-

Mira oppositio diuitis et Lazari.
Sap 11.
Psalm. 48.
Psalm 9.
Psalm 70.
Vsus Euangelij.
Chrys.

lo di-

lo diuite sunt proposita, prætiosæ vestes, epulæ festiuæ, & manum egeno & pauperi non porrigere; diuitias seruare ac recondere. Sicut enim ædificium constructum hyeme ex luto & paleis non stat, sic domus auaritia constructa à Deo destruetur. *Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali.* Et, *qui ædificat domum suam impendijs alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.* id est, quasi immineat ei mors in ea domo quam construit, quæ illi citò sepulchrum erit. Contra verò pauperis Lazari proponitur patientia in exemplum nobis, vt eam imitemur; nec contenti simus eam aspicere, ac laudibus extollere: ne similes simus Romanis ijs, qui in theatrum veniebant, vt gladiatores aspicerent, & laudarent, qui se strenuè gerebant: illi verò in pugnam descendere nolebant. Imitari ergo non pigeat, quod celebrare delectat. Audisti Lazari inopiam mendicitatem, vlcera, passiones, patientiam. Hęc tibi in cælum via est, hanc cape: illi nanque, qui in beata patria sunt digniores reliquis, *venerunt de magna tribulatione*. Lazarus recepit multa mala in vita sua: tu ergo libenter sustine, quæ tibi commoda sunt patienter age: sic enim tibi deueniendum est ad sinum Abrahæ.

Simile. *Abac. 2.* *Eccl. 21.* *Chrys.* *Adhortatio ad Lazari exemplum.* *Apoc. 7.*

FERIA SEXTA POST DOMINIC. II. QVADRAG.

THEMA: *Malos malè perdet, &c.* Matth. 21.

PROPONITVR nobis hodiè in Euangelio summum Dei iudicium ira plenum, & vltio seuerissima earum omnium, quas in terra exercuit. Sed quæ ista? Reprobatio Synagogæ, derelictio eius, de qua scriptum, *Iacob funiculus hæreditatis eius*, populus electus, *vinea electa, quam de Aegypto transtulit.* &, *non fecit taliter omni Nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* &, *notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius*. Aliquando solam domum Eli abiecit à se, & ait: *Ecce ego facio verbum, in Israel, quod qui audierit, tinnient ambæ aures eius*. Quomodo non tinniant aures audita reprobatione Israelis idque vltra mille quingentos & cò amplius annos, adeò vt in Synagogas conueniant eiulantes, & petẽtes à Deo remedium, & cælum factum sit eis æneũ. Tam verò graue hoc est suppliciũ, vt oportuerit eosdem

Propositio à iudicij diuini seueritas in hac terra. *Deut. 32.* *Psalm 72.* *Psalm 147.* *Psal 75.* *Ab exemplo.* *1. Reg. 3.*

dem puniendos, in seipsos sententiam ferre, vt sic iustifi- *Grauitas*
cetur Deus in sermonibus suis. Sic etiam Nathan propo- *supplicij.*
nit Dauidi causam in parabola, & in se sentētiam profert. *Psalm. 50.*

Videamus eorum causam, vt inde in nostram descen- *2. Reg. 2.*
damus. *Plantauit*, inquit, *homo vineam* electam in optimo *Supplicij Iu-*
pinguiq; solo. *Sæpe circundedit* eam. *Torcular & turrim* con- *daici caussæ.*
struxit, & omnia deniq; vineæ necessaria prouidit. Conduxit eam Prælatis, & tam illi, quàm vinea ipsa, incuria sua nullum Deo fructum reddiderunt: sed vt plurimùm folijs exteriorum cæremoniarum contenti erant vt significatum est in ficulnea, cui maledixit Christus. Misit Pro- *Matth. 21.*
phetas, qui fructum exigant, illi eos occidunt. Quis hic patiens esset? Sed quid faciendum? restat, domine? *Mittam*, inquit, *filium meum* hæredem, speciosum, sapientum, optimum, nobilem. *Verebuntur forsan eum*, resipiscent, & dabūt
fructus optatos. Sed cur dicis, *Forsan*? quid in dubium vis *Insignis bo-*
objicere filium? O infinita bonitas Dei nostri? Cùm non *nitas diuina.*
forté, esset tibi, sed certò nosse, occidendum filium, adhuc *N. B.*
tamen. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*. Mittit ergo filium, & maiori beneficio maior eorum ingratitudo respondit: occidunt illum. Quid ergò cum his
agēdum est? quę de illis sumenda supplicia? Proferant ipsi *Sententia*
sententiam. *Malos*, inquiunt, *malè perdet*, & vineam suam *in infrugife-*
locabit alijs. Confirmat verò eorum sententiam Christus *ros.*
d. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Ablata est ab eis Ecclesia, & diuina scriptura, quæ illis est in tenebras. Hinc cum Psal. dixisset Christi mor-
tem ab eis curatam subiungit: *Fiat mensa eorum coram ipsis* *Psalm. 68.*
in laqueum (id est scriptura in deceptionem) *obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Hoc supplicio dignus est, qui diuinis misericordijs abutitur.

Sed ais: Iustissima Dei sententia hęc fuit: sed quid ad nos
hæc spectant? Multum per omnem modum, non enim so- *Quid nobis*
lùm ablatum est à Iudæis regnum Dei, sed à multis, qui in *timendum.*
fide Christi gloriabantur, sicut & nos. Vbi fides Aegypti, Scythiæ. Africę, Gręcorum? vbi tot sancti Episcopi & monachi floruerunt. Vbi fides Angliæ, Franciæ, Germaniæ? pro maiori parte? Audi ergò, an tibi timēdum sit, Paul. *Vide bonitatem, & seueritatē Dei: seueritatem in eos, qui ceciderunt;* *Rom. 11.*
bonitatem in te, si permanseris in bonitate; alioquin et tu excideris, &c. Tremendus est locus ille Iere. *Nolite confidere in verbis* *Ierem. 7.*

mendacij dicentes, Templum Domini, Templum Domini est. Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, et videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. In Silo habitauerat Dei arca, sed inde recessit, & gentibus tradita est Silo. Sic ergò cùm viderimus primam Dei domum Synagogam à Deo repulsam, timeamus & caueamus nos, bonas faciendo vias nostras. Ratio enim vrgentissima est. Si illi repulsi sunt, qui minoribus misericordijs, ingrati fuerunt, quid nobis restat sperandum, si maioribus acceptis ingrati fuerimus?

A minori ad maius.

Sed quæ sunt misericordiæ Christi Ecclesiæ collatæ, & vnicuique nostrum? Cùm *omnia in figura contigerint* Iudæis; misericordiæ ipsis concessæ figuræ fuerunt earum, quæ nobis sunt collatæ, vt in Euangelio videmus. Illis quidem figuræ fuere, nobis veritates. Prior illa est, *Homo plantauit vineam*. Sua manu Ecclesiam plantauit, quæ vinea est, & quisque fidelis eius vitis est. Vt hanc plantaret vineam Christus, è cælis in terram descendit. Psalm. *Respice de cælo, & vide, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua. Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israel.* Sicut quis singulari dilectione vineam, & arbores propria manu plantatas prosequitur: sic præcipuus Dei amor in hanc vineam suam: & desiderium eximium fructus ex eo colligendi ostenditur in maxima illius custodia. Satis est homini si custodem constituat super locum, in quo vinea est. Sed eò Deus amore hanc vineam prosequitur, ita cupidè fructus eius desiderat, vt vnicuique viti custodem Angelum, designauerit; & insuper filium suum misit, vt vineam hanc coleret, sanguine irrigaret, fructus colligeret, etiamsi in eo opere sibi moriendum esset. Tibi ergò maximè considerandum est primum in te collatum beneficium, quòd vitis es in hac plantata vinea, in optimo omnium loco, in terra vberi. Posuit plantauitque te Deus in Ecclesia, quæ est *terra fluens lac & mel*, super quam semper aperti sunt oculi Dei, vt *det ei pluuiam voluntariam, quam segregauit hæreditati suæ.* Hæc est *vinea Sorec*, quæ vnus producit nunquam marcescentes, quod proprium est Christianæ Ecclesiæ, cuius fructus proprius est *corona immarcescibilis*. Vide vineam electam, vineam Sorec, quæ facta est *dilecto filio in cornu olei. Ego elegi vos* (ecce vineam electam) *& posui vos* (id est,

1. Cor. 10. *Misericordiæ in Ecclesiam.* *Psalm 69.* *Isai. 19.* Simile. *Custodia Ecclesiæ fructus desiderium est.* 1. *Custodia Angelorum & filij.* *Quid vnicuique timendum.* *Exod. 3. 13.* *Psalm. 67.* *Isai. 5.* *Sorech.* *1 Petr. 1.* *Ioan. 15.*

(id est, plantaui vt vites) *vt eatis* (radices mittatis) *et fructum afferatis & fructus vester maneat*, id est, sit perpetuus & immarcessibilis. Quid verò mirum talem esse vineam, in qua Christus factus est vitis, factus propago & planta eius, factus suppositum humanæ naturæ, & vitijs vera, ex qua omnes aliæ vites vim participant, quasi palmites eius. Iure igitur à te exigitur fructus, cùm in hac Ecclesia plantatus sis. Si adeò iratus est Deus contra eos, qui in legi veteri fructum non reddiderunt, qui solum vacua, infirma & egena elementa habuerunt; quid non irascatur in eos, qui habent Sacramenta gratiæ plena, nec eis proficiunt? In hac ergò gratiæ copia non proficere, inexcusabile piaculum est.

Christus plātator vitis.

A minori ad maius.

Secunda verò ad idem ratio subiungitur, cum ait, *Sepem circundedit ei* & meritò quia *vbi non est sepes, diripietur possessio*. Significatur sepe *primò* diuina protectio, de qua Psalm. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui. Christus *murus & ante murale est* Ecclesiæ. Secundum naturam diuinam murus, secundum humanam ante murale, in quod omnia tormenta inimicorum irruerunt. Adhibet etiam Deus custodiam Angelorum & Principum, qui tanquam sepes vineam protegunt. Secundò hac sepe significatur diuina lex, qua ille vineam circundat suam; ad hoc enim ille in mundum venit. *Vocaberis ædificator sepium, auertens semitas iniquitatis*: quod fecit Christus in longa concione, vbi ostendit se ædificatorem sepium, auertentem *semitas iniquitatis*, implentem quę legi antiquæ deërant, tollentem semitas, quas Pharisęi & Scribæ inique fecerant, vt protererent vineam, dicentes. *Dilige amicum, odi inimicum*: diruerant legis partem: implet Dominus quod ab eis fuerat diruitum, dicens, *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros*. Sicut ergò sepes est custodia vineæ, quæ si integra seruetur, vinea non læditur; ea autem ablata omnes vineam intrant ac deuastant: sic diuina lex tibi murus & munimen est contra omnia mala. Eccli. 15. *Si conseruaueris ea, conseruabunt te*. Deut. 28. *Si audieris vocem Domini Dei tui, venient super te omnes benedictiones istæ, &c*. Diruta verò hac sepe, facti sunt Israëlitæ in prædam omnibus, vt patet ex libr. Iudic. & Regum. Ea ergò lege à Christo accepta, maximè deuincti sumus, vt eam custodiamus; eaq; seruata conseruabimur.

2. Diuina protectio.

Eccli. 36.

Psalm. 124.

Diuina lex sepes Ecclesiæ.

Isai. 58.

Sepes diruta.

Matth. 5.

Simile.

Eccli. 15.

Deut. 28.

3. *Torcular crucis & pœnitentiæ* *Posuit in ea torcular.* Hæc tertia in nos collata misericordia. Torcular improbis non placet, sed optimum eorum, quæ in vinea sunt, est illud. Crux & pœnitentia torcular est; omnem botrum hic Deus posuit. In torcular *Duo torcula via longè diuersa.* nobis sine dubio veniendum est, vel in illud quod est in Ecclesia, vel in aliud durius, imò durissimum, quod est in alia vita, in qua Deus calcat in ira sua, relinquitque calcatos, vt vinacia vuarum. Sicut enim vua calcata & expresso *Vinacia vuarum.* liquore, manent vinacia, quæ homini prosunt nihil, solis Simile. porcis vel igni reseruantur: sic sunt dęmones & homines *Isai.63.* scelestissimi, quos Deus in inferno calcauit: *calcauit au-* *Apoc.14.* *tem eos in ira sua, & conculcauit eos in furore* suo. Hinc Amos *Amos 3.* 3 *Diligit Dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad Deos alienos, & diligunt vinacia vuarum.* Tu ergò ingredere *torcular* pœnitentiæ, ne in illud incidas durissimum: *Nisi enim pœniten-* *Luc.13.* *tiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Quod si dura & aspera *Duritas torcularis diaboli.* hæc tibi videntur, considera duriora esse tormenta alterius vitæ Narrat in historia Anglicana hac de re Ven. Beda *Beda li.5. ca. 13.* fuisse in Anglia quendã nomine Driethelmum, qui cùm defunctus esset, manè reuixit, & statim in tres partes substantiam diuisit suam, vnam vxori, alteram filijs, tertiam pauperibus erogans, asperimamque vitam egit, nunc se in gelidissimum fluuium immittens, nunc per tres vel quatuor dies cibo abstinens, alijsq; se asperitatibus affligens. Cumq; interrogaretur, respondit, se longè frigidiora & asperiora vidisse: & sic sanctissimè vitam finiuit. Torcular *Torcular Ecclesiæ facile.* verò Ecclesiæ concessum multo facilius est, quàm quod priscis datum est. facit enim confessio ex attrito contritum, quo summè iuuamur dum pœnitenti ędefectus suppletur.

Hier. in Mat. 21. *Et ædificauit turrim.* haud dubium quin templum, de quo dicitur Mich. 4. *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion, vsque* *Mich.4.* *ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Hierusa-* *Isai.9.* *lem, nunc quare mærore contraheris? Nunquid rex non est tibi, aut* *Hier.8.* *consiliarius tuus perijt, quia comprehendit te dolor vt parturien-* *Exod.23.* *tem?* Dicit templum turrim gregis, quia in eo ter in o- *Deut.16.* mnes Iudæi conueniebant, & ad illud confugiebant, tan-

4. quam ad turrim firmam. Dicit ad hoc templum venturam *Turris templum Domini.* gloriam primam, Christo illud intrante & regno eius. Vna erat antiquis turris, vnicum templum, sed iam innumera pro foribus tibi templa sunt, & in quoq; corũ inuenies Christum

Christum, promittens exauditionem, vt tibi auxilietur. *N. 8.*
Nunc cùm Christus tibi præsto est, quare mœrore contra- *Adhortatiō*
heris? nunquid rex non est tibi? nunquid cōsiliarius deest *ad Christū vt*
tibi? Ad quid Christus in Sacramento est, nisi vt ad eum *accendamus.*
accedas; vbi te expectat, vt te audiat, tibi cōsulat, tibi innu-
mera bona pręstet? Tu verò hac tanta misericordia non v-
teris, ad templum sępe non venis, à Christo auxilium non
petis? Maxima ratio fructificandi illa est, quòd hæc turris
nobis relicta sit, quo confugiamus in omni necessitate no
stra. &c. Est nobis præter has alia ratio, vt fructum redda- 5.
mus, quòd hunc à nobis petierit Deus sæpissimè, plurimis *Serui sæpè*
ad hoc missis seruis suis: & tandem venit ad hoc in mun- *missi.*
dum Filius eius hæres, *vt sanctificaret sibi populum acceptabi-* *Tit. 2.*
lem, sectatorem bonorum operum. Etsi verò ad vniuersum mū *Filius hæres.*
dum Pater filium suum misit; cùm tamen menti tuæ illa- *Christus quā-*
bitur cogitatio ista, Deus pro me descendit de cælo, & ego *do ad nos*
eum offendo? pro me ille tanta passus est, & ergo illi non *mittatur.*
seruiam? dilexit me vsq; ad mortem, & ego non diligam
eum? tunc pater ad te mittit filium suum, vt à te obtineat,
quod alij nūtij mortis, iudicij & inferni à te obtinere non
valuerunt. quare gratias ei age.

Sed quæro abs te; cùm tot rationibus conuictus fructum *Quem fructū*
vberrimum ferre debueris, quemnam dedisti? In Ecclesia *dederimus.*
plantatus es vberi; sępe circundatus, custodia Dei & legis *August. in*
eius; torcular pænitentię datum est tibi, turris templi con *Psalm. 8. 80.*
cessa, vbi Christus, ad quem accedas Exegit à te Deus fru- *83. & 136.*
ctus per seruos, & per filium suum, & peccata peccatis cu-
mulasti, profecisti in peius, *vua tua vua fellis, & botri amaris-* *Deut. 32.*
simi, fel draconum vinum tuum. Vinea tua similis facta est vineæ *Prouerb. 24.*
stulti, solicitus in his, quę mundi; negligens in his quę Dei. *Isai. 5.*
An non meritò dicet tibi, *Expectaui vt faceret vuas, & fecit* *Qui fructus*
labruscas. Sed quos fructus referre debui, ais? Sanè *fructus* *ferendi.*
spiritus, qui sunt charitas, gaudium, pax. &c.

Sed quod supplicium eius, qui fructum non refert? *Malos* *Supplicium*
malè perdet, et vineā suam locabit alijs. Sed quomodò *malè per-* *eius qui non*
det, qui omnia benefecit? 1. modus est dicendi, cùm quis casti- *fert fructum.*
gatus est, malè castigatus est. Vltio verò illa, qua quis à Deo *Malè per-*
derelinquitur & fidei lumine priuatur, grauissima est, ideò *dendi duplex*
mala dicitur; & malè perdit qui sic castigatur. 2. si in corre- *modus.*
ctione Deus punit, bene castigat: sed si in ęternā dānationē *Perditio bo-*
suppliciū tendit, tunc malè perdit; quia in malum puniti *na.*

vergit. Sic punijt Dauidem, Ezechiam, Manassen, vt in se redirent, & bene perdidit. Et cùm in spiritualibus castigat, permittens eos in peccata incidere, sed maius bonum expectat, vt scilicet reuersi humiliores sint, hæc perditio bona est, quia in bonum tendit. Talis Magdalenæ, Pauli, Dauidis & Petri ruina. Sed cùm perditur Iudas, & Pharisæi, vt in ęternum perditi maneant, tunc *malos malè perdit.* Timendum profectò verbum, *Malos male perdet.* sed hoc digni sunt supplicio, qui ingrati sunt diuinis beneficijs. Discamus ergò beneficijs in nos collatis bene vti, ne tanquam ab ingratis auferatur à nobis regnum Dei, &c.

Perditio mala.
Vide Isa.30. Erit vobis iniquitas & sat.

DOMINICA TERTIA QVADRAGES.

THEMA: *Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum &c.* Luc. 11.

PECCATOREM à dæmonio possideri vniuersa clamat Scriptura, Apoc. 14. *Cecidit cecidit Babylon illa magna, & facta est habitatio dæmoniorum.* Sicut de Saul dicitur. *Recessit Spiritus Domini à Saul & exagitabat eũ spiritus nequam.* Spiritus diuinus animæ assisteris innumera ei bona confert per gratiam: Sed spiritus nequam animam intrans illam reddit miserrimam, quod ostendit verbum illud, *Exagitabat*. cùm enim sit inimicissimus, & intra hominem, quæ mala non faciat? O summa peccatoris cæcitas! Videre à longè dæmonem non auderes; si te amplecteretur, horreres; quid erit tam intimum tibi esse; vt animam possideat?

Peccator à dæmonio possidetur.
Apoc. 14.
1. Reg. 16.
Spiritus diuinus.
Spiritus nequam
Cæcitas peccatoris.
N. B.

Sed mala, quæ in anima dæmon efficit, expressa nobis sunt in malis corporeis, quæ in hoc homine dæmon operabatur. excæcauerat enim hominem hunc, & mutum reddiderat: *Et illud*, ait, *erat mutum.* Solus enim peccator mutus est inter omnes creaturas. Omnis creatura lingua prædita est, qua Deum laudat & prædicat. Sic Sapient. *Hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*, id est, mundus vniuersus laudat factorem suum. Et, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Solus peccator mutus

Mala quæ dæmon efficit in anima.
1. *Multum dæmonium.*
Sapient. 1.
Psalm. 18.

mutus est, hic solus Deum non laudat. Hoc enim pecca *Mala muti.*
tum efficit, vt quod in Dei laudem & obsequium verten-
dum erat, fiat in eius offensam & ignominiam. Sicut e- *Genes. 2.*
nim Adam in innumera mala, eò quod mutus gratias
Deo non ageret, venit; sic & tu in innumera peccata, quia
mutus benefactori, gratias agere recusas. *Obliti sunt benefa-* *Psalm 77.*
ctorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis. Vide quod in *N.*
te Deus contulerit beneficia, & tamen ea oblitus es, quasi *Arma in*
nihil receperis: gratias non agis, mutus es. Inde procedit *Deum dona*
vt ipsis Dei beneficijs illud offendas, summa vsus ingra- *sua.*
titudine, arma faciens in Deum ipsa dona, quæ tibi con- 2.
cessit. *Cæcum.*

Secundò *illud erat mutum & cæcum*; vt Matthæus asserit. *Matth. 12.*
Sed quare illum excæcauerat, & mutum reddiderat? vtiq;
vt securè possideret. Inter Deum & dæmonem est concer- *Cur excæ*
tatio, vter hominem possideat & quando aliter illum pos *cet dæmon.*
sidet, omninò relinquit, nisi vi pellatur. Quando decre- *N. B.*
uisti Deo adhærere, venit Deus ad te, vt maneat omninò *Concertatio*
in te, nec vnquam exire vellet à te. *Ad eum veniemus et man-* *Dei & dæ-*
sionem apud eum faciemus. Si sollicitante dæmone Deum eij *monis de*
cis, contihuò videbis plures conscientiæ morsus: qui quid *poßeßione*
aliud sunt, quàm Deum nolle egredi à te? Simili ratio *hominis.*
ne dæmon, cùm hominem ingreditur, curat se omninò
munire, ne pellatur; vt verò se muniat, fores occludit, o-
culos & aures. Verè peccator similis factus est statuæ: *ocu* *Peccator si-*
los habet, & non videt; aures, & non audit Sed imprimis cu- *milis idolo.*
rat dæmon os claudere, ne peccatum confitearis: confessio *Cur mutum*
enim peccati necessaria est, vt ei remedium adhibeatur. I *reddat.*
deo Adam peccator à Deo quæritur, vt peccatum confi- *Genes. 3.*
teatur, & indulgentiam accipiat, sed abscondere voluit, Exempla.
vt homo, peccatum suum. Sic & Cain interrogatur, *Vbi est* *Genes 4.*
Abel frater tuus? respondit, *Nescio*. Similis huic impuden- *Impudentia*
tia illius est, qui in confessione negat peccatum. Putas ne *eius qui ab-*
Deum latere posse peccatum tuum? Vnde Sapient *Qui ab* *scondit pec-*
scondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & re- *catum.*
liquerit ea, misericordiam consequetur. Et Isai. *Dic tu prior pecca-* *Prouer. 28.*
ta tua, vt iustificeris. Meritò *prior*, ne ab alio accuseris: nam *Isa 43.*
damnati peccata confitentur à dæmone prius accusati. Tu *Sapient. 5.*
ergò prior confitere. nam *si quis peccata sua fuerit confessus, fi-* *N. B.*
delis Deus, vt remittat.

Expulso dæmone, quid dicunt Pharisæi? *In Beelzebub* *Beelzebub.*

 principe

4.Reg.1. *principe Dæmoniorum eijcit dæmonia.* Beelzebub Deus erat muſcarum; ad eum conſulendum miſit Ochozias. Qui autem hoc dixerunt, Principes & Phariſæos fuiſſe oſtendit Matthæus. Difficile profectò eſt, peruerſum principem, doctorem, magiſtrumq; conuerti. Hinc *qui Canathſepher* i. ciuitatem literarum, *percuſſerit*, *excellens* à Caleb, habebit premium, filiam ſuam. Sed mirandum maximè, qui populo debuerunt perſuadere, vt Chriſto crederent, hi auertunt à Chriſto.

Matth.12. Peruerſus princeps & magiſter difficilè corrigitur. Iud.1.

Videns cogitationes eorum. Traducit cogitationes eorum, vt quamuis ſtulti ſint, recipiant verba ſapientiæ. Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius. Sed iſti nec ſic recipiũt verba Chriſti. Sed Chriſti domini expendamus rationes, quibus eos conuincit. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.* Dæmones inter ſe coniũcti ſunt in expugnatione hominum, & obſcuratione diuinę glorię: ſed volũtate inter ſe maximè diuiſi, mutuò ſe odio proſequentes. Sunt autem ſimiles vulpibus Sāpſonis, quibus *caudæ colligatæ* erant, vt ſegetes incendant, capita autem diſiuncta: ſic cùm voluntate omninò diſiuncti ſint dæmones, ſola tamen intentione nocendi conueniunt, aliàs eorum regnum non ſtaret. Qua in re videre licet, quanto ſint in Deum odio & nos miſeros, cùm inter ſe inimicitias componant, vt nos perdant. Vide qua voluntate in te ſit dæmon, quem ſequeris miſer. Si inimico non credis manifeſto, credes dęmoni? Quem ſequeris miſer peccator? cur credis. *Attende tibi à* dæmone *peſtifero: fabricat enim tibi mala, vt inducat ſuper te ſubſannationem.* Hinc etiam colligendum nobis eſt; ſi hoc ſolùm, Deum ſcil. offendere, & homines perdere, ſic deuinxit dęmones, vt nunquãã ab inuicē diſcedant: nonne maior nos ratio vrgebit, vt vnum inter nos ſimus, diuina gloria tuenda, & mutua noſtri conſeruatio? Sine dubio *omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, & domus* diuiſa peribit. *Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Diuiſis linguis ceſſat *turris ædificium:* & tunc mundus peribit, cùm *ſurget gens contra gentem. et regnum aduerſus regnum.* Sine pace enim ſtare non poſſumus. Et ratio manifeſta interitus eorum, qui diuiſi ſunt, illa eorum, qui diuiſi ſunt, illa eſt, quòd cùm inter ſe diuiduntur, à Deo ſeparantur. Non enim à proximo ſeparatur, quin à Deo ſeparetur. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem*

Cogitationes cur aperiat. Ratio 1. Dæmones qua in re con coniuncti, & diuiſi. Iud.15. Simile. N. B. Quantum Dei odium in dæmonib. & in nos. Eccli.11. Conſpirabimus aduerſus dæmonem, ſicut illi contra Deum et nos. Oſeæ 10. Geneſ.11. Lucæ 21. Sine pace ſtare non poſſumus.

fratrem tuum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem quẽ videt; Deum quem non videt, quomodo poterit diligere? Et quò plus accedis ad Christum, eò plùs accedis ad proximũ, & è cõuerso, quò magis appropinquas proximo, propinquior es Christo. Ideò ait Paulus: *In charitate radicati & fundati.* *Ephes.3.* *2. ratio.*

Alia Christus vtitur ratione *Filij vestri in quo eijciunt?* Filios eorũ dicit, primò Apostolos & discipulos, qui in eius nomine dæmonia eijciebant, quos tamen magos non dicebant, vt Christum dicunt. Vel. 2. filios eorum vocat exorcistas Iudæorũ. qui priùs vtebãtur ad dæmones pellẽdos exorcismis, à Salomone cõpositis, vt Iosephus author est. *Filij qui.*

Postquam Christus ostendit non in Beelzebub à se eijci dæmonia, nunc ostendit vi diuina à se superatos dæmones esse, atq; à Deo pelli: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum.* Quomodo dæmonem superauerit, & regnum eius euerterit, nunc ostendit exemplo. Ex nominibus multis, quibus Scriptura extollit humani generis redemptionem, præcipuum est Victoria à Christo obtenta contra dæmonem, & Christus VICTOR, & TRIVMPHATOR dicitur, & dæmon victus & expoliatus. *Vicit Leo de tribu Iuda.* &, *Exiuit vincens vt vinceret.* & Paulus insigniter hanc explicat victoriam, ostendens vincentem, victum, & spolia. *Exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in seipso.* i. cum spoliasset dæmonis potestate ac dominio suo. *traduxit confidenter.* i. duxit homines à peccato in gratiam, à potestate dęmonis in regnum suum. Vel *traduxit.* i. expulit dæmones ab homine: *palam triumphans,* id est, manifestè ac in omniũ oculis ostendit dæmones victos à se, sicut victores & triumphatores Romani spolia in bello capta ostendere solebant: & hoc *in seipso* sci. propria virtute. de qua re Isai. *Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit?* &c. *3. ratio.* *Vis diuina.* *Regnum dæmonis quomodo euersum.* *Christus victor.* *Apoc. 5. & 6.* *Dæmon victus.* *Coloss. 2.* *Isaiæ 51.*

Sed quomodo vicit dæmonem ac expoliauit? Duobus nos titulis dæmon vinctos & seruos possidebat; diuina sententia infallibili, *Non est in illo, est & non.* Deus verò in peccati pœnam hominem permisit diabolicæ potestati; & sic acquisiuit contra nos dæmon *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis:* deinde volũtaria hominum subiectione, qua dæmoni se subdidit per peccatum. *Qui facit peccatum, seruus est peccati, & à quo quis superatus est, eius & seruus est.* quia cum homo à Deo, *relictus sit in manu consilij* *Duobus titulis nos dæmon possedit.* *2. Cor. 1.* *Collos. 2.* *2. Petr. 2.* *Rom. 6.* *Eccl. 15.*

sui, vt de se ageret, prout liberet, potuit homo se tradere, cui voluit.

Coloss.1. Veniens ergò Christus in mundum, *vt nos eriperet de potestate tenebrarum*, primum titulum dæmoni abstulit

Primus titulus ablatus. meritis suis, & gratia. Vnde dicitur: *Donans nobis omnia delicta, delens, quod aduersum nos erat, chirographum decreti, quod*

Coloss.2. *erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Quid sit hoc *chirographum decreti*, exemplo patebit. Sicut

Simile. in debiti memoriam chirographum scribis, & nomen subscribis tuum: sic per peccatum constituitur homo debitor æternæ pœnæ. Si verò homo hoc aduerteret, dum peccat, non tam facilè peccatum admitteret: cùm enim peccas, chirographum manu tua subscriptum das, quo te ipsum deuincis, vt æternas pœnas in inferno sustineas de quo dicitur. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo*, id est, in-

Ierem.17. delibiliter. Sicut qui multam accipiens mutuo pecuniam nec vnquam soluere curans aut valens, in carcerem mit-

Simile. titur, vnde exire non possit: Sic peccator multis peccatorum debitis onustus, nec soluere curans per pænitentiam, tandem in inferni carcerem truditur, nunquam inde liberandus, donec *reddat nouißimum* quadrātem. Sed omnia

Matth.5. ista chirographa damnationis nostræ deleuit Christus

D.Thom. Dominus sanguine suo: & *ipsum tulit* de medio, id est, de rerum natura; sicut soluto debito rumpitur chirographum.

Secundus titulus quomodo ablatus. Sed relinquitur adhuc secundus titulus dæmoni scil. voluntas nostra. Licèt enim Christus nos liberauerit, non tamen id nobis proderit, si nos adhuc serui manere volu-

Simile. mus. Sicut seruus, anno septimo manumitti nolens, per-

Deut.15. petuus manebat aure perforata: sic multi nunc hoc titulo

N. B. serui dæmonis sunt. Venit annus libertatis per Christum

Simile. nobis datæ: sed si nos adhuc captiui esse volumus, erimus perpetui serui. Sed, obsecrò, quis captiuus soluto pretio redemptionis adhuc seruus manere vult, maximè si captiuus est magni regis filius, & ab inimicis miserè tracta-

Ierem.2. tur? *Nunquid seruus est Israel, aut vernaculus? quare ergò factus*

Baruch 3. *est in prædam?* Ad hos loquitur Baruch. *Quid est Israel, quòd in terra inimicorum es? inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum, dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram Disce vbi sit prudentia, vbi sit vir-*

tus,

tus, vbi sit intellectus; vt scias simul, vbi sit longiturnitas vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax. Hunc titulum perpetuò curat Christus auferre dæmoni, curans modis omnibus voluntatem nostram auertere à diaboli seruitute. quod notatur illo verbo, *Erat Iesus eijciens dæmonium*. *Erat*, quia nunquam ab hoc opere cessat. Sicut Princeps primùm ingressus regnum à tyranni seruitute ciues abducit, & in libertatem vindicat: sic Christus veniens in mundum hoc agit, *vt dissoluat opera diaboli*. *Christi opus perpetuum.* Simile. *1. Ioan. 3.*

Ponitur ante Christũ homo dęmoniacus, cęcus, mutus &, vt quidam dicunt, etiam surdus. Meritò ante Christum hic sistitur. Solent peritissimi medici infirmos optare ab alijs desperatos, vt in eorum curatione maximè glorificentur. Solent strenui Duces desiderare aduersariorum fortitudinem, vt ea ratione se fortissimos ostendant, cùm eos superauerint. En medice cælestis, infirmum omni ex parte desperatum, vt tu, qui ais, *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, in eius salute glorificeris. En strenue Dux, fortem armatum custodientem atrium suum, tam fortem, vt *non sit ei potestas similis in terra*: vt tu, de quo scriptum *propter nomen tuum dux mihi eris*, ostendas, quia fortior illo superuenisti. En scientia Patris, difficilè negotium, quod expedire non valet, nisi ille, *in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*. Si dæmoniacus est, tu es Cythara Dauid, qua dæmon pellitur. Si mutus est, tu es Verbum patris, quod *aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas*. Si cæcus est; tu *es Lux mundi*, qui *illuminas omnem hominem*. Hæc certè quærit Christus, vt in re difficili ostendat, quia Dei virtus est, & Dei Sapientia. Si magnis peccatis & vinculis detineris, accede ad Christum, hoc est, medicum honora, & spera ab eo salutem, etiam in desperato morbo. Ne ergò diffidas. Nunquid non potentius meritum & gratia Christi omni peccato? Qui diffidit, Christum & eius gratiam non nouit. Quid enim est Lex gratiæ, nisi Lex, in qua facilè vincitur omne peccatum. Ad te loquitur Deus. *Ne timeas, quoniam ego tecum sum; ne declines, quia ego Deus tuus, &c.*

Beda in Luc. 11. & Theoph. Simile. *N. B.* *Medicus Christus.* *Matth 9.* *Dux Christ⁹.* *Iob 41.* *Psal. 24. 30.* *Scientia Patris.* *Coloss. 2.* *1. Reg. 16.* *Sap. 10.* *Ioan. 1. 8. 9.* *Lux mundi.* *Lex gratiæ quid.* *Isai 41.*

FERIA SECVNDA POST DOMINIC. III. QVADRAG.

THEMA: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. &c.* Luc. 4.

Propositio. Diuino beneplacito omnia dari. Rom 11. 3. Reg. 17. 4 Reg. 5.

OSTENDITVR Euangelio nobis hodie proposito, diuina bona hominibus tribui diuino beneplacito atque dispositione, non verò humana ratione aut consilio. *Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Putabant Nazaręi, quòd Christus plura mirabilia in Nazareth operaretur: sed respōdet Christus: quòd cùm plures essent viduæ quàm Sareptana tempore Eliæ, & ad illam solam Elias missus esset; cumque plures essent leprosi, quàm Naaman Syrus; & ille solus ab Elisæo mundatus: quòd sic non sit deuinctus patriæ suæ, sed beneficia sua præstet, cui placuerit. Iam gentium vocationem designat relicta spretaque Synagoga. Hæc Euangelij summa est.

In eos, qui satis esse putāt, se esse in Ecclesia. Iacob. 2. Ioan. 8.

Sed, quid nobis hæc prosunt, attendamus. Multos habēt imitatores Nazaræni, illi profectò, qui satis esse putant, quòd sint in Ecclesia *Sed quid proderit, fratres mei, si fidem se quis dicat habere, opera verò non habeat? num fides poterit saluare illum?* Peccatores enim non sunt filij, sed infideles proditores, *Vos ex patre diabolo est*: filios dicit alienos. Nec enim fides satis est, nisi opera adsint. Audi Proph. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. &c.* His omnibus oportet illum ornari, qui cælum ingressurus est. Sagena bonos & malos pisces habet; area frumentum & paleas: domus vasa honoris & contumeliæ; grex oues & hircos. Cura vt ouis sis, frumentum Christi, vas in honorem, piscis bonus, virgo prudens &c. sic nanq; salus æterna tibi continget.

Matth. 13. 25 & 3. 2. Tim. 2.

Infidelitatis malum. Marc 6. 1. Causa Infidelitas.

Sed quid deerat Nazaræis, vt eis mira Christi opera denegentur? Obex erat maximus infidelitas. *Non poterat ibi virtutem vllam facere &c. & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Vt Deus in nobis mirabilia sua efficiat, dispositionem quærit: quæ si non adsit, non operatur. Dicunt mul-

ti. Non adest mihi gratia, vt maxima præstem: sed tu non *Cur Christus*
disponeris, vt gratiam accipias. Tu ergò gratiæ dees, non *non operetur*
gratia tibi. Hinc ille, *Considerantes ne quis desit gratiæ Dei*: Na- *in nobis.*
zaræi ergò gratiæ obicem ponebant, primò incredulita- *Hebr. 10.*
tem, quę adeò erat magna, vt Christus eam miraretur. De- *2. Causa in-*
inde inuidia manifesta eos laborasse ostenditur cum d. *uidia.*
Quanta audiuimus facta in Capharnaum, &c. Hoc verò vitium
charitati opponitur, & indignum reddit misericordia di-
uina eum, qui dolet eam proximo conferri. Eorum etiam *3. Causa Su-*
superbam & arrogantem mentem, iramq́; aspidum osten *perbia.*
dit Luc. d. *ductum ab eis Christum in supercilium montis*, vt eum
præcipitarent, eò quòd illos corripuerit. *Non amat pestilens*, *Prouer. 15.*
qui corripit eum Et; *Odio habuerunt corripientem in porta, & lo* *Amos 1.*
quentem perfecta abominati sunt.

Fidem verò præcipuè exigebat Christus ab his, quibus *Fidem cur*
miracula præstabat: & illa sæpenumero fidei tribuebat d. *præcipuè*
Fides tua te saluum fecit. &, *Sicut credidisti, fiat tibi*. Fides enim *exigat*
magna, qua Christum credimus verum Deum esse, & fi *Luc. 7.*
des insuper, qua ei fidimus, & in eum speramus, & securi *Mat. 8. 9. 15.*
sumus de eius in nos dilectione; illum nobis summè de-
uincit, facitque, vt nostris succurrat necessitatibus. Hinc
ad Mariam Elizabeth. *Beata, quæ credidisti: quoniam perfi*
cientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Hæc verò fides ma *Fides magna*
gna, licet sine charitate esse possit aliquando, pręsertim ta *in quibus re-*
men reperiri solet in his, qui præcipua dilectione Chri *periatur.*
stum prosequuntur. Hac profectò magna fide prędita fuit *3. Reg. 17.*
mulier Sareptana, ad quam diuertit Elias, quæ Prophetæ
verbis fidem adhibens, credit non defuturam farinam &
oleum, & hac fide Eliæ panem præstitit. Eadem fide Naa- *4. Reg. 5.*
man Elisæi præcepto septies in Iordane mersus, munda-
tus fuit. Nazaræis verò hæc defuit fides. ideoq́; miracula
Christi experti non sunt; imò nec miracula ibi patrare po
tuit, non ex impotentia, sed ob incredulitatis incapacita-
tem: & quia consentaneum non erat.

Nunc quanam fide præditus es erga Christum? Imi
taris viduam & Naaman, an verò Nazaræos? Credis fir- *Fidei proba.*
miter Christo? speras in eum? *quære regnum Dei & iu-*
stitiam eius. *Spera in Domino & fac bonitatem, & pasceris in* *Matth. 6.*
diuitijs eius. *Honera Dominum de tua substantia* & cæt. Hæc *Psalm. 36.*
præstiterat vidua, quæ Eliam pauit. Sed tu in necessi- *Prouer. 3.*
tate constitutus ais: Ego nummis, non est mihi cibus. *N. B.*

Hic furto, ille vsura, altera puditia vendita indigentiæ vult succurrere. Credisne Deum tibi esse? nosti apud eum omnes thesauros esse? Speras in iniquitate, & non in Deo tuo? An non stupescenda incredulitas tua, sicut & Nazaræorum? Ideò non potest miracula facere, vt tibi subueniat. Si fidem haberes vt granum sinapis, si in eo sperares, sine dubio experieris eius mirabilem misericordiam erga te magnam. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomē meum.* Is nomen Dei cognoscit, qui in omni necessitate ad eum accedit, & in eo omnem spem suam collocat.

Nomen Dei nosse, quid sit.

2. Obex Inuidia.

Deinde diximus, Nazaræenos inuidia laborasse, quam aperiunt dicentes, *Quanta audiuimus facta in Capharnaum.* Dolebant, quòd Capharnaum potiretur gratia illa miraculorum. Inuidus nollet in alijs Dei beneficia videre: vnde inuidia opponitur charitati, quæ omnium virtutum pulcherrima est. Hæc dæmonem impulit, vt primos parentes perimeret: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Hæc impulit Cain, vt fratrem occideret: hæc fratres Ioseph, vt illum venderent: hæc Saul, vt persequeretur Dauid: hæc Iudæos, vt Christum perderent. Disce ergò ex hoc loco, non tibi adfuturum cæleste auxilium, si alienis bonis inuideas. Longè ab hac peste fuerunt vidua illa, & Naaman. Illa quia de suis communicabat Eliæ: & Naaman, qui duplo plus Giezi accipere coëgit, quàm petierat. Digni ergò effecti sunt diuinis numeribus. Quo plura Deo dederis plus te diligit. Libenter intuetur Deus eum, cui dedit aliquid: sed libentius in eum respicit, à quo accepit. Nec ita tu delectaris, cùm multos habes & vides creditores; ac Deus, cùm multos videt creditores. Omnia ergò tibi facienda sunt, vt Deum habeas debitorem. Nunc esurit, nunc sitit, nunc nudus est in pauperibus. & cæt. Pecunias ergò contemne, ne contemnaris; vt diues sis, tua largiter da: vt colligas, disperge, quod vides in seminante. *Semina in benedictionibus, vt de benedictionibus & metas.*

Inuidi natua.

Genes 3.
Sapien 3.
Gen. 4. 37.
1. Reg. 18.
Matth. 27.

Chrys. ho. 5?. ad pop.
N. B.
Deus quomodo habendus debitor.

Galat 6.
Chrysost.
Genes 18.
3 Reg. 17.

Sed causaris: Filij mihi sunt. Quid accusas filios tuos? illi non in causa sunt, sed auaritia. Filios habebat Abrahā, & exibat, vt peregrinos susciperet. Filius erat Sareptanæ, & pugillum tantum farinæ, & dedit Eliæ. Sed ais. Multa bona filijs relinquere vellem. Optimè dixisti: sed hoc feceris, si

Filijs quomodo multa bona relinquenda.

ceris, si Deum illis patrem & tutorem reliqueris; si etiam Deum ipsis debitorem feceris. hoc verò efficies, bene de pauperibus merendo. Ne cures, quomodo filios diuites, sed quomodo virtute præditos relinquas. Sed adhuc instas. Mihi thesaurizo. Hoc ipsum te rogo: Thesauriza tibi ipsi, non alteri: & cùm dico: Da pauperi, & tibi vt thesaurizes, dico. Dum pecunias habes, securæ tibi non sunt. Si pauperi dedisti, iam dicere potes, te eas securè possidere: quia nec fur nec mors eas à te auferre poterit. Obsecro, quid in iudicio respondebis Deo te vrgenti? quando à te petebatur Eleëmosyna, credidistine eam mihi dari? Si nō credis, infidelis es: si credis an non stultus es, qui Deo non reddas? Offendis aliquem cui pecunias des, vt lucrum reportes, si ad vsuras das: Audi, *Fœneratur Domino, qui misere tur pauperis*. Dic miser, cui das diuitias, num redditurо? Quid reddet venter? corruptionem: quid inanis gloria? inuidiam: quid auaritia? curam: quid inuidia? gehennam. & his das substantiam tuam? Hi sunt diuitum debitores, qui reddent innumera mala, & Christo Domino dare non vis, qui tibi promitit vitam æternam? Quid respondebis, cùm te arguet: Meretrici dedisti, diabolo donasti? & mihi dare noluisti. Sed putas in longum tempus differri; quòd reddet: Maius est lucrum pecunias ad vsuram dare in longum tempus. Sed etiamsi hic nihil redderet, verùm in æternam vitam reseruaret, commodum tibi esset, ac vtile. Nunc centuplum tibi hic promittit, & posteà vitæ æternę possessionem. vt Petro dictum est: & non solum Petro, sed omni qui reliquerit. &c.

Quomodo sibi thesaurizandum.

N. B.

Prouer. 19.

Diuitum debitores vani.

Lucrum magnum.

Hæc breuiter ex Chrys.

Demùm Nazaræorum superbia consideranda, qua indigni redditi sunt diuinis muneribus: ea enim illi quasi ipsis debita reputabant, seipsos magnificiebant, & corripientē sustinere non voluerunt, sed præceptare voluerunt. Superbus se aliquid esse putat, cum nihil sit. Vnde si ab alio se despici aut corripi viderit, sustinere non potest, adeò vt in Deum ipsum insurgat, si eum velit humiliare. Vt in Nazaræis patet. Hæc verò animi elatio maximum est impedimentum, ne diuina ad nos veniant munera: *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Aliquando hac laborauit superbia Naaman, cùm indignans recedebat: deinde verò se humilians, gratiam Dei recepit, & integræ valetudini restitutus est. Sed quæris, cur Eliseus

3. Obex Superbia.

1. Petr. 5.

4. Reg. 5.

princi-

Cur Propheta Principi non occurrit. principi tanto ad se venienti non occurrit? *Primò* vt Prophetæ dignitatem seruaret, in qua diuinę maiestatis virtus elucebat: sicut Regum legati, quia Regis personam induunt, ampliorem maiestatem ostendunt. Et simile ostendit Propheta externarum rerum pompam apud Deum, imò & apud se nullam esse, licet eam maximè suspiciant homines. *Secundò* id præstitisse arbitror, vt superbum Naaman humiliaret, dignumq; redderet diuina gratia, quæ solis humilibus confertur. Superbus venerat, magno stipatus comitatu, superbè existimans; *Egredietur ad me, & ponet manus suas super me, & inuocabit nomen Dei sui.* hac superbia aditum diuinis muneribus præcluserat. Vt ergò humiliter de se sentiret & modestè, cũ non curat Elisæus, vt se deijciat, & humiliatus mereatur dona Dei participare, & sanitatem consequi.

1. *Maiestatis diuinæ virtutem ostenderet.*

2. *Superbum humiliaret.*

Sed cùm Christum Dominum pręcipitare vellent Nazaræi: *Ille transiens per medium illorum ibat.* Nondum venerat hora eius, nec locus passionis Nazareth erat, nec præcipitio sed cruce moriturus, ideò qui passus est se à ciuitate eijci, noluit præcipitari, sed *transiens per medium eorum ibat,* diuinam ostendens virtutem: vel quia mentes eorum mutauit & obstupefecit: vel quia eis vires ademit & maiestatem tantam ostendit, vt nihil contra eum auderent: sicut cum ad eum capiendum venirent, verbo maiestatis eos prostrauit.

Deus recedit ab homine per peccatũ. Hoc verò facto multa nos Christus docuit. Primùm recedere Deum ab homine per peccatum. Summum hoc & tremendum supplicium, Deum recedere ab anima. Nam, *Væ eis cum recessero ab eis.* Et hoc minatur d. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Caue ergò in Deũ peccare, ne recedat à te. Secundò docet iram declinare, & *dare locum iræ.* Hoc præstabis, si fugeris ac declinaueris ab eis, qui summa ira incensi sunt, nec ignem igni admoueris, nec iram iræ. Quemadmodum enim à Leone fugiendum & tigride; ita & ab irato. Nec hoc dedecus esse putes. est enim præcipuus tibi honos. Honor est homini, qui separat se à contentionibus. & cæt.

Oseæ 9. *Matth 23.* *Ira Dei quomodo declinanda.* *Rom. 12.* Simile. *Prouer. 20.*

FERIA QVARTA POST DOMINICAM III. QVADRAGES

THEMA: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Matth.15. Esa.29.

SEMPER hæreses in extrema deuiarunt, veritas verò Catholica, regia via est, de qua scriptum est. *Non declinabimus ad dexteram, nec ad sinistram, regia via gradiemur.* In hac ergò re duæ fuerunt extremæ hæreses. Prima Pharisæorum, antiqua quidem, sed quę multos imitatores hodie habet. Secunda Lutheranorum, & omnium hodie hæreticorum, dicentium: Nihil ad rem pertinere cultum hunc exteriorem, sed interiorem solum Deo esse tribuendum Catholica verò doctrina asserit, vtrunq; cultum Deo esse exhibendum; vt qui conditor est exterioris & interioris hominis, ab vtroque tributum accipiat. Præcipuum tamen locum interiorem tenere cultum docet, sicut præcipuum hominis anima est. Pharisæi exteriora tantùm Deo dant. inde tot eis ablutiones, phylacteria: sed interiora nō curant, ideoq; Deo non placēt. Sic Cain obtulit non rectè; quia cor separauit ab oblatione, quod Deo non obtulit, ideoq; peccauit. Abel verò cor obtulit; ideò Deo placuit. Pharisęus ergò ille est, qui exteriora solū offert, ideo à Christo dicuntur *sepulchra dealbata*, exterius pulchra, intus plena mortuorum ossibus, & omni spurcitia. Similes monetis falsis, quæ exterius verę monetæ imaginē referunt, interius verò aurichalcum sunt. Similes mulieri adulteræ, quæ exterius viro suo obsequitur: interius aliū diligit. De quib. d. *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat rectū cum eo.* Contrà monet nos Apost. *Accedamus ad Deum cum corde vero in plenitudine fidei.* Non est ergò malum Deo in exterioribus obsequi: sed malū est interiora diuidere ac separare, & solis exteriorib. contentum esse. Hunc Pharisaicum errorem, in moribus nunc imitantur, qui cæremonijs exterioribus sic occupantur, vt earū spiritum reiecerint: & qui circa exteriores virtutes omninò versantur, nihil curantes interiores. qui similes sunt

hos-

Veritas Catholica regia via.
Num.21.
Deut.2.
Hæresis in extrema tendit.
Cultum exteriorem et interiorē Deo deberi.
Genes.4.
Cultus interior præcipuus est.
Exempla.
Genes.4.
Hebr.11.
Chry et Aug.
Matth.23.
Simile.
Simile.
Psalm 77.
Hebr.10.
Exteriorem cultum pharisaicum qui imitentur.

Simile. hortulano contento arbore folijs abundante, fructum verò nihil curanti. Illi certè personam Pharisæorum suscipiunt, qui ieiunant, qui preces recitant, qui choris assistũt: sed si interiora cõsideras, vel omninò corde perditi sunt, vel saltem hæc exteriora sine vllo interiori spiritu atque affectu peragunt. Cura ergò primùm operi externo cor adhibere, spiritu omnia perficiens, vt viuentia sint opera tua, Deoque placita, ornata fide, charitate, spe, deuotione & humilitate: hæc enim præcipua sunt. Quòd si id non præstes Pharisæus es.

Exterior cultus necessarius. Sed Lutheranorum errori etiam facilè occurremus, qui exteriora reijciunt omninò Exterior cultus planè necessarius est. *1. Quia bonus & Deo debitus.* Primò, quia in se bonus, & Deo debitus, vt corpus fateatur, se Deo subditum. Vnde ad exteriorem Dei laudem nos ferè hortatur diuina Scriptura. Et à mundi exordio exterioribus sacrificijs Deum cæli homines sunt professi: vt ab Abel vsque hodiè constat: & Sacramenta, quibus diuinam gratiam participamus, in externis signis sensibilibus sunt instituta Secundò, propter internum cultum conseruandum, qui maximè conseruatur externis cæremonijs. *2. Quia interiorem conseruat.* Naturale nanque nobis est ab exterioribus ad exteriora procedere: & exteriora decorem interioribus præstant, sicut accidentia substantiæ, eaq; conseruant, & pars etiam iustitiæ & virtutis sunt. Tertiò propter aliorum ædificationem. *3. Vt alij ædificentur.* Angeli Angelis conceptus suos exprimunt, sed nos non sic: Spiritus nostri inuisibiles sunt hominibus, ideò exteriora necessaria sunt: *sic Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* *Matth. 5.*

Cultus præcipuus Dei in quibus consistat. Sed hoc præcipuè considerandum est, cùm maxima præmia Dei cultoribus promissa sint, in his rebus præcipuè cultum suum constituit, quæ inuito mihi nullus adimere potest; & in quibus omnis homo potest alterum æquare; nec alicui sit excusatio, quòd ea nõ potuerit facilè præstare. Si enim præcipua in ieiunio perfectio sita esset, quid infirmi facerent? si in eleëmosyna, quid pauperes? si in cantu, quid infirmo capite? Nunc verò præcipuum meritum, maxima perfectio tua in dilectione Dei & proximi, in cordis puritate, humilitate, in spe firma in Deum, in fide viua collocata sunt. *Perfectio nostra in quibus sita.* In his omnes æquales sumus, hoc omnis præstare potest, circa hæc nulla relinquitur

excusa-

excusatio cupiam. Hæc præstare potes in omni statu, omni loco, omni tempore.

Illi ergò qui solum exteriora curabant, accedunt ad Christum ab Hierosolymis, & dicunt, *Non lauant discipuli manus, cùm panem manducant.* Vide malorum ingenium; aliena considerare non sua: minima aliorum peccata maxima putare, sua negligere: alienos defectus nō ijs dicere, ad quos pertinent, sed alijs. Cùm eis videbatur peccare Christus non ei dicunt, sed discipulis. *Quare aiunt, cum peccatoribus manducat & bibit magister vester?* Cùm discipuli peccant, magistro dicunt: *Quare discipuli tui transgrediuntur &c.* Mihi defectus tuos dicunt, tibi meos. Hinc Sap. *Stultus illudet peccatum*, id est, loquetur, interpretabitur, dilatabit. Ecce omne peccatum, quod deferunt. *Non lauant manus.*

Malorum ingenium obtrectare.

Matth. 9.

Prouerb. 14.

Mirandum verò quàm acriter Christus ferat persecutores suorum, & oblatratores: vnde ait: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* En Christum, quasi vrsam raptis catulis; quasi gallinam in rapientem pullos. Summa Dei in suos cura, & pro eis decertare no uit acriter Magna irascitur Deus ira in eos, qui iustos persequuntur, vt ostendit in Cain, AEgyptijs, Iezabel. Nam inquit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et *Qui oderunt iustum delinquent.* Et, *Sanctus Israel Domino primitiæ frugum eius: omnes qui deuorant eum, delinquent; mala venient super eos.* Secundùm, eo facto ostendit Dominus, se facilius suam, quàm suorum persecutionem aliquo modo ferre posse: sic nunc acriter pro suis respondet: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* q. d. Si zelo Dei ad hoc moueremini, prius defectus vestros emendaretis maximos; quod tamen non facitis. Quibus verbis maximè inuehitur in vsus & leges mundi Euangelio contrarias; & in eos, qui illas sequuntur. Vnde exemplum huius ponit in eo Christus, qui soluit quartum mandatum de honore parentum propter suam traditionem. In mundo verò nusquam tot vsus Euangelio contrarij fuêre ac hodie; nec tot, qui illos sequantur, Sed quæ abusus? Innumeri in vindicta, superbia, arrogantia, in ludo, vestitu, esu, cibo, potu: & in omni statu officioque inuenies zizania plurima a dæmone disseminata. Animaduerte innumeros excessus, qui propter hominum traditiones irrepserunt, diuersos ab ijs, qui in scriptura diuina & sanctis traduntur.

Persequutores suorum acriter excipit.

Simile.

Zachar. 2.

Psalm. 34.

Ierem. 2.

2.

Suam facilius persecutionem fert Christus.

N. B.

In vsus mundi Euangelio contrarios.

Abusus innumeri.

N B.

Ecclesiasticorum nimius cultus vestium & serica tradi-
tiones sunt. Ciborum nimius apparatus, mulierum capil-
latura, ornamenta pretiosa, & aurum, gemmæ, traditi-
ones sunt. Nobilium nunc est morum, corruptione
esse perditissimos, debita non soluere, nec ministris sti-
pendia reddere, opprimere subditos, eos bonis expoliare
& suorum fidei iussores esse cogere. Quid hæc omnia nisi
traditiones humanæ & zizania? In ciuibus verò zizania
quis enumeret? nobilibus præcipuis comparaui volũt, mẽ-
sam lautam, domum ornatã habere volunt. In minoribus
inuenies ludos, comessationes, ebrietates, impudicitias:
in iuuenibus omnẽ lasciuiam: in puellis inhonestos can-
tus, colloquia praua: in grandæuis odia, detractiones: in
mercatoribus mille decipiẽdi artes, omnia deniq; plena
Osee 4. malis, *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in
terra. Maledictum, mendacium, furtum inundauerunt, & sanguis
sanguinem tetigit.* En zizania, en hominum traditiones, qui-
bus lex Dei violatur. Quibus & meritò dicitur: *Quare & vos*
An abusus *transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras.*
mundi ho- Qua ratione hi abusus hodie inualuerũt? An quia honesti
nesti. sunt? Non vtiq;: quia contra charitatem. etc. à dei sapientia
An faciles. lex Dei processit: à dæmone hi abusus. An quia factu faci-
Prouerb 15. liores? Nequaquã. dicunt enim, *Ambulauimus vias difficiles.*
An vtiles. An quia dulciores? Minimè quia in peccato malo torque-
Simile. conscientia, in virtute *secura mens iuge conuiuium*. An quia
Apoph- vtiliores? Nõ vtiq; neq; enim animæ, neq; saluti, neq; sub-
tehma. stantiæ prosunt. Quare ergo? Quia plures hanc viam tenẽt,
Hieron.apol. sed more pecudũ, qua vna earum cæpit iter, omnes sequũ-
adu. Ruff. tur. Rectè igitur Pythagoras: Per viã publicam ne incesse-
Eccli 9. ris; id est iuxta Hieron. Ne vulgi sequaris errorem. Sed
Chrys. inquiris, quid faciam? Primũ, agnosce te inter laqueos ver-
laquei mun- sari: Agnosce; qua obumbratus est laqueus: non facilè as-
di quomodo picies, ideò oculis fidei tibi opus est. Sed quomodo laque-
declinandi. os declinabo? sursum ascende. Auis, dũ superiora petit, à
laqueis est libera. Vides te infirmum vt à tot laqueis libe-
Psal. 118. reris? Fuge laqueos Spiritũ rectum à Deo pete. Sit tibi dux
N. B. diuina lex: *Consilium meum iustificationes tuæ*. Cum ergo
In mundo cõ tibi inter seculares ac vanos conuersandum est, manifestè
uersanti quid ostende te Dei esse non mundi. Dic palam: Ego Dei sum.
faciendum. Christiani, qui Deo & mũdo placere volunt. multũ à mun-
do expugnantur: si verò in Dei factionem transeant, non

aude-

audet mundus eos impetere. Sic nobilissimus Mathathias fecit. *Etsi omnes gentes obediant Regi Antiocho: ego & filij mei obediemus legi patrum nostrorum. etc.*

1. Mach. 2.

Sine caussa colunt me docentes doctrinas &c. Horrendum verbum: *Sine caussa* colis me. Cùm diu quis seruierit, cum cucurrerit, laborauerit; si audit nullam habebis à me mercedem; timendùm profectò verbum. Sed quomodo verbũ hoc asperum non audiemus? Duo tibi attendenda sunt. Primum ante omnia diuina imple mandata: secus omnia quæ feceris, vana sunt. Quidam certo die ieiunant, orant, etc. sed diuinum præceptum facilè transgrediuntur. *Sine caussa* sic Deum colis. Benè agis, cũ bonũ operaris, sed potissimum debes implere præcepta. *Hæc enim oportuit facere, & illa non omittere.* Secundo tibi curandum est, vt exteriora, quæ egeris, spiritu condias, charitate incendas, ne vani cortices sint coram Deo, similes operibus Pharisæorum, quæ Deus proijciet in *vultum tuum*. Exteriora sola si Deo dentur, *stercus* ille reputat: *sine caussa* colis eum. Exteriora enim in interiora ordinauit.

Qui frustra Deum colãt

Duo remedia.

1. Dei præcepta seruanda.

Matth. 23.

2. Exteriora spiritu condienda

Mal. 2.

Non quod intrat per os coninquinat hominem: sed quæ procedunt à corde, hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Hæc turbis conuocatis dominus dicit, non Pharisæis; quia *Abominabilis est domino omnis illusor.* Ex his verò ostenditur, nihil hominẽ inficere præter peccatum: reliqua omnia extrinseca sunt, nec illum lædunt: solùm peccatum vilem & abiectum reddit hominem. *Coinquinatis fidelibus nihil est mundum; sed inquinatæ sunt eorũ & mens & conscietia.* Et *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Nihil illustrem reddit hominem, nisi virtus: nil despectum, nisi peccatum. Inquinatur homo vetita edens, sicut Adam, non propter cibũ, sed propter inobedientiam & gulam. Nec cibi prohibentur, quia coinquinent, sed vt caro mortificetur, & secernatur fidelis ab infideli. Peccatum ergò coinquinat hominem, & eum maculat macula tanta, vt nihil sit in terra, quo macula illa deleri possit. *Dedisti maculam in gloriam tuam* dicitur Salomoni. Quis lauabit eã? *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua.* Nullum remedium maculę tantę est à terra, neq; ab Angelo. Solus Christi sanguis sufficit hanc abluere maculam: solum Christi manus eam lauant. Ad hoc opus *exiuit sanguis & aqua è* latere Christi, vt lauachrum esset peccatoribus. Huic Pau.

Hominem coinqinari peccato solũ.

Pro. 3.

Tit. 1.

Psal 9.

Virtus illustrat hominem.

Cibi quomodo prohibeantur.

Eccli 47.

Ierem 2

Macula peccati solo Christi sanguine abluenda.

Ioan. 19.

Heb.9. *Quanto magis sanguis Christi, qui semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti.* An non grauissima macula illa, cui nullum est aliud medicamentum, nisi Christi sanguis? Ex grauissima medicina morbi ęstima quantitatem: & semel mundatus, caue, ne iterum inquineris.

Quantitas morbi nostri ex medicina æstimanda.

FER. QVINTA POST DOMINICAM III. QVADRAGES.

Duplex beneficium à Christo.

THEMA: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. & cæt.* Luc. 4.

Lucæ 9. In domum diuertere. Matth. 8. Gen. 18. Socrum sanare. Duo beneficia in nos collata.

DVPLEX hodiè Christus Simoni beneficium contulit. Primùm, in eius domum diuertere (cùm propriam non haberet, *Vulpes foueas habent, volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput suum:*) Quod Centurio tanti fecit, vt diceret. *Domine non sum dignus &c.* Et Abraham, *Si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Secundum fuit, eius socrum sanare, quæ tenebatur magnis febribus: deinde verò plures curauit infirmos.

1. Ad nos diuertit. Prouerb 8. 2. Paral. 7. Simile allegoricum. Psal. 111. Apoc. 3. Cant. 5. Ianua quibus clausa. Matth. 25. Prouer 1. 2. Christus in paupere ad domum nostram diuertit.

Sed hæc duo beneficia, quæ in nos quotidiè confert, expendamus. Primum illud sit, quòd ad nostram diuertit domum, in nobis habitat. An nō ingens hoc beneficium, ingens Dei bonitas? *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Verè sicut cùm Dei maiestas in templum ingressa est, impleuit gloria Domini illud: sic omninò cùm per gratiam Deus hominis cor intrat, tunc cælesti impletur gloria, tunc diuitijs gratiæ abundat: quia *gloria & diuitiæ in domo eius.* Et cùm hæc ita se habeant, ille stat ad ostium pulsans, & rogans nos, nec ei aperire volumus. Quoties ianuam cordis tui pulsauit? dicens, *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore.* Quoties te vocauit? tu verò clautam habes ianuam cordis tui. Meritò aliquādo audies, *Et clausa est ianua.* quia tu prius fores Deo occlusisti; quia *vocaui & renuistis, extendi manus meas, & non fuit qui aspiceret: ego quoque in interitu vestro ridebo.* 2. Hoc etiam beneficium diuertendi in domum nostram, aliud significat, quòd quotidiè excipi-

cipimus nec agnoscimus, nec, vt decet, in pretio habemus. Hoc verò est cùm pauper in domum tuam venit, Christus ad te diuertit. summa hæc tibi gratia est. Cùm enim Christus dixerit: *Pauperes semper habebitis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere*, beneficium nobis contulit maximum: simile ei quod nunc in Petrum confert, eius domum ingressus.

Sed iam alterum expendamus, quod etiam confert ei, cuius domum ingreditur. Illud verò est, animam liberare à magnis febribus. Febris est calor extraneus in corde inflammatus per venas & arterias ac sanguinem, procedens in totum corpus, ad impedimẽtum operationum, & nocumentum substantiæ. Febris verò spiritualis contingit in nobis ex immoderato calore appetitus, qui voluntatem malè inflammat, eam à rectitudine dimouens, Calor ille extraneus est à voluntate & ratione omninò alienus, efficitque vt malè se habeat voluntas. Calor ordinatus viuificat: inordinatus febris est, & occidit hominem. Vis videre ordinatum calorem? *Ordinauit in me charitatem.* Ordinata charitas ordinatus calor est. Cùm primò loco Deum diligis, secundò animam tuam, tertiò animam proximi, quartò corpus proprium, quintò corpus proximi, ordinatum calorem habes, sanus es, bene est tibi: si deordinatur hic amor, febris est. Hæc animæ febris, & inordinatus eius amor, ex operibus facilè dignoscitur, nimius temporalium amor in sollicitudine nimia, vt vel substantiam vel honorem obtineas. Modum verò, quo hæc spiritualis febris incurritur, explicat Iacob. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* En pestiferam febrim. Sed consideratione digna est febricitantis sitis maxima: aquam expetit, & bibit, & continuò, vt noxiam euomit. Sic auarus nimium pecuniæ cupidus congregat non sua, bibit quæ proximi aqua est: sed euomere debet restituendo substantiam alienam. Quid quòd febricitans non valet quiescere? modò in hoc cubat latus, modò in aliud, nec adhuc quiescere potest: causaturque aliquando lectum, vel cubiculum: nec tamen hæc in causa sunt, sed febris. Adhunc prorsus modum febri laborant seculi huius amatores, nullibi quiescere valent: iam in hac re affectum suum col-

2. Benef. Febris liberatio.

Febris naturalis descriptio

Febris Spiritualis quid.

Calor inordinatus.

Calor ordinatus.

Cant. 2.

Animæ febris indiciũ.

Modus, quo incurritur feris.

Iacob. 1.

Sitis febricitantis maximus.

Simile.

Vomitus ægroti spiritualis.

Inquietudo febricitãtis.

locant iam in illa, nec vllibi quiescunt: quia in vero fine Deo suo non imitantur, qui solus pax animæ est. Non lectus in caussa est, non status, sed febris: febrim tolle, & *inuenietis requiem animabus vestris*. & tunc *pax Dei, quæ exuperat omnem sensum* erit in vobis.

Math.11.
Phil 4.

Plures & magnæ febres

Sed adhuc expendendum, hanc mulierem non vnica laborare febri, sed pluribus. *Tenebatur magnis febribus.* Sicut enim in corpore vna est febris, & simplex, quæ ex vno humore vnaq; inflãmatione procedit: aliquãdo verò multiplex est febris & duplicata, quando scilicet ex pluribus humoribus plures sequuntur inflammationes: ita aliquãdo vna passione laborat: aliquãdo verò pluribus passionibus anima inordinatè mouetur; & tunc laborare dicitur magnis febribus, & difficilis est curatio. Grauissima profectò animæ infirmitas illa est, cùm pluribus vitijs exagitatur: dissecatur tunc homo: aliud nanq; superbia expetit, aliud auaritia, diuersum luxuria, diuersum inuidia, Superbia fastum & pompam, auaritia oppositum desiderat. & cæt. Ecce duplicitam febrim, ecce tenetur anima tua magnis febribus, & multis. Estne huic medicina? Est: Veniat *Christus in domum eius, stans super eam, imperet febribus*, & discedent. In hoc Christus dominus in mundum venit, vt captiuos redimeret: nec solùm eos patri reconciliaret. sed & à misera erueret seruitute, & passionibus liberaret, & tyrannide appetitus. Hoc significat Isa. *Letabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.* Ecce iugum dæmonum, appetitus, superatum: en virgam, qua nobis dominabatur, caro, depositam: en sceptrum dominantium superatum. Hæc est libertas toties prædicata, in aquam vocati sumus. Vt eam assequaris, Christum in domum tuam recipe; eius gratiæ te muni; ora eum vt stet super te, vt super socrum Simonis, & superior eris omnibus inimicis tuis. Si ergo volueris Christo adhærere, si ille super te steterit, facilè liber sauusque esse poteris. Sic autem in fine Euangelij dicitur: *Singulis manus imponens* &, *Tetigit manum socrus Simonis: & sanata est.* Licet aliquando solo verbo ægros sanaret: sæpissimè tamen tactu manus mirabilia operatus est vt nobis significaret, omnia bona spiritualia in nos

Simile.
Simplex & multiplex febris.
Grauissima animæ infirmitas.
Medicina multiplicis febris.
Isai 9.
Iugum dæmonum appetitus inordinatus.
Libertas quomodo recuperanda.
Tactus manus quid velit
Mat.8.

venire

venire per contractum diuinæ manus & gratiæ, vocatione ipsius auxilioq; eius. Priusquam Isaac Iacob benedicat, ditans eum rore cæli & pinguedine terræ, ait: *Accede ad me, fili mi, vt tangam te*. Nulla enim spiritualis benedictio descendit in te, nisi tangaris diuina manu. Sed illud mirandum valde, cùm tanti nostra referat à diuina tangi manu, nos tamen hunc contactum perhorremus ac fugimus, ac si nobis maximo nocumento futurus esset. Quoties in corde tuo cogitatio fuit vitam in melius mutandi, mores perditos corrigendi? Quid hoc est, obsecro nisi extendere Deum manum suam ad te, velleq; te tangere? Tu verò recedis, resilis, ac fugis, nec aperire vis ostium sponso animæ tuæ. Dei misericordis ac benigni manus fugis? Si venit ille ad te, vt vitam tribuat, vt sanitatem restituat: quomodo fugis? Sed prudentia carnis timet Dei manum. Si enim tangi me permitto, alienum æs restituere oportet, occasionem relinquere, vitam in melius mutare, à multis me abstinere, quæ placent. Sit ita dolorem incutiat contactus diuinæ manus. Sed si vulnus tibi est, non pateris chirurgi manum te curantem? Si ægrotus es, accusas medicum, quod pharmacum tibi det, sit licèt amarum? Si plaga tibi tumens est, an non toleras cauterium ignis, vt sanitati restituaris? Cùm ergo in anima infirmus sis, quid accusas Christi manum te curantem, & accusas eum, quod carnem putridam malarum affectionum tollat? Expecta paulisper, & sanitati restitueris, & summa afficieris lætitia. Ille vt Samaritanus infundit vinum mordens in vulnera tua, & oleum consolationis. *Dominus enim mortificat, & viuificat*, Pœnitentia moritur homo verus, sed nouus homo dulcedine cælesti viuificatur. *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur*. Expendendum porrò est.

A gratia Christi omnia bona. *Gen.27.* *Tactus manus diuinæ in nobis.* *Cur fugiamus Dei manum tangentem.* *N. B.* Simile. Simile. Simile. *Oseæ.6.* *Luc.10.* 1.Reg.2. *Matth 5.*

Et rogauerunt illum pro ea. Qui? Sancti Apostoli. *Multum valet deprecatio iusti assidua*. Orant verò Apostoli pro Petri socru feruenter: *rogare* enim est, importunè petere. Sic enim pauperum negotia nobis agenda sunt. Seriò pro eis rogare debemus non oscitanter; sed enixe & importunè.

1.Pet.1. *Ioan.6.* *Iacob.5.* *Pauperum negotia feruenter agenda.*

Sed quid fecit mulier sanitati restituta? *Surgens ministrabat illis*. Quibus verbis diuina medici potentia & muneris huius gratitudo ostenditur. Christi quidem potestas

Potestas Christi diuina.

in eo, quòd perfectam sanitatem in momento restituit: quod naturales causę efficere non valent: vt continuò surgens ministraret illis. Mira profectò sanitas, mira curatio.

Perfecta sanitas. Adhunc verò modum aliquando Deus animam ita perfectè sua gratia sanat, vt in momento perficiat, & integræ valetudini restituat. Sic Magdalenam, Matthæum, Zachæum, & Paulum. Sed sanitas ista mira planè est. Aliquando verò Deus animam ita sanat, vt medicina corpus, paulatim scilicet, & quasi per gradus quosdam sanitatem integram restituens; à peccato quidem & febri animæ liberans hominem, sed qui adhuc debilis manet, & marcidus, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, vt necesse sit ei clamare, *Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum; sana animam meam, quia peccaui tibi.* Si ergò te videris aliquando per diuinam gratiam sic sanitati restitutum, vt integra sis valetudine, facileque omne virtutis opus præstare possis, vt surgas continuò cum socru Simonis, vt Christo ministres, gratias Christo age, qui mira operatus est in te. dicq; cum Psalm. *Benedic anima mea Domino. &c. qui sanat omnes infirmitates tuas; qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. &c.* Si verò adhuc gratia Christi accepta te videris debilē atq; infirmum, ne despondeas animum; ne mireris, si adhuc vigent motus inordinati; si difficile præstas, quæ virtutis sunt: ne te perditum credas. Paulatim proficies. fuge omnem occasionem peccati, bonis operibus incumbe, sacramenta frequenta, pias orationes & meditationes cole. & perfectæ restitueris valetudini.

Luc. 7. Matth. 9. Marc. 2. Lucæ 5. Actor. 9. Lucæ 19. Gradus sanitas. Psalm. 6. N. B. Adhortatio ad gratiarū actionem pro sanitate perfecta. Psalm. 102. Quid agendū in gradata sanitate. Eccli. 10.

Gratitudo mulieris. Secundò mulieris gratum animum contemplemur. *Et continuò surgens ministrabat illis.* Accepit à Christo sanitatem, eam continuò ei præbet, illi ministrans. & meritò: *quis enim plantat vineam, & de fructu eius non edit?* Infirmus fuisti, salutem à Christo accepisti? eam ei restitue illi ministrans: vt enim ei ministrares, tibi reddita est. Sæpè enim à nobis Dei iudicio iusto auferuntur bona multa, quia illis non vtimur in Dei gloriam & obsequium, sed potius in offensam. Si ergò omnia bona à Deo accepisse te fateris, illis omnibus ei inseruire cura. *ne glorieris contra Dominum, quasi ab eo non acceperis.*

1. Cor. 9. Bona multa cur nobis auferūtur sæpè. 1. Cor. 4.

Socrū Simonis saluti reddita continuò, *Omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad Iesum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.* Quo monemur, ducere

omnem infirmum in anima ad Iesum: & ad illum nos accedere debere, vt salutem consequamur. Audis in ciuitatem aduenisse medicum, qui aliquam infirmitatem facilè curat: accedis ad illum vel duci te pateris si vlla vexaris infirmitate. Aduenit è cælo medicus, qui omnes infirmitates curat. Ad illúm omnes accedamus, quando infirmi sumus: omnibus nanq; salus parata est. Nec verò, solum tu accedas, oportet, sed & alios duc ad Christum, vt eis medeatur. Nec vnquam impedimento sis ei, qui ad Christum accedere vult. *Noli prohibere benefacere eum, qui potest.*

Infirmi ad Iesum ducendi.

Simile.

Solus ne accedas Christum.

FERIA SEXTA POST DOMINICAM III. QVADRAGES.

THEMA: *Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Ioan. 4.

CVM Iacob ad similem puteum venisset, fatigatus ex itinere, vidit ibi pastores cum gregibus suis sitiẽtibus, & dixit. *date potum ouibus*: sed deerat Rachel, *nam gregem patris sui illa pascebat.* qua adueniente adaquauit Iacob gregem eius. Euangelium puteus est aquę viuę: non est autem Ecclesiæ vsus, vt ex eo haurietur aqua, donec accedat vera Rachel Maria, donec eius intercessio imploretur, vt aqua viua gratiæ nobis detur. Accedat ergò Maria, à petrâ Christo, gratiæ aquas largiente, illas petens. &c.

Propositio ab Allegoria.

Genes. 29.

Rectè ait Psalm. *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* An non mirabile, quòd infinita Christi maiestas tam familiariter cum vilissima fæmina loquatur & conuersetur cum fornicaria muliere. de qua d. *Omnis fornicaria mulier, quasi stercus in via à prætereuntibus conculcabitur.* Nec verò solùm cum ea loquitur, sed ei manifestè aperit incarnationis mysterium, quod Paulus, dicit *Sacramentum absconditum à seculis in Deo, quod principatibus & potestatibus in cælestibus innotuit per Ecclesiam.* Hoc hodiè mulieri gentili, peccatrici de infima plebe aperit tam clarè, dicens, *Ego sum qui loquor tecum.* Hoc Dei ingenium est, respicere ad ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destruat: quia in his eleuandis, quæ non sunt, splendet magis eius diuina bonitas & gratia, *Ego*, inquit, *in iudicium veni in mundum,*

Psalm. 138.

Bonitas Christi mirabilis.

Eccli. 9.

Ephes. 3.

Ioan. 9.

vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant. Videamus hæc in Euangelio, quod per omnia dulcissimum est.

Oportebat transire per medium Samariam. Nomen est regionis, quod accepit à ciuitate, Samaria dicta, quam ædificauit Amri rex Israel. *Venit in ciuitatem Sichar*, quæ est Sichem, vbi stuprata est Dina. præcipua ciuitas Samaritanorum *Iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo*. de quo scriptum est, *do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*. id est, iustitia & oratione mea, quæ arma mea fuere, per quæ liberatus sum à periculo imminenti propter mortem Sichem & Emor, ne à vicinis opprimerer, quod Deus non permisit. Ibi sepultus est Ioseph. Christus ergò dum ibi sedet, memoria versat proditionem Simeon & Leui in Sichem: nam is captus amore Dinæ, id est, nostri, ei desponsatur per incarnationē, & simulata à suis occiditur: cogitans, *omnes fluctus suos induxisti super me*, ne humanum genus periret. *Erat ibi fons Iacob*, amantis scilicet, qui pro Rachaele 14. annis seruiuit, & videtur ei dies pauci. Sed modo fons aliud accipiet nomen, diceturq́, *fons IESV*, amantis animas nostras, & pro eis laborantis, & fatigati ex longo pro eis itinere. Notatur ergo locus in æternam memoriam, in quo Christus fatigatus misericordiæ viscera aperit peccatrici. Mos fuit antiquis Patribus loca signare, in quibus eis Deus apparebat. Sic Iacob *erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper*, vbi vidit Angelos ascendentes & descendentes per scalam. Idem etiam signauit locum, in quo Deus misit ad eū Angelorum exercitum, vt eum à fratre defenderēt. Similiter Abraham & Isaac altaria erexere in locis, vbi à Deo visitati sunt. Sic etiam modò signatur locus, quo Christus Samaritanæ loquitur, & eam conuertit. Vt inde etiam intelligas à Deo signata esse loca, in quibus tibi beneficia contulit, vt si ingratus inueniaris, loca ipsa contra te testimonium perhibeant. Tu quidem post tergum proijcis peccata tua, eorum oblitus, non tamen Deus, qui ait: *Existimasti inique quod ero tui similis? Arguam te, & statuam contra faciem tuam*. Statuet contra faciem nostram dicens: Tali loco misi tibi misericordiam meam, tali lecto infirmanti adfui, tali loco me offendisti. Sic in auaros, superbos, & maxima construentes ædificia arguet. Clamabunt & lapides ędificiorum contra eos, qui pauperibus non subuenerunt.

3. Reg. 16. | Genes. 34. | Iosephus. | Gen. 48. | Hieron. | Chry. homil. 67. in Gen. 48. c. | Euseb. | Christi inite mystica. | Psalm. 87. | Gen. 29. | Fons Iesu. | Locus cur notatus. | Bethel. i. domus Dei. | Genes. 28. | Gen. 32. | Genes. 12. 13. 22. 26. 35. | Loca in quibus beneficia tibi collata à Deo signata. | N. B. | Abac. 2.

rũt. Signatur ergo locus, vbi Samaritana cõuertitur: signa & tu locum & tempus, quo à Deo vocatus es, & memoria perpetua tene, ne ingratus sis: De⁹ enim eius oblitus nõ est.

Fatigatus ex itinere. Fatigatur, vt verum se ostendat hominem. Non autem frustra fatigatur. per quem fatigati recreantur: quo deserẽte fatigamur, quo præsente firmamur. Suscepit omnia infirma nostra, vt fortitudinẽ suam nobis daret. Christus aliquando fortis, aliquando infirmus. Fortitudo Christi te creauit: infirmitas Christi te recreauit: fortitudo Christi effecit, vt esses, quod non eras; infirmitas Christi fecit, vt quod erat, non periret. Hinc hodie fatigatur; Pręterea in hac fatigatione summum nobis ostendit amorem, quo non solùm nobis compassus est, sed etiam nobiscum fatigatus, & quasi infirmatus. Sicut enim amantissima mater non solum filio infirmanti compatitur sed & quodammodo cùm eo infirmatur: sic & Christus. Hinc gallinæ se confert: quia gallina super omnia animantia pullis infirmis sic compatitur, vt cum illis infirmetur. Præterea fatigatur, quia Christus è cælo in terram descendens, vt litem componeret inter Deum & homines, fatigatus est nimium: *seruire*, inquit, *me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborẽ in iniquitatibus tuis*. Quod in nobis sæpe etiam contingit: lassitudine enim Deum premimus, & eum laborare facimus in vijs nostris, Sępè enim ad nos venit per inspirationes, sæpe domus ianuam pulsat, nec ei aperimus, sed nec audimus: fatigatur tot itineribus. Hinc Sal. *Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, & cras dabo tibi; cùm statim possis dare*. Potes Deo continuò prębere consensum, quid differs? quid Deum lasses? *Vsquequo delitijs dissoluere filia vaga?*

Aug. tract. 15. in Ioan. 4.
Fatigatio Christi quid velit.
1. *Vt nos fortes faciat.*
2. *Compassionis amorem vt ostendat.*
Matth. 23.
3. *Propter nostros*
Isai. 43.
N. B.
O homo.
Prouer. 3.
Ierem. 31.

Venit mulier Samaritana. Nouit ad aquam venturã, ibi expectat eã. Sed mirè hic splendet diuina bonitas. Chananęam fugit, cum eum illa insequatur: Samaritanæ se ingerit non rogatus? imò rogans; quod maioris est misericordiæ. Loquitur ergo ille ad eam, *Mulier da mihi bibere*. *Præoccupat*, inquit Sap. *eos, qui se concupiscunt, vt se illis prior ostẽdat.* Petit à te Deus opera, non vt sibi capiat, sed vt tibi reddat, quasi creditor cum fęnore, cumulata vt reddat *gratiam pro gratia*. Et cum opera sint dona eius efficit vt sint merita nostra, & nobis ex iustitia donet præmium. Non enim Deus proficit bonis nostris, sed nos. *Quid enim prodest Deo, si*

Christus se offert.
Sapien. 6.
Eccl. 15.
Ioan. 1.

Iob.22. Psalm,15. Deo, si iustus fueris? aut quid ei conferes, si immaculata fuerit vita tua?

Sitis Christi conuersio Samaritanæ. 1.Tim.2. *Da*, inquit, *mihi bibere*. Sitit præcipuè salutem spiritualem Samaritanę, de qua cum sermo incidisset, nec verbum de alia siti fecit; & cum ei offerrent discipuli cibum, ait, *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*. Sitis ergo eius illa est, *qua vult omnes homines saluos fieri*. Vnde refrigerium eius conuersio est Samaritanæ. Dæmonis sitis. Si enim dæmon tanta ardet siti, vt homines etiam iustos perdere cupiat; quid mirum, si Christus sitiat omnem hominem etiam peccatorem, vt sibi vniat? Sitis Christi in cælo conuersio nostra. Hæc sitis adhuc ei in cælo inest. Quid enim tot eius à te vocationes petunt, nisi, *da mihi bibere*? Quis ergò Christo sitienti, & potum exigenti illum negabit? In hoc agnosces, ô anima, an futura sis sponsa Christi, si potum petenti à te libenter das, sicut Rebecca Genes.24. seruo Abrahami Eliezer. Mirum profectò, quòd refrigeretur Christus conuersione nostra. quod gaudeat certè non ille solum, sed vniuersum cælum: *quia gaudium est in cælo* Luc.15. *super vno peccatore pœnitentiam agente*. *Aqua frigida animæ siti-* Prouerb.25. *enti* qui conuertitur ad Christum, aquam frigidam Christo dat. *Da* ergò *mihi bibere*. Addit Christus. *Si scires donum Dei, et quis est qui tibi dicit*. i. donum, quod Deus mundo dedit: cùm *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum da-* Ioan.3. *ret*. Vel *donum* hoc, quòd me inueneris, quòd me tibi nunc Simile. offeram. Sicut si rex ab agricola aquam aut cibum peteret, rectè diceret: Si scires felicem tuam sortem, & quis est qui parua petit à te, dedisses vtiq;, & magna ab eo peteres. Sic loquitur Christus Samaritanę, ad quam diuertebat Rex regum; & parum ab ea petebat, volens ei magnum pręstare, *aquam*, scilicet, *viuam*. O si scires homo, *donum Dei, &* N. B. *qui est*, qui accedit ad cor tuum, petens à te conuersionem, 1.Ioan.2. dedisses vtiq;: *qui enim dicit se nosse Deum, & mandata eius non obseruat, mendax est*. Et *si scires*, cùm ad ianuam tuam pauper stat, & petit aquam vel cibum, *quis est qui dicit tibi, Da mihi* eleëmosynam, quia Christus in paupere petit, sine dubio dares, vt maxima reciperes. Ille petit, qui ait: Matth.25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Et *Hæc est requi-* Esaiæ 28. *es mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium*. Verè nescimus hoc donum. Si enim hoc probè nosses, si Dei maiestatem, diuitias, quas retribuere potest, si gloriam nosses, vere temporalia non curares.

Sed quid Samaritana respõdet audiamus. *Nunquit tu maior es patre nostro Iacob?* Patrem dicit non origine sed religione; *qui dedit nobis hũc puteum.* Carnalis & carnalibus assueta, aliam aquam cogitare non valet, quam illam: *quia animalis homo, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* sic apparet ei alias delectationes non esse, quam carnis: quòd si eas relinquat, nullas alias restare credit. Sed *Gustate et videte quoniã suauis est dominus &c.* Et, *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te.* Nulla corporis delectatio sic reficit animam, ac spiritualis. *Sicut adipe & pinguetudine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.* Hanc aquam ignorat Samaritana. *Filij eius & pecora,* ait; vel inde colligere potuit, non eam in pretio habendam, cum sit communis hominibus & brutis. Quid enim maius habet homo sensualis, quò careat brutum? Et hoc tibi magnum videtur; quò bruta abundant? O homo verè degenerasti à Deo, *comparatus es iumentis insipientibus.* Quæramus ergò nos hanc aquam viuam: effodiamus, donec inueniamus. Isaac effodit puteos, quos ei obstruunt Philistæi, donec perseuerans inuenit puteum, tantas redundans aquas, vt obstrui non potuerit. Obstruit dæmon, & impedire te curat temporalibus curis, sed tu ne cessaueris ab opere tuo, donec inuenias aquam viuam, & puteum, qui est *perfecta charitas*, cuius tot sunt redundantes aquæ, vt à dæmone obstrui non possit, vt dicere possis: *Quis nos separabit à charitate Christi?*

Carnalis nullas credit delectationes nisi carnales.

1. Cor. 2.

Psalm, 33.

Psalm 30.

Psal. 62.

Spirituales delectationes quantæ.

Psalm. 48.

Perseuerãtia.

Genes 26.

Dæmonis industria.

Rom 8.

Omnis, qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum. Sicut Agar de domo Abraham egressa, cùm panibus & vtre aquæ, errabat in solitudine, & deficiente aqua (quia vtrem portabat non fontẽ) moriebatur Ismahel præ siti: donec aperiret Deus oculos eius, & videret puteum aquæ. Sic anima discedens à domo Dei & errans, aquam portat consolationis alicuius: sed deficit hæc consolatio, & præ siti moritur appetitus. O si Deus aperiret oculos nostros, vt videremus aquã viuam, fons indeficiens nobis esset. Putasti nunquam finiendam consolationem, quam à creatura capis: Pete igitur à Deo aperiat tibi oculos, vt aquã inuenias viuam. Hoc petebat Moyses. *Aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiati cesset murmuratio eorum.* Multa sunt mala in hac mundi aqua. Primum illud est, *Puteus altus est* & difficile hauriri potest aqua. Parum aquæ est, & mult'

Genes. 21.

Allegoria.

Consolatio terrena deficit.

Num. 20.

Mala aquæ mundanæ.

[1. *Difficultas hauriendi.*] cam concupiscunt, mutuoque se impediunt, nec facile eam assequi potueris. *Ambulauimus*, aiunt *vias difficiles*. Labor est seruo Dei viam in cælum agenti, sed diuersus multum à labore peccatoris. [*1. Reg. 30.*] Seruus Amalechitæ præ siti in via defecit: [*3. Reg. 19.*] sed Elias laborãs pane & aqua reficitur ab Angelo, vt 40. dierum viam egerit, donec Deum videret in Oreb. [*Iusti quies.*] Sic iustus tribulatus sub cruce quiescit. Audi Paulum: [*2. Cor. 1.*] *Supra modum grauati sumus, ita vt tæderet nos etiam viuere.* Vis videre refectionem? *Benedictus Deus et pater d. n. Ie. Christi, pater mis. & Deus tot. cons. qui consolatur nos in in omni tribulatione nostra: vt & ipsi consolari possimus eos, qui in omni pressura sunt.* En fontem illi concessum, quo se & alios consolari possit. [*Peccator deseritur.*] Non sic cum peccatore agitur: sed in via derelinquitur: non est, qui eum reficiat. Hoc ergò primum malum est aquarum Samariæ, quod *puteus altus est*, difficile hauries: à Deo verò facilè obtinebis aquam viuam. Postulet à Deo, qui dat omnibus abundanter. Non enim minuitur hæc aqua ex eo, quod multis detur: non se impediunt iusti, sicut in mundo; imò se iuuant. [2. *Idololatrarũ puteus.*] Secundum verò malum est, quòd *puteus est Samaritanorum*. Si delectari in mundo vis, peccator eris. [*Iudith 7.*] Sicut Holophernes milites posuit iuxta fontes Bethuliæ, vt occiderent eos, qui aquam vellent haurire: sic dæmones in delitijs latent, vt interimant eos, qui ad eas accedunt. Nouit dæmon omnes ad delectationes tẽdere; ibi retia sua ille tendit. Ideo, [*1. Ioan. 2.*] *Nolite diligere mundũ, neq; ea, quæ in mundo sunt; quia si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.* [*Iudith 7.*] Hinc Deus Gedeoni præcepit eos reijcere milites, qui ad aquas se quasi bruta proijciebãt. [*Luc. 6.*] *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis.* [*N. B.*] Caue à delectatione terrena aqua mortifera tibi est, q̃ dæmon veneno infecit, vt [*Ierem. 2.*] ea interimat. *Quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam turbidam?* [*Gen. 19.*] Hanc biberunt Sodomitæ & perierunt: [*Eccli. 49.*] Salomon, & *dedit maculam in gloriam suam*: [*Gen. 6.*] mundus vniuersus, & *aquis diluuij* perijt: Et tandem tertiò: [*Vis aquæ viuæ & facilitas.*] *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum* non enim sitim extinguit sed auget delectatio carnalis. Quære ergò à Christo aquã viuam. [*Cant 4.*] Ille est *fons hortorum, puteus aquarum viuentium*. Illam facile habere poteris [*Ioan 7.*] *Qui sitit veniat ad me.* Illa mundat animam, [*Isai. 55.*] [*Ezech. 36.*] *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* [*Psal. 1.*] Iustus *lignum est plãtatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.*

Et nunc

Et nunc quam habes, non est tuus. Vide signum electionis huius mulieris. Audit Christi increpationem, & ea proficit *Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet.* Et, *Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur: qui abijcit disciplinam, despicit animam suam.* Hæc in electis videre licet. Peccat Dauid, & increpatur à Nathan, & ab alio Vidente, & cõtinuò compungitur, & dicit, *Peccaui.* Ezechias similiter ab Isaia correctus est. Licet quisquàm maximus sit peccator, si increpationem non reijcit, salutis signum habet. Contra vero reproborum signum est nolle increpari. Sic Cain Dei, & Saul Samuelis increpationem reiecit. *Qui odit increpationes insipiens est.* Et, *qui increpationes odit, morietur*, Samaritana vero audita Christi increpatione hydriam reliquit, ad ciuitatẽ currit. Apostola Christi efficitur, Samaritas ad Christum ducit, se correxit, & alios docuit.

Electionis signum. *Prou. 15.* *2. Reg 12.* *Isai 39.* *Reproborũ signum.* *Genes. 4.* *1. Reg. 15.* *Prouerb. 12. & 13.*

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE.

THEMA: *Abijt Iesus trans mare:* Ioan. 6.

INTER alia plura, quæ dæmon, mendacij parens, falsò hominibus persuadere studuit, illud potissimùm est, virtutem omninò insipidam, asperam esse nimiũ: viam verò vitiorum dulcissimam, & omni plenam voluptate, vt sic à virtutis via homines deterreantur, & in voluptatis viam declinent. Sed hæc ignis est falsitas. Quod vt Christus ostendat, hodie sequentibus se conuiuium parat, quo saturentur: vt noueris, (cum delectatio sit esca, qua trahimur & inescamur) non tibi delectationem defuturam, si Christũ sequi volueris. Et rationes id docent. Primo, per virtutem Deum possides, qui est vniuersale bonum; nullum ergo tibi deesse potest. *Venerunt*, inquit, *mihi omnia bona pariter cum illo*, scil. diuina sapientia. Tanta verò in Deo delectatio est, ac dulcedo, vt cum eam sancti degustauerint, nec omninò eam capere possint, *intrent in gaudium Domini sui.* Non ergò deesse potest delectatio eũ possidẽti. Secundò id manifestè ostenditur; quoniam prouidẽtia Dei circa supernaturalia & gratuita; multo maior est, quàm circa naturalia. quia supernaturalis vita multo est excellentior; atq; adeò pręstãtiori indiget prouidẽtia.

Persuasio dæmonis. *Delectatio Christum sequenti non deerit.* *Virtutem esse dulcem.* 1. *Sapient. 7.* *Matth. 25.* 2.

Vnde

Vnde ad naturalem conseruandam vitam, dedit panem & vinum: ad supernaturalem, corpus suum & sanguinem. Naturalia vno verbo condidit, supernaturalia tot laboribus, sanguine, ac vita propria. Cùm ergo vt naturales operationes non deserantur, delectationes adhibuit maximas: cùm virtutis opera pręcipuè ille à nobis præstare desideret, & circa hæc tantò maior sit eius prouidentia, sine dubio in his delectationes posuit maximas ac pręcipuas, ne à nobis despicerentur. Meritò igitur Sap. *O quàm suauis est domine spiritus tuus in omnibus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares*, brutis delectationes concessisti, peccatoribus seruis eas non negasti, quomodo filijs non concedes? Hoc significare Christus voluit cōuiuio hodiè exhibito, quod per Isa. dicitur: *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis. etc.* Talia mihi faciat Deus, qualia, illi peccatori, *Iusti epulentur & exultent in conspectu dei, & delectentur in lætitia. Et, Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum*. Hoc sine dubio tibi continget, si Deo adhærere volueris. perquire hoc à iustis dicentq;, *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia*. Vt hæc Christus ostendat, conuiuium se sequentibus parat.

Simile à naturalibus operationibus.

Sap. 12.

N. B.

Isa. 65.

Psalm. 67.

Psalm. 117.

Psalm. 83.

Mare amaritudinem significat.

Sed vt illud exhibeat, *Abijt trans mare Galilææ, & sequebatur eum multitudo magna*. Mare sua amaritudine pœnitentiam significat. Primum quod Israel egrediens ex Aegypto offendit, mare est, quod pertranseundum fuit, quo omnes pereunt Aegyptij: primùm peragenda est peccatori pænitētia, qua vniuersa peccata pereunt. *In mari via tua Et, magna est velut mare contritito tua*. Hoc mare pertransiuit Petrus, cùm *fleuit amare*; & Magdalena, *cum lachrymis cæpit rigare pedes eius*; & Dauid, cùm ait, *lachrymis meis stratum meum rigabo*. Et Iob. *Antequam comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ, sic rugitus mei*. Sic Augustinus à Deo petit vim maximam lachrymarum, vt omninò abluat peccatorum sordes. Digna Christiano oratio peccatoriq; conueniens: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum: vt deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.*

Exod. 13.

Allegoria.

Psal. 70.

Pœnitentia peccatori primum est necessaria.

Psal. 6.

Luc. 7.

Matth. 26.

Iob. 3.

In soliloq. c. 35.

Hier. 9.

Psal. 30.

Sed nunc dicebatur; maximam inesse delectationem virtuti & statim dicis, amarum mihi mare pertranseundum; an non hæc inter se aduersantur? Absit. imò ex hoc facilè colliges summam virtutis dulcedinem, cum lachrym

Preoccupatio.

Dulces lachrymæ piorum.

chrymæ istæ amaræ dulces sint. Sic eas sancti dicunt dulces lachrymas. August. Dulciores sunt lachrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum. Non hoc mihi credas, sed tibi: deplora peccata tua, satiare lachrymis, & continuò conspice cor tuum, videbisq; illud lætitiæ plenum, quietum, tranquillum, cæleste. Et ex hoc collige, quanta sit dulcedo virtutis, cùm amarum illius dulcius sit omni dulcedine vitiorum. Si ei, quod amarum est virtutis, tanta insita dulcedo est, qualis obsecro suauitas inerit his, quæ dulcia virtutis sunt.

In Psal. 127.
N. B.
Amarum virtutis dulce est.

Cùm subleuasset oculos, dulciores, quàm vlla mater habeat. Felix tu, si quando Deus oculos subleuat, te inuenit occupatum in his, quæ Dei sunt: tunc enim respiciet sine dubio te, vt multa bona conferat. Si verò te occupari videat in peccatis, quid faciet? Ad Ierem. loquitur: *Nonne vides, quid isti faciunt in plateis Hierusalem. Filij colligunt ligna, patres succendunt ignem mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli*, Veneri scilicet. Quomodo ego beneficia conferam populo, qui talia agit? Si te vidisset Dominus mare cum Christo transfretantem, vtique misertus tui, magna tibi bona contulisset.

Oculi Christi dulciores quã matris.
N. B.
Ierem. 7.

Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes. Hoc dixit tentans eum. En curat eos, qui eum sequuntur; sed quomodò *tentans eum*? Videtur hoc esse contra illud. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam adeo tentatur: Deus enim neminem tentat.* Resp. Duplex est tentatio. Alia inducens ad malum; & hæc Dei esse non potest, vt Iacob. ait. sed vt ille ait, *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* & dæmon dicitur is qui tentat, & tentator: Et omnis qui ad malum nos inducit, dæmonis officium exercet, tentans nos. Alia est tentatio in bonum, quæ est probare hominem, vt sibi vel alijs innotescat, quid in eo sit ad ædificationem. Aliter enim inimicus te percutere conatur, dum cum eo contendis; quia id in malum tuum est: aliter qui docet te ad prælium, qui gladium contra te vibrat, non vt feriat, sed vt videat, an bene te protegas; quòd si feceris edoctus maneas & tu & alij qui te conspiciunt: sin minus, vt videas inscitiam tuam, discasque in posterum te protegere ab ictu. Hoc secundo modo tentat Deus, & sic dicitur, *Tentauit Deus Abraham*, vt eius obedientia omnibus esset nota. Sic tentauit Iob: & denique *tanquam aurum in fornace probauit ele-*

Iacobi 1.
Tentatio duplex.
Mala.
Bona.
Simile.
Tẽtatio Dei.
Genes. 22.
Sapient. 3.

uit electos Dominus. Sic Deut. 8. Israëlitas Deus. Vnde Psaltes, *Proba me Deus & tenta me.* Sic tentatus Abraham inuentus est fidelis: nos verò sæpe probati aurichalcum inuenimur esse, non aurum: Sic Philippus inuentus est modicam fidem habẽs. q. d. *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto.* Sed qua in re Philippus tentatur? In hac certè, vtrum ex acceptis ac visis Christi misericordijs ac miraculis sciat sperare similia. Pij enim ex his, quæ acceperunt à Deo, beneficijs erudiuntur, vt alia sperent. Sic Abraham cum Eliezer mitteret, vt sponsam filio quæreret, & ille de rei exitu dubitaret, fretus Abraham Dei beneficijs, nutantem seruum his verbis confirmat. *Dominus cæli & terræ, qui eduxit me de domo patris mei, et dixit mihi: Semini tuo dabo terrã hanc; ipse mittet Angelum suum tecum, & accipiet inde vxorem filio meo.* Sic Dauid Absalonem fugiẽs: *Ego,* inquit, *dormiui, & soporatus sum, & exurrexi; quoniam dominus suscepit me.* Sed vnde tanta tibi securitas? *quoniam tu percußisti omnes aduersantes mihi sine caussa* &c. id est, quoniam expertus sum te liberasse me de manu Saulis, confido quod & ab Absalone me liberabis. Sed infirmi in fide erant discipuli Ideo Mat. 16. *reprehendit* eos Dominus, quod panes non sumpserint. *Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? non recordamini 5 panum & 5000. hominum; & quot cophinos sumpsistis? neque 7. panum & 4000 hominum, & quot sportas sumpsistis?* Ex quo monemur, ex antiquis Dei beneficijs nosse in Deo spem habere. In tribulatione es? in necessitate? in tentatione? firmam spei anchoram tene. Sed qua, ais, ratione nitar? Hac maxima. Cogita tecum. Deus me de nihilo condidit, pro me homo factus crucem subijt, sacramenta concessit, quid non à tanta bonitate sperabo? qui maiora præstitit, quomodo minora negabit? qui tanto suo labore necessitatibus meis adfuit, quomodo nunc periculo meo deerit, cui solo nutu occurrere potest? Illud verò summè mirandum est, quod huius spei solatio tam simus destituti in aduersis: sed vt peccemus, hac spe maximè vtimur. Indiges centum aureis nummis, non speras eos à Deo te accepturum, si iustus fueris? & furaris eos, sperans à Deo veniam peccati? Et peccati veniam speras, à quo non speras nummos? quid insanius? Stulte, si Deum adeò misericordẽ dicis, vt tibi inimico veniam tribuat, cur non magis fidis tibi daturum nũmos necessarios, si iustus, fueris & ab co-

Genes. 22.
Psal. 77.
Spes piorum ex beneficijs Dei.
Gen. 24.
Psal. 2.
Matth. 16.
Ex antiquis Dei beneficijs spes in Deum concipienda.
Spes firma.
Spes infirma.
N. B.
In Deo fidendum.

petieris? Misericordem Deum facis ad ignoscendum, & crudelem ad subueniendum inopiæ tuæ? Misericordiam Dei iactas, vt liberè pecces; & non vt, ei fidens, ei seruias. Audi Psalm. *Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere.* Quomodo tibi erit prosperum, quod inique agis: cùm sine Deo nihil sit prosperum In Deo ergo fide, & dic, *In pace in idipsum dormiam & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* *Psal. 61.* *Psalm. 4.*

Accepit panem & gratias agens &c. Saturantur omnes & colliguntur duodecim cophini fragmentorum. Qua in re multa nobis consideranda sunt. Primùm illud sit, quanta misericordia Deus subueniat necessitati illi, quam quis incurrit, vt Christum sequatur. Sequuntur hi Christum, in necessitate sunt: ad Christum res hæc spectat, eis ille cibum præstat. Videt se Susanna in summo discrimine, eo quod noluerit Deum offendere: Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino: ad Deum hæc causa pertinet, eam ille liberat per Danielem. Similis fuit causa Ioseph in carcerem traditi, quia peruersæ fœminæ noluerit assentiri: à Deo liberatur. Adiutor est Deus in omni tribulatione, siue eam naturali necessitate incurramus; siue etiam in eum peccantes in eam inciderimus. Vt manifestum fuit in Iona, cui etiam inobedienti in tribulatione adfuit. Maximè verò accurit ei, qui Dei causa tribulatur. Hinc Psalm. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.* Nec id tantùm bonitas infinita Dei præstat: sed & omnis homo probus, cùm videt aliquem tribulari sui causa, ei accurrit, vt Iosue Gabaonitis. quantò potiùs Deus noster suis? Fœlix ergò tribulatio, quàm incurris, ne Deum offendas: ad Deum hæc pertinet, ille tibi aderit proculdubio. Secundum est considerandum, quomodo multiplicentur panes in Christi manibus: quomodo substantia crescat, cùm in eleëmosynam datur Sic vidua Eliæ dat parum panis, & ei multiplicatur in victum. *Pietas ad omnia vtilis est, promißionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Ideò misericordia oliuæ comparatur, quæ semper viridis est: sic enim misericors hoc tempore & futuro accipit retributionē. Hinc Sap. *Honora Dominum de tua substantia: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.*

Margin notes: 1. *Suos curat Deus.* — Exempla. *Daniel. 13.* *Susanna.* *Ioseph.* *Genes. 39.* *Ionas.* *Ion 2.* — *Psal. 43.* — A simili. — 2. *Multiplicatio panum.* 3 *Reg.* 17. 1 *Tim.* 4. — Comparatio. — *Prouerb.* 3.

Prouer. 11. Et, *Alij diuidunt propria & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Hoc ergò sit tibi consilium: Filium non habes? Deus tibi filij loco sit: pauperes sint tibi filij, & istò in Deum diues. Filium habes? adde filijs tuis aliũ filiũ, D. ũ. s. Et quod alteri filio daturus esses, Deo da in pauperibus. Et cõfide, quòd filius hic te nõ faciet pauperẽ, sed diuitẽ. Tertiũ verò hac in re expendendũ est, Christũ panes diuidere, & discipulis tradere, illi verò turbis. Hic panis doctrina est cælestis. de qua dicitur. *Cibabit eum pane vitæ & intellectus.* Cuique verò pro statuum diuersitate pars huius panis distribuenda est. Aliter enim admonendi sunt hi, aliter illi. vt Gregorius in Pastorali effecit. Sic Paulus discipulum suum admonet. *Solicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* Præstitit hoc Paulus egregiè ad Tit. 2. *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam. & cæt.* Sic etiam Baptista Ioannes panem diuidebat, cùm diceret militibus: *Neminem concutiatis:* Publicanis; *Neminem defraudetis:* Diuitibus; *qui habet duas tunicas, det vnam non habenti.* Si vis ergò partem panis sumere, vide quæ statum tuum deceant. & illa è concione decerpe. Sed vltimò in hoc Christi conuiuio illud considerandum est, Eucharistiam significare. Audi initium Missæ: *Lætare Hierusalem*: non Babylonem inuitat, non peccatores, sed iustos. Sed quomodò ad gaudium tam citò inuitamur qui paulò antè ad luctum hortabatur. Hoc est diuinum ingenium velle continuò lætificare plorantes. Sed quia esse non potest sine conuiuio perfecta lætitia, conuiuium Christus eis parat, quod Eucharistiam significat. Ab hoc enim miraculo sumpsit Christus occasionem de Eucharistia agendi; & ideò se quærentibus ait: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* Et continuò addit: *Caro mea verè est cibus.* Sed quomodo tanto conuiuio digni erimus? Dicat illud Dauidis, *Grande opus est, sed non homini præparatur habitatio, sed Deo.* Grandis exigitur domus Deo tanto. Sed dęmon hanc præparationem iam exaggerat, vt te deterreat à communione: iam facilem reddit, vt non *dijudices corpus Domini.* Duplex est præparatio alia necessaria; alia conuenientior & copiosior. Necesiaria est illa, quam Paulus explicat d. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Sed ais: Cibus comedendus probandus est, non homo comedens. Pincerna

Marginalia: N. B. — Aug. con 1. in Psal. 48 & libr. de. 10. chord. ca. 12. & de disc. Christ cap. 1. — Chrys ho. 25. 33. 69. ad po. — 3. Diuisio panum. — Panis mysticus. — Eccli. 15. — Quomodo distribuendus. — 2 Tim. 2. — Exempla. — Tit. 2. — Lucæ 3. — 4. Eucharistiã significat. — Isaiæ 66. — Cur ad lætitiam inuitemur. — De præparatione. — 1 Paral. 29. — Præparatio ad Eucharistiam duplex. — 1 Cor. 11. — 1. Necessaria præparatio.

cerna cibum probat comedendum, non Dominum, qui esurus est: hîc verò dicitur, *Probet se*, qui comesturus est. Ratio est: quia in hoc conuiuio licèt tu Deum comedas, magis tamen te Deus manducat. Nec tu Deum in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaris in Deum: ideò tu probandus es, non Deus. Sed quomodo me probabo? Respondeo: Bene confitere. Hoc ergò tecum primùm delibera, vt numeris omnibus absolutam facias confessionem. Hoc est mare cum Christo transire, priusquam cibum capias. Ad mare pænitentiæ tibi eundum est, vbi purgationem facies delictorum. Audi Psalm. *Ascendunt vsque ad cælos, descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat*. Vt rectè confitearis hoc mare ingredere: *ascende vsque ad cælos*, videns Deum tibi iratum, iudicium eius tremendum, gloriam, quam amisisti. *Descende vsque ad abyssos*; considera, sepulchrum, mortem, infernum; & tunc *anima tua tabescet*, & rectè cōfiteberis: euomes ore peccata, & bene tibi erit. Sed est adhuc dispositio alia copiosior atque perfectior; cum scilicet non solum à peccato liber accedis, sed consideratione diuinæ bonitatis inflammatus, Christum esuris vehementer. Anima esuriens cibo sumendo aptissima est. Considera quis Deus tuus sit; quoniam totus est desiderabilis, totus bonitas, totus dulcedo. Inter homines conuersans accedit cæcus dicens, *Domine dic, vt videam*: Et ille; *Respice*. Alter, *Leprosus sum*: & ille, *Mundare*. Alter, *Paralyticus sum*; & ille; *Ambula*. *Omnibus benefecit*, omnibus bonus est. Idem nunc Christus Dominus, eadem misericordia & bonitate præditus. *Accede ergò ad eum*, illectus tanta bonitate, quasi si accederes ad eius latus in cruce, & sanguinem lamberes; quasi puer ad vbera matris, vt lactis sugat. Solent matres filios tradere alijs nutriendos: Christus verò non sic, sed pectore suo nos aluit. Aliæ matres parum lac filio dant; Christus vniuersum sanguinem. Quis talem considerans amorem, non amet, non flammescat, & accedat ardenti amore? & cæt.

A contrario.
Aug. libr. 7. Conf. ca. 10.
Concil. Trid. sess. 13. c. 7. sess. 14. cap. 4.
Probatio bona
Psalm. 106.
2.
Copiosior dispositio.
Simile.
Luc. 19.
Math. 8. 9.
Ioan. 5
Chrys. ho. 61. ad pop. et 83. in Math.
Psalm. 33.
Greg. ho. 14. in Ioan. 10.

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM IV. QVADRAGES.

THEMA: *Zelus domus tuæ comedit me.* Psalm. 68. Ioan. 2.

Zelus duplex *D Tho. 1. 2. q. 28 art. 4. Diony. de diuin nominis.* ZELVS amoris effectus est. Hinc Deus appellatur *Zelotes* propter nimium amorem, quem habet ad existentia. Procedit verò zelus ex intensione amoris: quia quanto virtus aliqua intensius tendit in aliquid, fortius repellit omne contrarium. Aliter verò hoc in amore amicitię, aliter in amore concupiscentiæ. Qui intensè aliquid concupiscit, mouetur contra omne illud, quod fruitioni quietæ eius, quod diligitur, repugnat. *Zelus inuidiæ ex concupiscentiæ amore.* Et hoc modo zelant viri vxores: & qui quęrunt excellentiam contra eos, qui excellere videntur. Et iste est zelus inuidiæ, de quo Psal. *Psalm 36.* *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* *Zelus amicitiæ, ex amore amicitiæ.* Amor autem amicitiæ quærit bonum amici. vnde quando est intensus facit hominem moueri contra omne illud, quod repugnat bono amici. Secundum hoc aliquis dicitur zelare pro amico, & quoque pro Deo, quando si quæ dicuntur contra bonum amici, & contra honorem, Dei repellere conatur. secundum illud, *Zelo zelatus sum pro Domino exercituum.* *3. Reg. 19.* Et, *Zelus domus tuæ comedit me.* *Bonus zelus.* *Gl. in Ioã. 2. Aug. tract. 10. in Ioã. 2.* Bono zelo comedit, qui quælibet praua, quæ viderit, corrigere satagit: si nequit, tolerat, & gemit. Ex qua doctrina primùm colligitur, Deum erga nos duplici moueri zelo vel æmulatione. *Zelus Dei duplex erga nos.* Primùm, nos ille sibi diligit, quasi amore concupiscentiæ. Cùm tamen illi nos nihil boni conferre possimus, adhuc tamen erga nos mouetur zelo, quasi maritus erga vxorem suam: atque adeò cùm nos viderit affici rebus alijs præter ipsum, zelare nos dicitur. *1. Vt mariti pro vxore.* Hinc Iacob. *Iacobi 4.* *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo:* Mirum in modum res ista cõmendat misericordiam ac dilectionem Quid nanque nos zelas Deus noster? Quid boni, quid lucri ex nobis capere potes, vt nos zeles? Sed adhuc maximè in nos pro sua bonitate zelo mouetur. *2. Vt Parentis pro filio.* Secùdo verò mouetur Deus zelo pro nobis, sicut parens pro

filio

filio & amans pro amato, cùm videt dilectum ab alio duriter tractari. Hinc cùm Nahum Deum iratum voluit ostendere in Niniuen, causam aperit dicens, *Deus æmulator & vlciscens Dominus, et habens furorem* ideò in vos irascitur, quia in populum eius crudeles extitistis. Similiter Zach. *Zelatus sum Hierusalem & Sion zelo magno &c.* Et Isai de eisdem Assyrijs in Iudæos sæuientibus, *Væ Assur virga furoris mei &c.* Ijs verò omnibus ostenditur Dei in suos singularis dilectio, & ira in eorum persecutores: ideoq; maximè cauendum à persecutione iustorum quia *qui vos tangit, inquit, tangit pupillam oculi mei.* Nahum 1. Ioel 2. Zach. 1. Esaiæ 10. Zach. 2.

Nunc de zelo nostro erga Deum dicendum restat. de quo hodie dicitur, *Zelus domus tuæ comedit me.* Nos diligimus Deum amore concupiscentiæ; atque adeò omnia illa odio ac ira prosequi tenemur, quæ nobis impedimento sunt, ne tantum bonum assequamur, & eo fruamur. Hoc zelo nobis illud efficiendum, *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te & cæt. proijce abs te.* Et, *Qui non odit patrem & matrem adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Sed quia Deum amore amicitiæ diligimus, zelo alio mouendi sumus in omnem Dei offensam atque iniuriam, vt eam sustinere non possimus, sed maximo afficiamur dolore eam videntes. Audi zelantem, *Vidi præuaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Et, *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Nihil enim filius ferre potest, quod sit contra honorem patris. Si nec canem tuum malè tractari pateris, quomodo æquo animo feres Deũ inhonorari? Hic verò zelus in Christo maximus fuit, vtpote à summa in patrem profectus charitate, hic eum comedisse dicitur. Quantus nanque dolor Christo fuerit, patris videre offensas, nulla lingua sufficiet enarrare. Hoc zelo, vt regnum peccati destrueret, seipsum morti libenter tradidit, & sanguinem copiosè fudit; & vt peccatum secum crucifigeret, se permisit cruci affigi. Et hic nobis imitandus zelus est, vt peccata tum nostra tum aliena vitemus. Hoc zelo accensus Phinees, qui coeuntes gladio transfigens *iram Dei* iratus *placauit.* Hoc zelo accensus Mathatias Iudæum, sacrificantem idolo, *trucidauit illum super aram, & zelatus est legem.* De zelo hominum duplici. 1. Matth. 18. Hieron ibid. Lucæ 14. 2. Zelus. Psalm. 118. Simile. Zelus in Christo maximus. Exempla. Num. 25. Greg. ho. 15. in Ezech. 1. Mach.

Ex hoc etiam zelo ardenti illud effectum est in

 Chri-

Christo Domino, vt etiam violari ea, quę patris sui essent, æquo animo ferre non posset. Hinc *flagellum facit ex funiculis, & mensas subuertit*, zelo patris commotus.

Auaritiæ idolum in tẽplo. Quid verò indignum in templo suo viderit, videamus. Vtique *ementes, vendentes, nummularios*. qui nummos commutabant lucri causa, & ad vsuras dabant. Vidit ergò in templo suo auaritiæ idolum: & quia illud in cordibus suis habebant, illud esse in templi vestibulo patiebantur.

Ezech. 8. En hodie *gloria Domini*, Christus Dominus, templum ingreditur, vidensq́; in illo idolum Auaritiæ, zelo permotus illud demolitur. Nam hac in templo esse prorsus indignum est, ac detestandum.

1\. *Reuerentia templo qualis habenda.* *Aug. tract. 10. in Ioa. 2. Matth. 21. Beda ho 40. Chrys. ho. 15. Apoc. 22. Exod. 3.* *Ingredienti templũ quid faciendum.*

Quo etiam facto Christus Dominus docet, qua in reuerentia templum habendum est, & quàm longè ab eo esse debeant omnia illa, quæ Dei oculos non delectant. *Auferte*, ait, *ista hinc*. Quidnam faceret Christus Dominus, si ibi libidinosos oculos conspexisset? si detractores? &c. An non flagello eos foras misisset dicens, *Foris canis, & omnis, qui amat mendacium*? Maxima certè reuerentia ad templum nobis accedendum est. Moysi dicitur: *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est*. Inuolucra ergò pone omnium carnalium cogitationum, cùm templum ingrederis. Dominus Angelorum bonorum vel malorum opera atque etiam hominum industria improbos flagellat: Solum vero nouimus templi violatores manibus suis flagellasse: quo ostendit, summè offendi templi irreuerentia.

2\. *Irreuerentia templi cordis nostri.* *1. Cor 3.* Simul verò nos edocet, quo zelo moueatur, cùm in templo cordis nostri, quod illi potissimum est habitaculum, abominationes viderit vitiorum. Audi Apostolum. *Nescitis, quia Dei templum estis. & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Ingredere ergò templum cordis tui, & vide quot vitia in eo

N. *Hebr. 9. 2. Cor. 7.*

sint: inspice superbiam, auaritiam, luxuriam &c. & plange, clama in cælum templum tuum emunda *Emundemus conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti*, & tunc iure dicemus, *zelus domus tuæ comedit me.*

Primùm in templum venit. *Bis eiecit vendentes.*

Ascendit Iesus Hierosolymam. Tempus enim Paschæ instabat, & primùm omnium in templum diuertit, vtpote in domum suam: quo etiam nos docet, *primùm quærendum esse regnum Dei*. Bis verò de templo eiecit vendentes & emen-

mentes: nunc initio prædicationis suæ & in fine, cùm ramis exceptus est. primò quidem mitius quàm postea: sed in vtroque diuina vsus est authoritate. Homo nanq; pauper & humilis neutiquam posset tanta authoritate multos homines extùrbare de templo, nisi eis timorem incuteret ex diuina virtute in vultu elucente, eo modo quo cùm comprehenderetur, ait, *Ego sum*, & omnes inimicos prostrauit. Sed non immeritò quæritur, cur in his vitijs corrigendis non vsus sit verbis solis; sed & *flagellum fecerit?* Hoc facto hominum mentes excitare voluit, vt eius audirent doctrinam, & quis ille esset, considerarent. 2. hoc facto significauit Dominus Iudæos ab Ecclesia reijciendos, & gentes admittendas. 3. Insigni hoc facto se ostendit Dei & templi zelatorem; vt deinde non violator diceretur legis, si Sabbatho curaret. 4. Hoc etiam facto ostendit Christus abusus publicos omninò non tollerandos, sed eradicandos verbis duris, & factis etiam. Verba enim sola parum efficere solent, vt inueterata vitia tollantur. Flagellum verò cùm sit patris in filium, magistri in discipulum Domini in seruum, imperium ostendit, ac Dominum: sic ergò imperio maximo in vitia prædicator esse debet. Hinc Paulus Tito: *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* Væ terræ, cùm prælati & prædicatores flagello carent, cùm vitia non capiunt cum imperio. Sunt verò aliqua peccata omninò non ferenda, contra quæ flagello opus est.

Authoritas diuina in homine paupere.
Ioan. 18.
Cur flagello vsus.
1.
Cyri. in Ioã. lib. 2. *ca* 29.
Chrys. ho. 22. *in Ioan.*
2.
Abusus publici non sunt tolerandi.
Tit. 2.

Sed expendendum est verbum illud *Fecit quasi flagellum de funiculis.* Sed quid Christo cum funiculis? Multum per omnem modum. Sicut enim Dauid *mensus est duos funiculos, vnum ad occidendum, & alterum ad viuificandum* in Moabitis: Eodem pacto Christus Dominus duplici vtitur funiculo. Alter misericordiæ funiculus est, de quo Proph. *In funiculis Adam trabam eos, in vinculis charitatis.* Hi verò funiculi, quibus homines à Deo trahuntur, innumera eius beneficia sunt, quibus nos sibi deuinxit: maximè verò incarnationis mysterium, quo Deo maximè debitores sumus. Sed est alter Dei funiculus, ex quo flagellum efficitur, qui dicitur esse ad mortificandum, quo diuina vltio significatur in peccatores, quæ in hac vita exercetur. Sed expendendum est verbum istud, *Quasi flagellum.* quod diminuit vim animaduersionis. Duplex nanque est

Funiculi in flagello.
2. *Reg.* 8.
1. *Funiculus misericordiæ.*
2. *Funiculus mortificationis.*
Duplex in iniustos di-

alna vltio. in iniustos diuina vltio Altera in vita futura, & illa est durissima, vtpote æterna, & summis cruciatibus exercenda: Altera verò in hac vita, & hæc misericordiæ plena est, de qua Iob: *Nunc enim nō infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valdè.* Est tunc, est & nunc. Tunc furorem infert, nunc paterum castigat; tunc *vlciscitur scelus valdè*, nunc vltionem patris exhibet. An non valdè magna vltio est pro momentaneo delicto æternus cruciatus? Qui ergò cruciatibus huius vitę non resipiscunt, durissima expectent flagella scorpionum. Qui suaue Christi iugum detrectant, durissimum & ferreum sustinebunt.

Vna futuræ vitæ durissima.

Iob 35.

Altera in hac vita mitis.

N. B.

Sed Iudæi videntes hoc factū cùm calumniari non possent, redarguere eum volunt, quòd ad illud potestatem nō habeat (licet enim malefactores puniendi sint, sed ab habente potestatem) hinc ei dicunt: *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* q. d. Signo aliquo ostende te Dei filium, & potestatem habere hæc faciendi. Quibus Christus respondet. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Idem dixit posteà: *Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* q. d. Crucifigetis me & ego suscitabo meipsū, & in morte ac resurrectione mea talia signa præstabo, vt cognoscatis me Deum esse, & potestatem habere è domo mea pellendi quos ea indignos iudico. Quod verò ait, *Soluite;* 1. non est verbum præcipientis, sed præscientis & permittentis: 2. comminatoria sunt etiam verba, quibus ruinam minatur Iudæorum. q. d. vos studebitis soluere templum corporis mei per mortem, vt conseruetis hoc materiale templum vestrum: occidetis veritatem, vt conseruetis vmbram: sed ego excitabo templum corporis mei, & tunc vestrum soluetur & destruetur. nam veritate præsente vmbra cessabit. Conqueruntur isti, quòd eijciantur de templo: peiora patiētur, cùm Christus suum corpus excitabit: quia illi tunc occidentur, & tēplum funditus euertetur. Licet verò plura alia signa Iudæis data sint, sed potissima data sunt in Christi morte & resurrectione, quando multi ex Iudęis conuersi sunt; & illa tunc exhibita plures ad Christum traxerunt, quàm alia omnia.

Signum est mors & crucifixio.

Ioan. 8.

Cyril. lib. 2. ca. 32. in Ioā. 2.

Atha in ora. cont. Arian.

Maxima signa in morte Christi.

Matth. 27.

Act. 2. 3. 4. 5. 1.

Ex his in nostram ædificationem primò est adnotandum, vt Christum sequaris, vt virtutis viam ingrediaris, signa & miracula velles, vt te Deus promoueret vt Paulū, vt Magdalenam: contrà verò vt mundum diligas, vt quæ illius

Signa quo modò petenda.

Illius sunt sequaris, nullum vel leuissimum signum, quæris. Vt ergò virtutis viam teneas signa nulla petas, sicut sancti solent: vt verò quæ mundi sunt sequaris, vt honores admittas, prius signa quære diuinæ voluntatis. Secundò colligendum est, vt inter omnia Dei signa, præcipuum nobis signum sit Christi mors & resurrectio: & postquam hoc nobis exhibitum est, nullum iam petendum restat. Quidam signa petunt, vt Deo adhæreant, putantes se fame consumendos, si virtutem colant. Interroga à meretrice, ab vsurario, quare turpia lucra sectentur, dicent: Fame peream, nisi hoc egero: da tu mihi cibum miraculosè, & ego Christum sequar. Meritò ad hos loquitur Sapiens: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum*. Putas ne Deum durum esse, auarum, & austerum? Inimicum pascit & amicum derelinquet? Non audisti; *Non vidi iustum derelictum?* Sed si certissimum signum quæris, audi supremum signum, Christi mortem & resurrectionem. Qui tui causa mortuus est, qui tibi sanguinem dedit, cibum negabit? Qui resurgendo immortalia tibi promisit, temporalia negabit? Sit tibi ergò satis hoc signum, quo maius nullum excogitare vales. 2. *Præcipuum signum mors Christi.* N. B. *Sapient. 1.* *Psalm. 36.*

Maxima signa illo Paschate à Christo perfecta sunt, propter quæ *multi crediderunt in eum: Ipse verò non credebat semetipsum eis; quia sciebat, quid esset in homine* id est, non fidebat eis, vt securè versaretur cum eis. Ideò licet ad eum accederent, nolebat eos sibi comites adhibere, nec esse arcanorum conscios: sciebat enim eos inconstantes. Vellet nunc quisque fidelium, cùm ad Deum accedit, continuò ab eo in secretissima quęq; recipi. Sed Deus non omnibus se credit ad eum accedentibus. Quibus ergo? Certè probatis amicis. his se credit, his se adiungit libenter, his arcana reuelat. Audi Sapient. *Si possides amicum, in tentatione posside illum* id est, priusquàm te totum amico tradas, tenta illum, ne fortè subsanniet te. Prius ergò suos Deus probat: & qui in tentatione fidelis inuentus est, felix omninò euadet; quia Deus se illi credet. Illi Christo amici probati sunt, ad quos ait: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Quod si fidelis fueris, audies: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* *Christus cur se Iudæis credentibus non credat.* *Quibus se Deus fidat.* *Eccli. 6.* *Luc. 22.* *Apoc. 2.*

FERIA

FERIA QVARTA POST DOMINICAM IV. QVADRAGES.

THEMA: *Præteriens Iesus vidit cæcum à natiuitate.* Ioan. 9.

Gloria Dei mirabilis. HODIE Dei gloria ostenditur, sicut Christus ait: *Sed vt manifestentur opera Dei*. Et hæc gloria mirabilis planè in literæ cortice apparet, cùm à seculo non sit auditum, quòd aperuerit quis oculos cæci nati. Sed multò mirabilior apparet in eo, quod interius latet, ac significatur, oculos scilicet mundo per Christum redditos cùm cæcus esset à natiuitate. *Cæcitas mundi vnde.* Condidit initio Deus hominem videntem, vt naturalia cuncta cognosceret, insuper Deum ipsum. Inuidia motus est in eum dæmon, eum decepit suadens in oculis illius albuginem esse, esu ligni vetiti tollendam dicens, *Aperientur oculi vestri*. *Genes. 3.* Sed prouenit homini ex hoc, vt peccati nubes oculis superinduceretur, qua cæcus & in tenebris relictus est. Infirmitas illa capitis fuit transmissa ad posteros. Omnes ergò Adæ *filij cæci nascimur filij iræ*, sine fidei & gratiæ lumine. *Ephes. 2.* factusque mundus est populus, qui *habitat in tenebris*. *Isai 59.* Misera profectò respublica, in qua omnes cæci essent. *Ambulabant vt cæci, quia Domino peccauerunt.*

Remedium cæcitatis. Sed quod remedium malis tantis? *Præteriens Iesus vidit cæcum à natiuitate.* Exiuit modò de templo Iesus; & præteriens vidit hunc cæcum: sic exiuit de sinu patris, & venit in mundum, *illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent*. *Exitus Christi.* *Luce 1.* *Exiuit à patre, & venit in mundum*: & præteriens quasi viator pertransijt miserias nostras, factus *lux illuminans omnes homines*: *Ioan 1.* & hoc fecit *expuens in terram*. *Eccli. 24.* Saliua diuinam sapientiam significat: *Ego ex ore altißimi prodiui.* terra humanitatem. Factum est ergò nobis cæcitatis remedium, cùm *Verbum caro factum est*. *Ioan. 1.* Est quidem toti mundo remedium; applicatur tamen fidelibus solum, vt dicere possint, *Lutum posuit mihi & video*. Per Sacramenta enim regenerati sumus, in aquis Siloe visum recipimus, fidem & gratiam. Sed quanti hoc beneficium à nobis est habendum: *Verè non fecit taliter omni nationi*. *Psal. 147.* Hoc est beneficium

illud

illud Israëli collatum. Quòd cùm in vniuersa AEgypto palpabiles essent tenebræ, *vbicunque habitabant filij Israel lux erat.* Quia *ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus lux tua.* Extra Ecclesiam vniuersa tenebræ sunt. Quàm lætus hic cæcus lumine recepto, tam lætus esset Christianus, qui hoc lumine cælesti illustratus, à cæcitate liber factus est. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* Et, *Omnes vos filij lucis estis, & filij diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.* Sed fidelis qua excusatione se tueri potest, qui hac luce accepta in cæcitatem redit. Curat omninò dæmon hominem excæcare re minima ac peritura vt Thobiam stercore hirundinis; vel delectatione sensuali, vt Sampsonem à Dalila; si non fidem tollendo, saltem consideratione illius, sanamque mentem. Vis nosse te cæcum esse? corpus nimium curas, animam negligis, quę tanto potior est: vitæ miseriæ ac breui sic prospicis, æternæ obliuisceris. An non hæ palpabiles AEgypti tenebræ? *Fouea profunda est meretrix, cui iratus est Dominus, incidet in eam;* tam profunda fouea est, vt vsque ad inferos penetret: nec tu id vides, nonne cæcus es? Vidisti, concupisti, quomodo dicis, Video? Vindictam sumpsisti, & coram hominibus gloriam inimici tui abstulisti, tu verò amisisti gloriam, quæ à Deo solo est, quomodo ergò dicis, Video? Sed aduertenda alia cæcitas nobis à natura insita, qua cum nati sumus. In nobis fertur voluntas sua actione ad res, quas diligit, intellectus verò, vt nobilior, trahit eas ad se per species intelligibiles. Sed res, quæ altiores sunt intellectu descendere debent, multumque perfectionis suæ occultare; quoniam intellectui debent proportionari, qui inferior est. Itaque quod addit perfectionis intellectus rebus se inferioribus, eas eleuans; hoc adimit superioribus eas deprimens. Hinc prouenit, quod rem terrenam nondum habens summè desiderasti: & eam adeptus despicis, videns non tantum esse bonum, quàm antè apparuerat. In spiritualibus verò contra contingit, Depresserat eas intellectus, ideò non tantas credebas esse; sed cùm eas experiris, multò pretiosiores vides quàm putaueras, & accedit illud, *Qui edunt me, adhuc esurient.* Vnum hoc ego tibi vellem persuadere. Multa audisti de virtutis dulcedine, de cælesti delectatione; an non vel curiositate ductus curares hæc aliquan-

Allegoria. Exod. 10. Isa. 60. *A comparatione.* *Ephes. 5.* *1. Thes. 5.* *Dæmonis studium in cæcando.* *Cæcitas afflata.* *Cæcitas proba.* *Cæcitas insita.* *Voluntatis & Intellectus differentia.* *Terrenarum & spiritualium rerum diuersitas.* *Eccli. 24.* *N. B.*

aliquando probare an ita se habeant? Si modo diceretur,
Simile. Immensus est thesaurus in agro; vel monstrum non vi-
Psalm 33. sum, illuc accederes curiositate motus. An non hic simile
Quomodo probandum an virtutis via dulcis. perages? *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Vis probare & tentare, an suauis sit virtutis via? Saltem per hebdomadam ab omnibus alijs te expedire cura, & soli Deo & saluti animæ tuæ vaca, omninò te Deo trade, DEVM semper in mente habe, ei omninò placere stude; & tenta ac proba viam istam qualis sit.
Dan 1. Hæc est probatio illa, *Tenta nos, obsecro, seruos tuos diebus*
Terra cæcat. *decem.* Cæco visus restituetur terra & saliua Christi. Terra à longe conspecta te cæcauit: terra, tibi admota, videntem faciat. Nimium temporalia desiderasti, adeptus es ea nec id reperisti, quod putaueras. Idem cogita de alijs caducis.
Saliua mystica illuminat. Saliua significat saporem internæ contemplationis, admoue oculis saliuã istam, experire spiritualia exercitia, te illis trade, & cæcitas pelletur à te. *Quis est homo, qui*
Marc 7.
Psal 33. *vult vitam, diligit dies videre bonos?* Sed audi quomodo id assequi possis. *Diuerte à malo, & fac bonum*, inquire pacem. & cæt.

Sed sigillatim expendamus, quæ in huius cæci curatio-
Luc. 18. ne facta sunt, vt nostra simul videre possimus. *Præteriens*
Actor. 10. *Iesus.* Magna transiens operatur, Sic enim cęco, qui erat iu-
Christus quã do pertransit. xta Iericho, visum restituit, præteriens viam. *Qui pertransijt benefaciendo & sanando omnes.* Vt intelligas præterire Christum, si te vocat: ideò continuò accedas, ne omninò pertranseat. Est tibi nunc diuina inspiratio, audis concio-
N. B. nem, vidisti amicum mori; transit Deus, responde ei. Vocat te Deus tuus? Hodie, ais, non possum: cras minus poteris: nec sufficit benè cæpisse, sed rem ad exitum perducere opus est. Accede ergo ad Christum prętereuntem, vt à cę-
2. citate liber sis. 2. Intuitus est Christus cæcum attentè, vt discipuli interrogarent: *Quis peccauit, hic an parentes eius? vt*
Misericordia maxima ob peccata puniri. *cæcus nasceretur.* id est, Cæcus hic natus est propter originis peccatum, an propter peccata parentum? si propter peccata te Deus punit maxima est misericordia. *Propter iniquitatem corripuisti hominem.* gratias age, quod cum infernum
Psalm. 38. merueris, minori supplicio contentus est. Cùm te videris tribulari, si perquiras, multas inuenies causas; quia peccasti, & vt plus tibi sit meriti, sicuti Iob sanctissimo, & vt ab amore huius vitæ abstraharis. Sed quando alia non esset

præter

præter voluntatem diuinam & gloriam eius, hæc satis est.

Me oportet operari opera eius, qui misit me. Fidelis profectò minister, fidelis filius, qui operatur opera patris sui. Sed quæ tu opera operaris? Num vt diues & potens sis? Si hæc opera operaris, non Dei filium te præstas, sed dæmonis. Occupatio filiorum Dei est in diuinis operibus: filiorum huius seculi in operibus luti & lateris, sicut Pharao præcipiebat filijs Israël. Christi opus erat, nostram salutem operari, ad quam missus erat. Tu salutem tuam similiter operare, cogita ad quid te miserit Deus. Num vanè in hunc mundum veni? *Nunquid vanè constituisti omnes filios hominum?* Non te fecit Deus, vt pecudum more, caducis intendas, sed ad beatitudinem promerendam. Si hoc non agis, nihil agis. *Christus fidelis minister.* *Quàm infideles nos simus.* *N. B.* *Exod. 1. et 5.* *Cogitatio salutaris.* *Psalm. 88.*

Donec dies est. Venit nox quando nemo poterit operari. Dies enim tempus est operis hominis. Dies Christi vita eius fuit, in qua laborauit. Similiter nobis est dies & nox: dies vita presens, in qua nobis laborandum est, & merendum: veniet alud seculum, quo nullum est meritum nec demeritũ. Ideò Apost. ait: *Dũ tempus habemus, operemur bonũ ad omnes.* &c. Veniet enim tempus, de quo dicitur. *Amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Ratio verò huius est; quia opera nostra sunt meritoria ex diuina acceptatione: qua cessante nullum est merium. Ideò *Quærite Dominum, dum inueniri potest.* Breuissimum nobis concessum est tempus; iam dicitur dies vna, iam vna hora, iam instar puncti: ne ergo illud in vanum elabi permittamus. Si rex tibi donaret ciuitatem hac lege, vt intra horam priuilegium scriberes; quanta sollicitudine curaret donationem scribi. Quomodo ergo tu negligis salutis tuæ donationem scribere, quæ tanto potiori loco tibi habenda esset. *Dies mysticè.* *Dies & nox nostra.* *Galat. 6.* *Apoc. 14.* *Opera nostra quomodo meritoria.* *Isa 55.* *Breuißimũ tempus nostrum.* *Iob 20.* Simile.

Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Si Deus de se non loquitur, nullus eum agnoscet. Sed de se non potest loqui nisi magna. Quid mundus ante Christum? Tenebræ Aegypti, & cæcitas immensa. En Christum lucem mundi, en mundi idola prostrata, diuitias, honorem, & scientiam. Cùm enim mundus vidit hæc à Christo despecta, ipse similiter despexit, & cęperunt hominibus grata esse martyria, paupertas, crux. &c. Fuit aũt *lux* Christus, *Mundus ante Christum tenebræ.* *Lux mirabilis.*

sed

N. B. sed *lux fulguris* citò abscondita. Floruit aliquo tempore humilitas, paupertas, stultitia crucis: sed vbi iam hæc sunt? Honores affectamus, diuitias congregamus, iudicio nostro fidimus. Quis iam diuitias contemnit? quis honores abijcit? quis crucem sequitur? Verè cæci sumus non videntes æterna. Sed omnes ergò pauperes esse debemus & abiecti? O miser, esto tu pauper & humilis: non deerunt superbi ac diuites: relinque diuitias, non deerit, qui rapiat eas: esto tu videns ac prudens, non deerit, qui cæcus sit. Dicis non consulam honori meo, æstimationi meæ? En funiculum vanitatis, de quo Isaias. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis. Emitte domine lucem tuam & veritatem tuam.* Christus in cruce est *lux meridiana*, ostendens à te despicienda esse omnia, quæ mundi sunt. Dubitas, quomodo substantias, honores acquiram? quomodo me induam, conuersabor, manducabo? Aspice lucem Christum, illum sequere; *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.*

An pauperes omnes esse debeamus.

N. *Funiculus vanitatis.* *Isai.* 5. *Psalm.* 42.

Lutum mysticè quid significet.

Hæc cum dixisset, expuit in terram, fecit lutum. &c. Sed quid homini cum luto? An non ex luto factus est homo? Vas animæ pretiosæ ex luto fecit, vt eum humiliaret. Sed quid
1. luto cum visu? excæcat enim illum. Quomodo ergo luto
2. visum dat Christus? 1. incarnationis mysterium significa-
3. tur, vt diximus. 2. experientia mundanorum & cœlestium.
2. Cor. 10. 3. qua fide illuminat. Sed fides illuminat excæcando; quia fides est assensus certus sed ineuidens: instruit intellectum, sed *captiuans illum*. Velata facie Deus à nobis videtur. In his ergò, quæ fidei sunt, vela faciem: sed crede. 4 lu-
4. to visum restituit: quia sæpe Deus saluti nostræ consulit ijs rebus, quibus nos putamus perdendos esse. Tollit à te Deus substantiam, maritum, filios, &c. & te perdi credis: successu temporis videbis ea salutem animæ tibi parare. Huiusmodi sunt Dei medicamenta, contraria voluntati nostræ, carni molesta, humanæ prudentiæ aduersa. Quis crederet à Deo Ioseph eleuandum, cum venditus, & in carcerem detrusus? Sed ea arte eum Deus in sublime sustulit. Sic ergò tribulatione te Deus curat; *ne ergo deficias, cum ab eo corriperis.* Claudis luto oculos, ne forte eruantur tibi, sicut Sedechiæ à Rege Babylonis. Melius tibi multò erit, oculos mortificari, quàm erui; corpus affligi, quàm in ignem tradi.

Medicamenta Dei contraria voluntati nostræ. *Gen.* 37. 39. 41. *Prouerb.* 3. N. B. 4. *Reg.* 25.

Vade ad natatoria Siloe, id est, missus est. Fons erat ad radices mon-

ces montis Sion, à quo procedunt hæ piscinæ. Hic fons Christum significat, qui *missus* dicitur. Eius verò piscinæ, in quas aqua fluit, Sacramenta sunt, & doctrina illius, in quibus cæco lumen redditur. In Baptismo lumen fidei & gratiæ recipimus: in reliquis Sacramentis similiter gratia Christi participatur. It nunc cum silentio Christi aqua, sicut aquæ Siloe, & doctrina eius deriuatur ad te; venit ad te, rogat te mansuetè, vt ea te laues, vt videas. Abijcis has aquas nunc, cum mansuetudine venientes, quæ possunt *saluare animam tuam.* veniet aliquando tanquam aqua fluminis fortis obruens te, vt pereas.

Fons Christum significat. *Siloe piscinæ Sacramenta.* *Isai. 8.* *N. B.* *Iacob. 1.*

Abijt, ille & lauit, & vidit. Notanda obedientia cęci huius. Imitatus non superbum indignantem Naaman, sed humilem Abraham Dei præcepto exeuntem, & nescientem quo iret. Qua ergò dij monstrant eundum est, etsi ratio lateat. *Alij dicebant, quia hic est alij, non.* Tanta enim fuit hominis mutatio per gratiam, vt non idem videatur. Vngitur Saul, & *mutatur in virum alterum.* Sic homo, accepta gratia, *noua fit creatura.* Hæc *mutatio dexteræ excelsi.* Qui mutari se non sentit in Sacramentis, timeat ne fortè non sit inunctus. Fit enim in iustificatione de terra cęlum; de bruto Angelus; de filio dæmonis filius Dei. *Et cæcus ait: Ego sum,* qui fui cæcus, qui mendicus. Quando te laudari videris, dic intra te: *Ego sum,* qui cæcus, qui miser, qui peccator fui.

Obedientia cæci. *4. Reg. 5.* *Genes. 12.* *Mutatio hominis per gratiam.* *1. Reg. 10.* *Galat. 6.* *Psalm. 76.* *Iustificationis effectus.* *Laudis compreßio.*

Quomodò aperti sunt oculi tui? Si modò aliquis cæcus visum reciperet, continuò ad eum venirent cæci omnes interrogantes hoc ipsum. Vides te in anima cæcum, cur non interrogas, quomodo cæcitatem expulerint? Dicent tibi, Sacramentis, pænitenti vita, consideratione cælestium, custodia sui. Quomodò tu non accedis, ad ea vt videas? *Vocant Pharisæi parentes eius, & illi dicunt: Filius noster est. & cæt.* ideò ausi non sunt Christũ confiteri, *ne è synagoga fierent.* Sed mirum est, quòd parentes cæci non audent Christum confiteri: Martha autem coram omnibus dicit, Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, nec timet extra Synagogam fieri. Martha nobilis & illustris fæmina erat; qui verò huiusmodi sunt, nihil à iudicibus timēt, in eos non exercetur vindicta publica, sed in pauperes patres cęci mendicantis. Omnes enim iudex quasi aranea in paruas illabitur muscas. quo contra scriptum est. *Noli quærere fieri*

Simile. *Interrogandum, quomodo cæcitas pellenda.* *Parentum cæci & Marthæ comparatio.* *Illustres non timent.* *N. B.* *Pauperes timēt iudices.* *Eccli. 7.*

rere fieri index: nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Maledixerunt ergò ei & dixerunt: Tu discipulus illius sis. &c In nos sit ista maledictio, *Tu discipulus illius sis*: Sicut Rebecca ad Iacob ait. Nam *maledicent illi, & tu benedices.* Et: *Maledicam maledictionibus vestris; & maledicam illis.* Ostenditur verò gratia, quam iste recepit in fortitudine, qua cum Pharisęis pro Christo contendit. Nihil enim timidius paupere. Sic confortati sunt gratia martyres, vt tyrannos despicerent. Contrà verò potentes, si peccatores sunt, humano timore deprimuntur, ne multa bona agant: timent enim folia verborum, eorum scilicet, qui eis oblatrare possunt. Horum est maledictio: *Dabo pauorem in cordibus eorum. &c.*

Geneſ.27. Pſalm.108. Gratia fortitudinis in cæco. Illuſtres timent verba. Leuit. 16. Deut.28. Prouerb. 28.

Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum, dixit ei, Tu credis in filium Dei? Respondit ille & dixit; Quis est Domine, vt credam in eum. Et dixit ei Iesus. Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. Attende, quomodo muneret eum, qui pro eo passus est persecutionem: quia *iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde.* Ideò ait. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines & cæt.* Sed quæ remuneratio horum? *Ego manifestabo ei meipsum hic* & in patria. vbi *merces vestra magna erit.* Quia profecerat cæcus prima misericordia à Christo recepta, oculorum lumine, pro Christo fortiter pugnauit; addidit ei secundam misericordiam, prima multò potiorem, se illi manifestans. Dicis sæpè: O si Deus magnam mihi gratiam conferret. Dico tibi, vtere bene gratia parua, quam accepisti, & maiorem recipies. *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Habenti dabitur, & abundabit.* Sic cum cæco hoc factum est. Et quem mundus à se proijcit, Deus recipit. Eiectus hic à Synagoga fuerat, sicut illi quib. dicitur, *Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* Sed Deus eos recipit.

Merces perſecutionis paſſæ. Pſalm.33. Matt.5. Primæ miſericordiæ adeptæ additur ſecunda. Matth.25. Deus recipit quos mundus reijcit. 1.Cor.4.

(****)

FERIA

FERIA QVINTA POST DOMINIC. IV. QVADRAGES.

THEMA: *Ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim.* Lucæ 7.

OB oculos nostros hodie mors proponitur, quæ primus peccati effectus est. Et cùm omnis effectus causam repræsentet, mors sine dubio peccatum ostendit, eiusque est expressa effigies: qua ratione peccatum sæpissimè in Scriptura mors appellatur. Sed triplex est mors, animalis, rationalis, & peccati, sicut & vita triplex est, animalis, rationalis, & gratuita Animalis vita est coniunctio animæ cum corpore: mors animalis est separatio animæ à corpore. Rationalis vita est, cùm ratione vtitur: rationalis mors est, quando rationis motus cessat, & ratione cessante opera à ratione aliena & belluina exercentur. Vita gratiæ tunc in te est, quando gratiæ opera præstas Mors peccati est, quæ hac gratia priuat: & *mors ista est omnium pessima*: de hac loquitur Sapien. *Homo per malitiam occidit animam suam. &c.* Hanc verò esse pessimam mortem, liquidò constat ex vitæ, qua priuat, magnitudine ac excellentia. Vita nanque gratiæ longè superat omnem naturalem vitam ac perfectionem, & si omnia naturalia conferas cum minima gratia, illa omnia quasi nihil erunt. Vide, quanti sit æstimanda diuina gratia: est enim supernaturalis. Hinc Petr. *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ* Fiunt enim principes, & *hæredes Dei, cohæredes autem Christi; & filij Dei.* Hinc verò collige, quàm sit horrendum facinus illud, quod peccator lethaliter peccat: sibi nanque vitam adimit gratiæ, vitam diuinam, vitam excellentissimam, & *in nihilum computatur* in domo Dei. Horremus, audientes quempiam sibimet mortem consciuisse: Sed cum tibi-ipsi per peccatum vitam gratiæ adimis, multò in te crudelior existis, quàm si omnem naturalem vitam ademisses. Hinc Raphael *Qui faciunt iniquitatem & peccatum, hostes sunt animæ suæ.* Sed quomodo tam facilè peccatũ admittis.

Mors primus peccati effectus.

Mors peccati effigies.

Mors triplex & vita.

Animalis.

Rationalis.

Spiritualis.

Psalm. 33.

Sapient. 16.

Peccati mors pessima & quare.

2. *Petr.* 1.

Rom. 8.

Mortaliter peccare quantũ facinus.

Sapien. 9.

Comparatio.

N. B.

Tob. 12.

Psal. 10.

Simile elegans. Si tibi sitienti porrigeretur aqua veneno infecta, & cum bibere velis, hoc audiens, continuò contines manum tuam: sic qui sititis alienam substantiam, vel vxorem, vel vindictam, & auditis; *mors in olla, mors in olla*, veneno plena potio illa est, *vsque quo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient?* Summè ergò nobis peccatum cauendum, vitandum, fugiendum, huius vel nomen pertimescendum; huius vel leuis occasio fugienda, hæc verè mors est omnibus vitanda modis.

4. Reg. 4. Prouerb. 1.

Remedium mortis peccati. Sed ais: Peccati mortem incurri, estne mihi remedium? Est vtique. Veniat *Iesus in ciuitatem Naim*. Si enim ille ad peccatorem non venerit, peccator ad eum non accedet. *Venit Iesus in mundum peccatores saluos facere. Et cum appropinquarent porta ciuitatis*. Portæ Christus appropinquat, quia, *Ego sto ad ostium*, inquit, *& pulso*. Summa Dei misericordia hoc facto nobis significatur. In porta Christus Dominus est, qua omnes transeunt, vt eum facilè inueniant, etiam mortui exeuntes. Sicut Dauid *rex sedit in porta, venitque vniuersa multitudo coram rege*: sic Christus Dominus in ianua est, in porta sedet, ac te expectat. quem *proposuit propitiatorem in sanguine ipsius*. Etiam si Saluator noster in finibus terræ esset, illic quæreremus eum; sed nunc ad ianuam domus nostræ cum sit, non eum quærimus? quo facto inexcusabilis redderis, si ad eum non accedis. Meritò nos Petrus monet. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij, perfecti, sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam*. Gratia dicitur nobis offerri, hoc est Christum in porta esse; ad illum ergò accedamus. Quid quòd cùm mors inter duas ianuas sit acta (nam hinc porta est ciuitatis, inde Christus Dominus, qui est ostium) ab ea defunctus eripitur: & de morte facilè triumphus reportatur.

1. Tim. 1. Apoc. 3. Porta Christus. 2. Reg. 19. Christus in porta. Rom 3. A maiori ad minus. 1. Petr. 1. Gratia nobis offertur.

Fructus terræ in Naim. Sed quomodo Christus in Naim excipitur? *Ecce defunctus efferebatur*. Hic fructus terræ est, quem Christo Domino largiuntur, vt numusculum venienti ad eos. Hæc verò Christo Domino proponuntur in porta, antequam ingrediatur, (sicut regibus euenire solet, qui iurant priuilegia ciuitatis obseruare) vt quasi iuret se oppetiturum mortē pro hominibus, vt sic *viuorum & mortuorum dominetur* morte hoc regnum acquisiuit. Quis hominum huiusmodi regnum non renueret, si ei diceretur: In regem quidem assumendus es, sed corona, qua ornandus es, spinea

Simile. Rom. 14. Comparatio.

erit

erit, & thronus crux, & regni statuta, mors obeunda? Sed Angelorum rex, vt regnet in homines, regnum huiusmo di non recusat, sed ait, *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam. Deus meus volui*. Verè *factus est principatus super humerum eius*. Ostendit verò non ductum esse amore sui, sed nostri, vt regnum accipiat. *Psal. 39.* *Isai. 9.*

Sed notandum illud, *Ecce defunctus*. & diues erat, cùm esset *turba ciuitatis multa* cum matre eius. Si pauper esset, nullus eum comitaretur. Non est enim, qui pauperem iuuet, sed qui diripiat & rapiat. Sed etiamsi diues esset, *ecce effertur defunctus*. An non hic erat diues, nobilis, vestitus auro & argento? sed hic idem infirmatus est, species vultus eius emarcuit, oculi clausi sunt, & vita defecit. Ecce in puluerem versa sunt omnia, & in cinerem deuenere. Ideò monet Sapiens. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum; qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita*. Sed mirum valdè, quòd *filius vnicus matris* à Deo tollatur. Erat *lumen oculorum, baculus senectutis*; & hunc Domine eripis? An non hoc crudele? Imò verò quia matri charissimus erat, & forsan plus quàm Deus dilectus, ideò eum è medio tollit. Primo loco ponendus Deus, deinde reliqua. Si verò aliquid creatum in primo loco posueris, continuò illud Deus disturbat, vt arca Dagon. Ordina ergò in te charitatem, & sic secura tibi tua erunt. Aliquando etiam Deus suos probat, an eum diligant ex toto corde; & ideò dilectissima ab eorum oculis aufert. *Sic tentauit Abraham dicens: Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & offer illum. & cæt.* Cur, Domine, dilectum petis filium? quia charissimus erat, ideò eum eripere volo, & in eo patrem probare.

Pauper abiectus mundo. *Psalm. 9.* *Defunctus diues effertur.* *Eccli. 11.* *Filius vnicus cur ereptus.* *1. Reg. 5.* *Charißima Deus cur auferat.* *Genes. 22.*

Sed vt hunc suscitaret Christus, primùm omnium tetigit *loculum*. Græci dicunt corpus animæ loculum. Multi sine dubio hodiè viuunt in viuo corpore animas mortuas deferentes. Et sicut in loculo pannus pretiosus solet operire fætidum corpus; sic hi auro serico cooperiunt animas abominandas. de quibus Sapien. *Vidi impios sepultos, qui etiam cùm adhuc viuerent in loco sancto erant*. Hi parum concionibus proficiunt, donec Deo loculum tangente, eos cogit vlterius non progredi. Detinentur hi nanque, Deo eos in corpore tangente aliqua graui ægritudine, qua resipiscere solent. Sic deperditos iuuenes Deus solet admen-

Loculus. *Theoph. in Lucæ 7.* *Anima mortua in corpore viuo.* *Tactus loculi.*

ad mētem meliorem reuocare. Vis nosse quomodo Deus
Iob 19. manu sua loculum tangat? *Manus Domini tetigit me.* Præci-
piti cursu in infernum ducebaris, infirmitate vel tribula-
Psal. 57. tione Deus tibi obstat, & in lecto motum comprimit, quo
effrenatè labebaris, ne *iniustitias manibus tuis concinnes*. Nec
parua tibi videatur exhibita misericordia, si sic loculum,
corpus tuum, tetigit. Vis non tangi? sine mora Dei audita
voce surge, diuina audi salutis monita.

Vidua mysticè. Sed notat Ambro. huius *viduæ lachrymis* Christum per-
motum, vt eius filium suscitaret. Ecclesiam verò signifi-
cari dicit hac muliere, quæ sponsa Christi est, cuius preci-
bus multi surgunt peccatores. Modò verò Ecclesia quasi
vidua est propter Christi absentiam, atq; adeò lugens plo-
rat ac ieiunat. Sed & anima quæuis per hanc viduam sig-
Anima vidua. nificari potest. Anima nanq; fidelis, cùm gratiam recipit,
Christo desponsatur. *Et erit in die illo*, ait Dominus, *vocabit*
Oseæ 2. *me vir meus; & sponsabo te mihi in sempiternum.* &c. Sed per le-
thale peccatum vidua efficitur anima: quia Christus Do-
Thren. 1. minus recedit, & quasi illi moritur. *Facta est quasi vidua Do-
mina gentium.* Et sicut vniuersa mala in viduam veniunt;
ita omne malum irruit in eum, qui à Deo recessit. *Ecce qui*
Psalm. 72. *elongant se à te peribunt.* Et inter alia mala hoc vnum est,
quòd non solùm sponso orbatur sed & filijs. En viduæ fi-
Filij animæ opera bona. lium vita functum. Filij nanque, qui ex matrimonio Dei
cum anima nati fuerant, opera sunt cælo digna. His verò
Ezech. 33. orbaris, dum peccasti. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fe-
cerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recorda-
Isaiæ 47. buntur.* Ecce impletum in anima à Deo recedente illud Isa.
*Audi hæc, quæ dicis: Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem.
Venient tibi hæc duo subitò in die vna, sterilitas & viduitas.* Vi-
Viduitas & sterilitas in peccatorib. duitas, qua orberis marito; sterilitas, qua priueris filijs. Si-
mul nanq; cùm peccasti, & sponsum amisisti Deum, & o-
N. B. pera vniuersa bona, quæ feceras. En vidua es & absq; filijs.
Quid ergò huic viduæ præstandum. Ploret, eiulet adérit
continuò Christus sponsus eius; iterumque desponsabi-
Remedium. tur ei, & simul ei defunctum restituet filium. Opera enim
per peccatum mortificata reuiuiscere faciet; & dabit ite-
rum illa matri suæ, vt eis fruatur, & propter ea æterna
mercede in cælo coronetur.

FERIA

FERIA SEXTA POST DOMINICAM IV. QVADRAGES.

THEMA: *Lachrymatus est Iesus.* Ioan. 9.

INSOLITI & mirabiles effectus cogunt nos reconditas atque abditissimas inquirere causas: & tale est in Deo videre tristitiam & lachrymas: Nam cùm Christus homo perfectus sit, videtur in eo tristitiam esse non posse, quomodo igitur tristatur & plorat? Deinde quia Christus beatus est (videbat enim Deum ab instanti conceptionis) quomodo summa gloria Christi Domini valet contristari? Auget admirationẽ, dum videmus Christum, qui Deus est, tristari. Nam etsi calidum frigidum fieri possit, non potest tamen lux obscurari neq; calor frigescere, sic neq; Deus, qui est ipsa lætitia, tristis esse. Simul verò admirationem auget occasio facilis, quia videtur tristatus & lachrymatus, cùm à somno vult suscitare amicum. Cùm flagellatur, coronatur, crucifigitur, quasi agnus fuit mansuetus sine voce, modo gemit & plorat. Quid gemis Domine, qui fons es lætitiæ? tu cuius sola memoria *mæstos* lætificat: *Memor fui Dei & delectatus sum,* ait Psal. Quomodo nunc tristaris? Sine dubio ostẽditur hac in re summum hominis malum, quod Christus Dominus in Lazaro vt figura, intuitus est, malum peccati: quod sufficiens est hominem perfectum, beatum, & Deũ ipsum in assumpta natura contristari, & lachrymas profundere. Qua in re nobis ostendit, quo loco à nobis peccatum sit habendum, quomodo illud deplorare debeamus, quod tantum malum efficere valet. Audi: Lachrymæ Christi timorem mihi ingerunt & pudorem: timorem, quia ex magnitudine remedij, periculi æstimo quantitatem: nec enim tantam medicinam sine grauissima infirmitate impenderet sapientissimus medicus. Pudor mihi est, quia eram ego seruus ludens in foro, princeps in aula Regis patris sui. Audi Princeps contra me talem ferri sententiam; vt præ compassione exeat plorans: quomodo ego non plorabo, cùm mei compassione ille ploret? grande mihi est periculum, cùm videam filium Dei pro me plorantem.

Tristia in Deo insolita.

2. *Beatitudo tristis esse non potest.*

3. Simile.

4. *Suscitandum cur ploret.*

Psalm. 76.

Malitia peccati.

Berna. ser. 3. in Nat. Do.

Timor.

Pudor.

N. B.

Simul verò his lachrymis summum ostendit amorem, quo accendamur. Refert B. Isidorus, fontem esse adeo ignitum, vt faces mortuæ in eo accendantur. Tales Christi sunt lachrymæ, in quibus accendi possis. Fideles testes amoris cordis lachrymæ sunt. En Christum Dominum, maiestatem infinitam, lachrymantem, infremente m tui causa. An non summus ei amor? an hoc amore non accenderis? Mittunt Lazari sorores ad Christum nuntium, dicentes, *Ecce quem amas infirmatur.* Sed si à Christo amatur, quomodo infirmatur? Dubium hoc antiquum est, quod Gedeon Angelo proposuit, *Si Dominus nobiscum est cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Et super hac quæstione vniuersa fundatur disputatio Iob, & amicorum eius. Illi enim putabant iusto nullum esse malum; cuius oppositum Iob defendit. Quia ergo à Christo amatur, infirmatur corpore, hoc vt zelotes Deus facit, ne amici illius ad illa, quæ in mundo sunt, afficiantur. Ideò *castigat omnem filium, quem recipit.* Vult nos Deus cælum ascendere, ac caduca relinquere, adhuc tamen adeo terræ adheremus, vt licet flagellati adhuc hic remanere velimus; sicut Israëlitæ in Aegypto, quamuis miserè ac duris operibus oppressi: quid ageremus, si cuncta hic nobis ex voto succederent? Sic Loth in Sodoma igne perdenda remorari desiderat, nec inde exit, donec vi extrahatur: quid faceret, si audiret, omnia prospera in Sodomis futura? Ideò *quem amas infirmatur.* Secundum in hac Marthæ ac Mariæ epistola aduertendum est, nihil eas petere, sed tantum infirmitatem fratris ostendere, vt Christus videat, quid magis expediat. Spiritualia enim à Deo absolute petēda sunt; tēporalia sub cōditione, si expediunt saluti spiritual. Ratio est, quia spiritualia bona habent rationem finis; quia per illa Deus possidetur à nobis, qui est finis noster: temporalia verò solùm media sunt, de quibus ignoramus, quid nobis expediat. Multa cogitas tibi expedire, quæ fortè erunt tibi in interitum: nam *quid oremus sicut oportet, nescimus. Est via, quæ videtur homini recta, & nouißima eius ducunt ad mortem.* Tertium hic considerandum, *Ecce quem amas;* Sine dubio obtinebunt ea, quæ petunt: quoniam amici sunt. Et quoniam in prosperitate, Christum hospitio suscipiunt, in sua aduersitate eum habebunt adiutorem. Optimum est Deo seruire in prosperitate, vt cum in aduersitate fueris, dicere possis.

Lachrymæ Christi igneæ.
Si amatur, cur infirmetur.
Iudic. 6.
Sufficit enim vt noueris: non enim amas, & deseris.
Hebr. 12.
N. B.
Exodi 1. & 2.
Exempla.
Gen. 19.
2.
Ostendunt saltem infirmitatem.
Spiritualia saltem cur petenda.
Rom. 8.
Prou. 14.
3.
Amicus à Deo non deseritur.

Amicus tuus infirmatur, & indiget tui. Sic Ezechias in-
firmus orat: *Memento quæso, Domine, quomodo ambulauerim* 4. Reg. 20.
coram te in veritate, & in corde perfecto seruierim tibi. Et Da- Psalm. 85.
uid *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Et, *Tuus sum e* Psalm. 118.
go, saluum me fac. Hac fiducia erectæ sorores tam breuiter
ad Christum mittunt. Hinc Isa. *Eritque antequam clament* Esaiæ 65.
ad me, ego exaudiam. O fælicissimam amicorum Dei sor- *Felicissima*
tem, qui inter cætera Dei dona hoc habent, vt tam facilè *sors amicorum*
eis Deus accurrat. Hæc est illa singularis promissio: *Si man* *Dei.*
seritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volue- Ioan. 15.
ritis, petetis, & fiet vobis. Sic Ioan. *Scimus, quia audit nos, quic-* 1. Ioan. 5.
quid petierimus. Ecce, igitur, quem amas. Hoc verbo securæ
manent, donec illum in vitam restituat. Cura, vt te Deus
diligat: sic enim omnia negotia tua confecta puta. *Ego, e-*
nim diligentes me diligo. Prou. 8.

Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & ait, Vbi po-
suistis eum? Turbat se Christus, infremit: tu verò tam quie- *Cur turbetur*
tus ac tranquillus eris, ac si nihil tibi esset mali? Sed plo- *& fremat*
ra tu, domine: ille enim mortuus est, nec sentit damna? *Christus.*
Quid videt, ô peccator, in te Christus, vt fremat, turbetur,
& ploret? *Vbi posuistis eum?* Vbi posuistis mortuum? Quis
est mortuus? Cor tuum. Cùm Deum non diligit, mor-
tuum est. Vbi habes cor tuum? Estne in sepulchro? *Sepul-* *Cor mortuum.*
chrum patens est guttur eorum. Vbi lingua est inficiens ani- Psalm. 5.
mam; ibi sepulchrum est apertum. Estne ibi cor tuum? N. B.
Carnalis vbi posuisti cor? in altero sepulchro. *Fouea pro-* Prouerb. 22.
funda os alienæ; cui iratus est dominus, incidet in eam. Potestne
insanius aut stultius aliquid excogitari, quàm quòd cùm
in hac statera sit Deus & vniuersa eius bona; in illa verò
delectatio sensualis, hanc pluris facias? *Domine, veni, & vi-*
de miseriam meam, & fremes & plorabis. O Domine,
quo dolore cor tuum tangitur, cum vides animam spon-
sam tuam à dæmone conculcari, & per terram trahi tan-
quam vilissimam seruam? Hoc est, quòd Christus domi-
nus fremitu & lachrymis deplorat, Sicut sanguis testimo-
nium est vulneris cordis: sic lachrymæ ostendunt vulnus Simile,
cordis. Sed visis Christi lachrymis, quid Pharisæi dicant
audiamus. *Ecce quomodo diligebat eum. Amico fideli nulla est* Eccli. 6.
comparatio: dignus amore est fidelis amicus. Fidelis ami- *Amicus fide-*
cus est, qui est in amicitia stabilis. Fidelissimus amicus *lis quanti æ-*
Deus comprobatur, qui nunquam obliuiscitur priorum *stimandus.*

amicorum propter nouos, sed quos elegit ante tempus, amat etiam post omne tempus, in æternum. Et quos mortalis elegit amicos, immortalis factus fratres nominat: *Vade ad fratres meos*. Nec verò mutatur Christi amicitia ex casu amici. *Diligebat Iesus Martham, Mariam, & Lazarum*. sed cùm adhuc sani essent. Lazarus ægrotat; non desinit amare. Moritur Lazarus, crescit miseria, sed non decreuit amicitia; sic enim ait: *Lazarus amicus noster dormit*. Amicus dicitur non quòd amet (cùm mortuus sit) sed quòd ametur. Iam *fætet Lazarus*; adhuc amicus eius Christus est. flet eius causa: *Ecce*, inquiunt, *quomodo diligebat eum*. O fidelissimum amicum, qui loqueris, *In charitate perpetua dilexi te*. Non sic nos Christo fideles sumus. O ergò homo, qui amicum fidelem quæris; quomodo Christum amicum non quæris primùm, qui nunquam mutatur? Quænam, putas, amicitia mundi ad te & carnis? Audi; Tres amici tibi sunt; & discrimen summũ imminet tibi, vocaris enim à rege coram eo accusatus criminis læsæ Maiestatis. Accedis ad primum amicum, & exposito discrimine postulas ab eo opem; respondet se comitaturum ad tribunal Regis, & tunc foris mansurũ. Videns in hoc auxiliũ tibi non esse, ad alium diuertis amicum ab illo opem postulãs. Is linteum, quo corpus occisum inuoluatur, se daturum pollicetur. Accedis ad tertium, is se aduocatum tuũ futurum, & te liberaturum promittit. An nõ hic fidelis amicus est? Caro prior est amicus; ea comitatur spiritum vsq; ad mortem, vt iudicium Dei subeat. Secundo similis est mundus, cui vt placeas, te discrucias, sed ille sindonem veterem offert, cui mortuus inuoluaris. Tertius amicus fidelis Christus est, aduocatus noster, qui vt nos in libertatẽ assereret, mortem nostram sustinuit, qui nos ad diuinum iudicium comitatur, nos liberat, nos tuetur. Hic ergò tibi sit amicus, qui verè diligit te. *Fratres diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos*. Audi quid faciat hic amicus, & dicat, *Tollite lapidem*. Officium prædicatoris est tollere lapidem, & fæditatem ostendere peccatorum. *Fili hominis fode parietem, & vide abominationes, quæ fiunt ab Israele*. Et Esai. *Annuncia populo meo scelera eorum* Quòd si non corrigatur, sed exardescit amplius, adhuc tamen peccata dicẽda sunt. Verè lapide detinetur peccator ne in Deum feratur. Vis hoc manifestè nosse?

[Marginal notes: *Ioan. 20.* — *Ioan. 11.* — *Amicitia Dei stabilis.* — *Ierem. 31.* — *Matth. 26.* — *N. B.* — Exemplũ. *Damasc. in hist. Iosaph & Barlaam.* — *Primus amicus caro.* — *Secundus amicus mundus.* — *Tertius amicus Christus.* — *1. Ioan. 4.* — *Lapis mysticè.* — *Ezech. 8.* — *Peccator lapide detinetur grandi.*]

nosse? Immensa ad te venit pluuia beneficiorũ Dei, nec le-
niris, sine dubio prę grandi lapide premeris. Audisti sępe,
Caue ne hac nocte repetant animam tuam; caue æternam pœ- *Exod. 8.*
nam inferni: his non moueris? lapidem habes, vt *Pharao*
nis cor tibi est induratum. Tolle lapidem, si non damnari vis, *Thren. 3.*
ne de te dicatur: *Conclusit vias meas lapidibus quadris*, Pete à *Psalm. 147.*
Christo, vt *emittat verbum suum, & liquefaciet ea: auferat à te* *Ezech. 11.*
cor lapideum, & det tibi cor carneum. Tolle ergò lapidem
Deo te iuuante; & cum inceperis, ab opere ne desistas, do-
nec perficias. *Clamauit voce magna, Lazare veni foras*. Opus *Vox magna.*
est voce magna, vt peccator suscitetur, qui in infernum
iam descenderat. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, id *Psal. 85.*
est, culpa, quæ inferior est pœna gehennali. Mirus profe- *Peccatoris*
ctò peccatoris casus fuit à summo cælo in infernum infe- *casus.*
riorem. Ideò Ierem. *Deducant oculi mei lachrymas per diem ac* *Ierem. 14.*
noctem, & non taceant; quoniam contritione magna contrita est fi-
lia populi mei, plaga pessima vehementer. Verè contritus es,
cùm peccasti; decidisti à turri, quæ altior cælo est, nimirũ
à gratia Dei. Ad te nunc Christus clamat: *Lazare veni foras*.
Peccasti in Deum, sed num perseuerabis in finem? Si tibi
loco pænitentiæ iniungeretur, vt corpus mortuum super *Simile ele-*
te tolleres per annum; diceres proculdubio, illud impossi- *gans.*
bile esse factu: quomodo ergo animam mortuam tot an-
nis defers, quæ maius & peius onus est corpore mortuo?
Non vides animam tuam mortuam? eius fœtore non
grauaris? Negare non potes intus te habere inferni spe- *N. B.*
ciem. *Inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, de-*
putatus es cum descendentibus in infernum. En infernum *Baruch 3.*
tecum defers homo. quid tibi cum peccatis? Quid *In peccato*
habet peccatum voluptatis ac lucri, quod te detinet? *nil lucri.*
Sanè tibi cum peccato contingit, quod cani cum os- *Simile.*
se, à quo nihil solidi cibi sugere potest; & tamen os
rodit: peccatum est os omne virtute ac substantia
carens. Quomodo ergò ille totam noctem insomnem
ludendo ducit? ille mulierem insequitur? Desiderium tu-
um prauum, dulce facit apparere, quod amarum est: nam
in peccato dulcedo non est. Vis hoc videre? tolle inor-
dinatum appetitum tuum, & videbis nullam peccato in-
esse dulcedinem. *Lazare veni foras*. Sed cum tanta faci-
litate posset mortuum suscitare, cur tot hic adhibet media

Peccator praua consuetudine deprauatus difficilè redit ad gratiam. Orat, clamat, lachrymatur, fremit. Hoc in mysterio factum est, vt significet, peccatorem praua consuetudine deprauatum difficilè redire ad gratiæ veniam. Est iam *fatidus* malo exemplo, *ligatus manus & pedes.* propter difficultatem bene operandi: est iam superpositus lapis duri cordis; is difficilè curatur? *Languor prolixior grauat medicum, breuem languorem præcidit medicus.* Facilè est recens abscindere vitium; difficilè verò, quod annorum consuetudine vires cepit. Sed modò licet Lazarus sit *quatriduanus*, Christus te vocat, *Lazari veni foras* Surge hoc tempore, quo tot iuuaris orationibus & exemplis. Si enim agricolæ seminandi opportuna tempora non prætermittunt: tu ne prætermittas hoc, in quo tot Lazari surgunt: *Surge ergò, qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabit te Christus.*

Simile.

Quatriduanus

Simile.

Ephes. 5.

DOMINICA IN PASSIONE.

THEMA: *Quis ex vobis arguet me de peccato? &c.* Ioan. 8.

Innocentia Christi cur proponatur.

INCIPIT iam Ecclesia Dominicam celebrare passionis nobis iam ieiunio præparatis: & hodie vexilla Regis prodeunt. Et cùm passionem proponere velit primum hodiè ostendit Christi summam innocentiam, qua omne crucis scandalum tollitur. Cùm enim dedecoris & ignominiæ sit pati ob culpam, absque illa tamen & pro virtute pati gloriosissimum est. hinc D. Petrus. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* &c. *Nemo autem vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem vt Christianus non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine*. Secundò hæc Christi innocentia ostenditur, vt videamus pro nostris peccatis illum pati, quando pro suis non patitur. Ex parte Iudæorum iniustissima fuit Christi mors: *Odio habuerunt me gratis*. Ex parte autem Patris iustissima fuit, tantam pœnam per grauissima culpa, sed non propria, infligentis. Manifestè ergò colligitur propter peccata nostra eum morti addictum: argui enim de peccato non potest, qui vndique iustus fuit. *Hoc est nomen quod*

1.

Pro virtute pati gloriosissimum.

1. Petr. 4.

1. Petr. 2.

2.

Ioan. 15.

Psalm. 34.

Ierem. 23.

men quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. quod nec in ore inimicorum amisit. Sic Iudas: *Peccaui, tradens sanguinem iustum*. Et Pilatus: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius*. Et vxor: *Nihil tibi & iusto illi*. Si ergò omninò ille iustus est, nec pro suis peccatis punitur, reliquum est, vt pro nostris puniatur. *Omnes nos sicut oues errauimus Et, posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum*. Vltimum ergò, quod nobis Ecclesia proponit, passio Christi est nam licet multis cor humanum capi possit medijs, sed maximè Christi passione. Hæc sunt *sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs* hæc sunt *sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent* Sicut autem medicus primò corpus debilitat inedia, & deinde purgat: sic Ecclesia hoc tempore curationis nostræ nos præparauit ieiunio & corporis maceratione, vt Dominicæ passionis sacramentum debitè suscipiamus, quò omne peccatum à nobis pellatur: nihil enim hac medicina potentius. Timendum verò ex hac passione Christi aliquid, & amandum aliud ostenditur, vt amore & timore à malo recedamus. Peccator mandata Dei confregit, Christus verò innocens in manibus suis peccata detulit, non quæ ille fecit, sed quæ nos. & sic voluit eum crucifigere: quid non timendum nobis, qui peccata perpetrauimus? Sed quæ amoris sagittæ in passione? *Sagittas suas ardentes effecit*: nam *venit ignem mittere in terram*. An non ingens ignis & amoris vis procedit à Christo, in cruce pro nobis vitam ac sanguinem profundente? an non hæc *rubus ardens*? an non *Dominus in igne* est, cùm in cruce est? quis potentior ignis?

Matth. 27. — *Isai 53. 3.* — *Psal. 119.* — *Psalm. 44.* — Simile. — *Ieiunij Ecclesiastici finis.* — *Quid timendum in passione Christi.* — *Psalm. 7.* — *Luc. 12.* — *N. B.* — *Exod. 3.* — *Exod. 19.*

Iam ergo audiamus Christum innocentiam suam probantem. *Quis ex vobis arguet me de peccato*: Quàm sumus dispares à Deo, quàm ab eius natura distamus? Ille culpam omnem sic odit, vt nec leuissimam assumere voluerit; omnium tamen culparum pœnam sumpsit: nos contrà omnem culpam facilè incurrimus; pœnam verò omnem summo studio vitamus. Sic Adam, ne contristet Euam, facilè culpam illius subijt: sed cùm Deus pœnam infligere peccati vellet, & vxorem excusare debuisset, & super se peccati pœnam imponere; non sic fecit, sed pœnam à se reijcere voluit, & in Euam tranferre: factus misericors, quando debuit esse crudelis; & crudelis quando debuit esse misericors, Contrà Christus omniū peccatorum pœnas

Christus absque culpa pœnam omnem in se susepit, nos culpā meremus, & pœnam fugimus. — Exemplū. — *Genes. 3.* — *Culpa vitanda non pœna.*

Dani. 13. pœnas sumpsit, peccatum verò non item. docens nos,
3. Reg. 4. rem summè vitandam culpam esse, non pœnã Susanna
In Dei manus quomodo incidendum, & non incidendum. eligit incidere in manus hominum: Dauid verò in Dei
manus, hoc vt intelligas, notandum est, duo tempora; primum
antè peccatum admissum, quo in tempore Susanna
erat. & tunc eligendum est cum ea, potius incidere in
manus hominum, vt vniuersa mala pœnæ inferant, quã
in Dei manus per culpam, quàm peccare in cõspectu Al-
Eccli. 5. tissimi: tunc ne dicas, *Miseratio Domini magna est*, vt ansam
capias peccandi. Aliud verò tempus est post commissum
N. B. peccatum; quo in tempore Dauid erat. Hoc verò tempore
aliud nobis non est refugium, quàm ad Dei misericor-
Ierem. 15. des manus confugere: quia multæ misericordiæ eius. *Quis
miserebitur tui Hierusalem*, nisi Deus? Sed si manus Dei viui
timemus, eamus ad manus Dei mortui, quæ plenæ sunt
misericordia. *Si pœnitentiam non egerimus*, incidemus in
manus Domini Dei viuentis, & non in manus hominum;
si ad manus Dei mortui non venerimus. Ideo nobis
Christi passio nunc proponitur, vt ad has veniamus
manus, vt ibi abscondamur ab ira Dei.

Addit verò Christus. *Si veritatem dico vobis*. Tam ma-
Veritatis vis magna. nifestis testimonijs veritatem illis proposuerat, vt esset
insignis proteruia, non credere. Maximam verò vim veritas
habet, fortissimum est omnium eorum, quæ in mundo
sunt: vinci & opprimi non potest: *Magna est veritas &*
1. Esdr. 3. *præualet, super Regem, vinum & mulierem vincit veritas*: quod
ergo fortissimum est, quomodo te non vincit? Hinc Pau-
Rom. 1. lus. *Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam
hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.*
Veritati resistere summa peruersitas. Cum enim tam sit potens veritas, illam detinere, ei resistere
summa peruersitas est. Audis, Deus pro te passus est;
sagittæ acutæ hæ sunt, vt populi sub illo verbo cadant; & tamen
resistis tantæ veritati? detines eam? *Vox domini in virtute,
vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis ce-*
Psal. 28. *dros*: & tamen tu non confringeris ab eis? *Quare ergò non*
N. B. *creditis mihi? In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum vt te-*
Ioan. 18. *stimonium perhibeam veritati*. Imò domine, quia veritatem
Mundus plenus mendacijs. dicis, non crederis: & si mendacium dixisses crederis.
Mundus enim vniuersus plenus est mendacijs. Hoc enim
egit in mundo princeps eius, *pater mendacij*, vt omnia men-
Ioan. 8. dacijs repleat: vnde qui veritatem credat, difficile reperies.

Audi

Audi quid dæmon in mundo effecerit: nomina vera rerum omnium immutauit; orationem & ieiunium, dicit tristitiam; curam cõſcientiæ dicit ſcrupulum & carnificinam; domos religionis dicit carceres; vanitatem dicit honorem; vindictam dicit fortitudinem; humilitatem dicit deiectionem: magna profectò peruerſio. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum*. Hinc tot deceptiones in mundo. Venit ergò in mundum veritas ipſa, vt nomina rebus vera imponat, quia omnia nouit, cum *Meßias venit, docebit nos de omnibus*, inquit Samaritana. *Quare ergò non creditis mihi*. Argumentum hoc diſſoluere non potuerunt. Nec nos verò diſſoluemus argumentum in nos propoſitum: *Si veritatem tibi dixi, quare mihi non credidiſti*? Deum cum hominibus diſceptaturum ait Ierem. *Propterea adhuc iudicio contendam vobiſcum, ait Dominus*. &c. Et Ioel: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi*. Sed quis arguenti Deo reſpondere poterit? Benè Iob. *Si voluerit contendere cum eo, quis reſpondebit ei vnũ pro mille?* Quid reſpondebis Deo tuo, cum tibi dixerit, quod ad Adam, *Quare feciſti hoc*? Quam potes prætendere excuſationem, vt Deum offendas?

Mendacia dæmonis.

Iſa 5.

Veritas reuelata.

N. B.

Ier. 2.

Ioel 3.

Iob 9.

Geneſ. 3.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Dulcia ſunt iuſto colloquia de cæleſti patria; quia illa patria eius eſt: exul verò de patria propria libenter audit. *Audierunt autem verbum Dei, quotquot erant præordinati vitam æternam*. Sic Chriſtus ait: *Oues meæ vocem meam audient*. Sic etiam ſeruus audit vocem Domini, miles, vocem ducis ſui. *Loquere domine, quia audit ſeruus tuus*. Sed audire non ſignificat tantum exteriori aure percipere: ſed interiori, vt obediat ei, quem audimus. *Qui* ergò *ex Deo eſt*, Deum *audit*: id eſt, Deo obedit *Qui nouit Deum*, ait Ioan. *audit nos; qui non eſt ex Deo, non audit nos*. Sed Iſa, conqueritur; *Veni, & non erat vir; vocaui, & non erat, qui audiret*. Sic Ierem. arguit ac damnat populum ſuum exemplo Rechabitarum filiorum Ionadab, *quia obedierunt præcepto patris ſui. Ego autem loquutus ſum ad vos, de mane con ſurgens & loquens, & non obediſtis mihi, dicit Dominus*. Similia in peccatorum confuſionem afferre poſſemus exempla multorum, qui parentibus, Dominis mundo, carnique obediunt in difficillimis; cum tamen peccatores in facillimis Deo obtemperare nolint. Sequitur.

Colloquia de cæleſti patria iuſto ſunt dulcia.

Actor. 13.

Ioan 10.

A ſimili,

1. Reg 3.

Audire eſt obedire.

1. Ioan. 4.

Iſa. 50.

Ierem. 35.

N. B.

Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum. Manifeſta

Dæmonis præceptum Dei gloriam obscurare. festa ratione ostendit se dæmonium non habere. Cùm enim dæmonis sit præceptum, diuinam gloriam obscurare: dæmonem non habet, qui illam cupit illustrare. *Dæmon duobus modis se Deo æquat.* Dæmon duobus modis voluit Deo vt æquaretur, efficere; vel se exaltando ad Dei maiestatem; vel Deum deprimendo ad suam paruitatem. Primum tentauit initio, cum dixit: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: similis ero altißimo*: *Esaiæ 14.* sed quo amplius se exaltare voluit, eo magis deiectus est *ad infernum, & profundum laci*. Nunquam ergò cessat secundum tentare modum, Deum curans deijcere ac obscurare, vt vel sic ei possit æquari. In multis verò id dæmon perfecit, quorum sic excæcauit mentes, vt Deum nihili faciant: de quibus dicitur. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis*. Vide quàm minimo in pretio Deum habes. Qui praua consuetudine Deum relinquis & amittis, quid dat tibi dæmon? Nihil dices. Qui omnia, quæ videt, concupiscit; etiam illicita, quid dæmon illi præbet, vt Deum relinquat? dicet, Nihil. An non hoc stupendum? Cùm reliquisses Deum, vt tibi vniuersus mundus daretur, stultissimus esses: quando nihil tibi datur, quo nomine appellandus es? Sed ego te nunc rogeo, quem præeligas Deum an diabolum? Vana non est hæc interrogatio. Attende opera tua, & videbis potius te diabolum præeligere. Obsecrat te Deus & non audis; vix dæmon conniuet, & eum sequeris; an tu dicere poteris, *Ego honorifico patrem meum.*

N. B.

Ezech. 13.

Quam nihili Deus à nobis fiat.

N. B.

Ego non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet. Qui Prophetam hunc non audierit, ego vltor existam, loquitur de Christo. Ad patrem attinet, Christum honorificare; ideo ille non quærit gloriam suam. Similiter iusti obliuisci possunt quærere gloriam suam; *est qui quærat* Deus. Quæsierunt gloriam suam, Alexander, Nabuchodonozor, Cæsares; sed illam nacti non sunt. Non quæsierunt gloriam suam Piscatores, & illam Deus quæsiuit. Quis obsecro est, qui hodie quærat sepulchrum Alexandri? At piscatoris inquisitur ab vniuerso orbe. Est qui quærat gloriam Sanctorum Deus. Gloriam ergo Christi quæsiuit pater, *collocans eum ad dexteram suam super omnem principatum & potestatem*; quia ipse patris gloriam quæsiuit, suam oblitus est. Tu ergo obliuiscere gloriam tuam, & dic: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* ipse quæret gloriam tuã.

Deut. 18.

Deus Christi & iustorum gloriam quærit.

Compara-tio.

Psal. 113.

Qui

Qui honorificauerit me, honorificabo eum, ait ad Samuelem. Et hæc est vera gloria, qua à Deo glorificamur; non ea, qua à mundo. Ne te ergo sollicitum reddat mundi gloria; quære Dei gloriam: ille tuam quæret, & dabitur tibi gloria vera.

Vera gloria quærenda.

Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Sicut in paradiso fuit arbor vitæ; ita in Ecclesia est Christi Euangelium arbor vitæ, qua vita æterna acquiritur. Sed sicut non satis erat aspectus ligni vitæ, nisi fructus comederetur, ita non sufficit audire verbum Dei, nisi opere cõpleatur. *Estote factores verbi & non auditores tantum*. Vtinam verbum Dei comederemus omnimoda dulcedine, sicut Ieremiæ contigit: *Factum est verbum tuum in gaudium & in lætitia cordis mei*. Et, *super mel ori meo*. sicut & Ezechieli, & Ioanni.

Euangelium arbor vitæ. Genes 2. Simile. *Iac. 1. Dulcedo verbi diuini. Ierem 15. Psalm 118. Ezech. 2. 3. Apoc. 10.*

Abraham exultauit vt videret diem meum; vidit & gauisus est. Hoc Chrys. factum asserit, cum filium duxit in montem, vt eum immolaret. Cumque maxima angustia premeretur, eum consolatus est Deus, ostendens Christum: Dominum futurum mundi remedium: quia in angustijs, quas pro Deo patimur, nos Deus maximè consolatur. Ducit Abraham filium suum in montem, vt eum immolet. Portat Isaac ligna, pater verò ignem & gladium. Interrogat Isaac. *Vbi est victima pater mi?* Cui Abraham. *Dominus prouidebit sibi victimam fili mi*. Inueniunt arietem, quem sacrificant. Figura hæc erant Christi passionis. Iubet illum Dominus duci ad terram visionis, quæ erat mons Moria. Ad hunc ergo montem, in quo Christus crucifigendus erat, præcepit Deus Abrahæ, ducere filium ad immolandum. Obediuit ille duro præcepto, & trium dierum itinere illuc perueniens ligna posuit super Isaac, quæ ligna Augustinus dicit fuisse crucem; & ait, *Dominus sibi prouidebit victimam, fili mi*. qua si dicat, Sanguis tuus non valet Deum placare; ipse sibi prouidebit victimam, quæ eum placet. Ligatus est Isaac, & tandem Angeli monitu solutus. Vnde ait Abraham. *In monte Dominus videbit: & in prouerbium*, ait Scriptura, *verbum esse, Dominus videbit*. quasi dicat. Mecum iocatus est Dominus, & per tres dies in maximas animi angustias induxit: sed in hoc eodem loco Dominus videbit in filio suo seriò factum. In hoc enim monte videbit filium

Genes 22. Deus in angustijs consolatur. Fides & obedientia Abraham & Isaac. Aug. serm. 71. de temp. & li. 16. de ciu. cap. 32.

suum orantem, sanguine madidum, captum, flagellatum, & in cruce positum. Hic vidit Deus fidē, dilectionem, & obedientam meā: sed hic etiam videbitur in filio Dei maior obedientia & dilectio. Et sicut ergo obediētia mea obtinui posteritati meæ benedictionē: sic hîc Christus obtinebit benedictionem vniuerso hominum generi. Hic est enim Angelus, qui luctabatur cū Iacob, & victus est. Christus enim, victus in cruce, nos oēs benedixit. In hoc etiam monte videbitur dominus in cruce, scilicet spectaculum factus mundo & in signum positus, vt sit salus omnibus conspicientibus eum; sicut quondam eius figura serpens exaltatus in deserto fuit salus Israëli. Salus animæ tuæ ex eo pendet, vt noueris Christum in cruce intueri, illum contemplari eo amore eaque dulcedine, & misericordia, qua mortuum pro te amicum conspiceres; vt eum diligas, eum sequaris, & cum eo regnare possis, &c.

Genes. 32. Oseæ 12. Num 21. Ioan. 3.

Salus animæ vnde pendeat.

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM PASSIONIS.

THEMA: *Si quis sitit veniat ad me & bibat &c.* Ioan 7.

Isa. 42. Philip. 2. Matt. 12. 20. 37. Ioan 1. Christus cur clamet.

MVlta de Christo deque eius ingenio prædixit Isa. inter alia ait. *Ecce seruum meum suscipiam eum; electum meum, complacuit sibi in illo anima mea &c. non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox eius foras.* Non, inquit, *clamabit*, non clamoribus rem aget, sed admirabili quadam modestia ac benignitate homines tractabit. Nūc verò Ioannes ait, *In die magno festiuitatis clamasse Christum, Si quis sitit, veniat ad me.* Cùm iā vltimus dies illius festiuitatis Scenopegiæ adesset, omnesque in domos proprias iam essent reuersuri, nec verò audituri iam Christum forent amplius (proximo nanque Paschate passus est) vltimam concionem facturus vniuerso Israëli clamat, *Si quis sitit*. Clamor iste emphasim habet magnam: non obstrusis audiendum est auribus, quod Christus clamoribus loquitur. *Sitit* Christus Dominus, & sitientes ad se vocat. Sed alia sitis Dei est, alia creaturarum. Sitis crea-

Christus sitit & sitientes vocat.

creaturę est desiderium recipiendi; quia mendicitate premitur: sitis verò Dei est, desiderium se effundendi; quia plenus omni bono & redundans cum sit, se communicare desiderat. Nā cum diuina bonitas fons sit indeficiens summè desiderat se effundere in creaturas, & sui copiam facere, *qui vult oēs homines saluos fieri, quì dat omnibus affluenter.* Obstruitur hic fons peccato, quo impedis diuinam in te largitatem: *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* Tu ipse obicem posuisti diuinæ gratiæ, tu fenestram clausisti, ne lumen ad te intraret. Quidnam putas esse impulsus omnes interiores, ianuam cordis tui pulsantes, nisi impetus aquæ, egredi à fonte volentis in te, & animam tuam? *Ille enim stat ad ostium & pulsat*, & impellit, *vt aperias ei*. Imple, ait, desiderium meum, quod est sanctificatio tua; recipe meipsum, dona mea cape, aquam viuam recipe. Hoc ergo summum desiderium se effundendi, Christum clamare nunc compellit. *Venite ad me, & bibite aquam viuam: Hoc verò dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Sed ait, *Si quis sitit*. Omnis homo sine dubio sitit: quia nullus ex omni parte perfectus est; nullus dicere valet, Nihil mihi deest. Cùm ergo omnis homo desideret omni ex parte perfici, nunc Christus clamat, Qui hoc cupit, *veniat ad me, & bibat*; ego eum sic satiabo donis: ego eum sic perficiam bonis gratiæ & gloriæ, vt non sitiat in æternum, imò *fiat in eo fons aquæ: & flumina de ventre eius fluant.* Hoc ipsum per Isa, Dominus clamat: *Omnes sitientes venite ad aquas*. Sitit omnis homo, sed quo in fonte sitim sedare valeat, non omnis nouit. Omnis homo beatitudinem quærit; sed qua in re illa sit, pauci nouerunt. Hinc sitibundi insaniq; homines sitim se sedaturos putant suam, si honores, si diuitias, si voluptates sensuum capiant: his aquis putant sitim explere suam. Ad quos clamat Ierem. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Clamat ergò diuinus fons: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Vis beatus esse ad Christum accede, eius gratiam percipe, omnem mundi carnisque aquam fuge. Non hæc satiat aqua, sed sitim magis prouocat. Hoc ergo Christus nunc clamat, vt cordibus audientium,

Deus fons indeficiens. 1. Tim 2.
Fons obstruitur peccato. Isa. 59.
Impulsus interiores aquæ fontis. Apocal 3.
Sanctificatio nostra desiderium Christi.
Sitis generalis est.
Vbi sitis sedanda.
Aqua duplex & sitis duplex. Ierem. 2.
Isaiæ 58.
Clamat. I.

2. qui iamiam discessuri erant, tenacius infigat. Clamat, vt surditatem hominum ostendat, qui clamori-
3. bus indigent. Clamat demùm, quia hoc erat vltimum festum ex his, quę in hoc sæculo celebrauit, quando Iudæo-
4. rũ multitudo venire tenebatur Hierusalem Eos ergo hoc clamore admonet suæ salutis, ne opportunitate tanta neglecta pereant. Clamasse quoq; dicitur, quia homines ad
5. magna, nempe ad regnum cœlorum, vocabat. Nec cum hoc clamore pugnat, quod Isaias dicit, *non clamabit*: significatur ibi, non ita mouendum Christum: Hic verò clamor amoris est & dulcedinis, & eius, qui errantem in via vocat à longè, vt rectam viam teneat; & qui surdum admonet de his, quæ ad salutem eius spectant.

Clamor irati & amantis.

Sed videamus nunc quàm surdis Christus loquetur: *Miserunt Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum*. Sed quis apprehendet eum? Sic Saul mittit ministros, qui David apprehenderent: sed noluit eum Dominus tradere in manus eius. Sic non est passus se teneri, quia nondum venerat hora eius. Aliquando quidem ligandus & vinciendus est funibus peccatorum. vt Psalm. loquitur: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. Ligabitur aliquando, sed infinita sua charitate & misericordia, non hominum vi, ecce plus quam Samson hic, vt disrumpat omnem funem & catenam. Ad hos ergo loquitur: *Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me*. quasi dicat, Desideratis me de mundo tollere, ego quàm citissimè discedam. Mira Dei benignitas in peccatores hic ostenditur. Illi veniunt, vt Christum comprehendant: Christus verò eos admonet, modicum illis restare tempus, quo possint saluti suę consulere, ipsum placare, qui iudex eorum futurus erat. Sic & Cain, cũ fratrem occidisset, Deus fit obuiã, interrogat de fratre, vt pœnitentia motus veniam petat. In hunc etiam finem Iudæ pedes lauat, vt videat, si hac arte eum ad se trahat. Sic nunc ad hos loquitur; *Modicum tempus vobiscum sum*, ideò nunc videte, an aliquid velitis ex misericordiæ thesauris, ne vobis claudantur. & vobis illud Prophetæ contingat: *In gregibus suis & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient: ablatus est ab eis in dominum præuaricati sunt*. Iisdem verbis nunc ad eos loquitur. *Quæretis me & non inuenietis*: quia quæretis verum Christum, sed non inuenietis, quia Iesu repudiato nullus

1. Reg. 19. *Quomodo ligatus Christus.* *Psalm. 118.* *Iudic. 16.* *Benignitas in peccatores.* *Exempla.* *Gen. 4.* *Oseæ 5.*

nullus est verus Christus, ideoque in Antichristos incide- *Iesu repudiato quot mala sequãtur.*
tis. Antequam Christus veniret, verè expectabatur: sed
modò quærunt, & non inueniunt: quia iam venit, non i-
terum venturum sperare debuerant: contra gentes non
quærebant Christum, & tamen diuina misericordia eis
apparuit, *Inuentus sum à non quærentibus me, palàm apparui ijs,* Rom 10.
qui me non interrogabant. Sed cauenda nobis est similis cul- *Isa 65.*
pa, ne in idem incidamus supplicium. Omnibus nobis di- *Modicum tempus.*
citur: *Modicum tempus vobiscum sum*; omnibus vita concessa
est modica, breue tempus, hora nouissima: quàm si in va-
num præteriri sinas, quæres Christum, nec inuenies. An *Matth. 25.*
non hoc virginibus illis contigit, quæ clamant, *Domine,* *Prouerb. 1.*
domine aperi nobis: audiunt verò *Nescio vos. Quærite igitur Do-* *Isai. 49. 55.*
minum, dum inueniri potest; inuocate eum, dum prope est. Sed *Matth. 6.*
qua arte possum in cœlum properare? *Thesaurizate vobis*
thesauros in cælo. Eleëmosyna, oratio, ieiunium cælos pe-
netrant. Sed vide num aliqua oratio, eleëmosyna tua cæ- *Act 9. 10. de Cornelio.*
los penetrauerit. Inde colliges, in quem locum tendas,
quò tibi in morte deueniendum, si attendas, quò bona *Quo bona mittis, eo tibi veniendũ.*
mittas tua; ibi nanque tibi domus paratur. Nam qui ludo,
comessatione, ebrietate, luxuria, substantiam insumit su-
am, quò nisi in infernum properat? Auget comminatio- *Lucæ 16.*
nem dominus. *Et vbi ego sum, vos non potestis venire.* quia in *Vt diues epulo.*
vestra incredulitate mansuri estis, me non inuenietis; nec
in cælum ire potestis, vbi ego sum tanquam Deus, & quò
ego vado, vt homo: vt se ostendat verum Deum & homi-
nem. Sed quid dicunt? *Nunquid in dispersionem gentium iturus* *Isai. 9.*
est? quasi dicant: Num ad gentes ibit, vt eum inuenire
non possimus? Sciebant nanque Messiam promissum in
lucem gentium. Sed hæc nunc relinquamus. Audio nan-
que Domini Iesu vocem clamantem; ideò attentos nos
esse oportet. Sed quę vox est? *Stabat Iesus & clamabat si quis* *Quid clamet Iesus.*
sitit, veniat ad me. Sed ô Domine, quid clamas? Vtique vni-
uerso mundo annuntio, aduenisse iam optatissimam a-
quam gratiæ, qua mundus irrigetur desuper vt fructum re-
ferat. Hinc Prophetæ clamor: *Rorate cæli desuper, & nubes*
pluant iustum. &c. Publicæ fiebant preces, quibus hæc pete- *Psal 64.*
batur aqua: veniente verò Christo, hanc aquę plenitudi- *Aqua gratiæ.*
nē secum duxit. *Visitasti terram, & inebriasti eā. etc.* quasi di-
cat, *Visitasti nos oriens ex alto*. & tantam gratiæ copiam te-
cum adduxisti, vt inebriata terra sit aqua, satiata omninò *Copia gratiæ*

cælesti rore. Hoc ergò nunc clamat Christus. Iam gratiæ copia aduenit, iam aquæ redundant: *Si quis sitit, veniat ad me*. Et hoc etiam nunc tibi dicitur: opus tibi gratia est: agnosce ergò in lege gratiæ te versari; sacramenta tibi ad manum sunt gratiæ plena, nòn egena & vacua, vt olim: tibi Christus præsto est, vt ad eum accedens possis aquam bibere vsq; ad saturitatem Si ergo sitis, *fons patens est domui David Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & dicetis in illa die; Confitemini Domino, et inuocate nomen eius*. Accede ergo, bibe, & satiare, facile nunc referet fructus terra cordis tui, facile peccata vinces. Hoc nunc Christus clamat, vt in omnium veniat aures, & adijcit. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ* q.d.

Zach. 13. Isa. 12.

Terra cordis facile nunc fert fructus.

A dissimili. Aliter continget venientibus ad me, ac illis, qui ad fontes accedunt materiales: illi nanq; aquæ partem ebibunt: sed qui ad me accesserit, non tantum bibet, sed fiet in eo fons, à quo aquæ in alios promanant. Quo significat tale tantumq; bonum accepturos, vt non ipsis tantum sufficiat, sed in alios etiam deriuetur. Accipient nanque Spiritum sanctum, qui fons est viuus, à quo flumina multa procedunt gratiarum donorumque in eum, qui illum suscipit, & in omnes eius potentias, & vsq; ad proximos etiam decurrunt, ac deriuantur. *Scriptura dicit: Dedi in deserto aquas, & flumina in inuio, vt darem potum populo meo electo*. Et; *Oẽs sitientes venite ad aquas*. Et. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui*: vel, *de medio putei tui*, vt ex Hebr. vertit Pagninus. & est sensus: Aquam id est doctrinã vitę & salutis, doctrinam Euangelicam, ne haurias ex Philosophis, Pharisæis, & hæreticis, quæ sunt *cisternæ dissipatæ, quæ continere non valent aquas*, sed *de cisterna tua*. i. de Doctore illo, quem Dominus ad te mittet, vt te erudiat in vitam æternam. i. de Christo, huic crede; & cum hoc feceris *fluenta de medio putei tui erunt*. i. *flumina de ventre tuo fluent aquæ viuæ*. &, *fiet in eo fons aquæ viuæ*. Adiungit Sapiens. *Deriuentur*, seu vt in Hebræo est, *deriuabuntur fontes tui foras, in plateis tuis aquas diuide*. i. Si in me creditis & aquam de cisterna mea bibitis, & de puteo vestro, tunc opera & doctrina à vobis procedent, quæ proximos illustrent, ac illuminent. His autem verbis redundantia diuini spiritus in lege gratiæ dandi significatur tanta, vt *flumina fluant de ventre credentium*. *Effundam*, ait Dominus, *de spiritu meo super omnem carnem*.

Flumina spiritus sancti. Isa 43. Isa. 55. Pro. 5.

Redundantia diuini spiritus in le-

Hæc

Hæc in nos diuina largitas est, vt quasi aquam largè a- *ge gratiæ.*
bundeq; inæstimabiles Spiritus sui thesauros effundat, *Ioel 2.*
ac si aquam daret. Sed sicut diuinus spiritus fons est sca *Flumina spi-*
turiens virtutum fluenta, sic nequam spiritus sua et- *ritus nequā.*
iam flumina emittit. Et misit serpens ex ore suo post
mulierem aquam tanquam flumen. Vis intueri per
ora impiorum hæc flumina prodire aquis redundan-
tia? *Non est veritas, & non est misericordia, & non est scien* *Oseæ 4.*
tia Dei in terra. Maledictum, mendacium, & furtum, & ho-
micidium, & adulterium inundauerunt. Inundationi flumi-
nis peccatorum multitudinem similem esse dicit. Vt er-
gò à peruersis & turbidis Aegypti aquis liberemur, acce-
damus iam ad Christum vocantem nos: *Si quis sitit, veniat* *Psalm.35.*
ad me quoniam apud illum *fons est vitæ. Memoriam abundan-* *Psalm.144.*
tiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt; quia *Psalm.45.*
fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Quo melius accedere *N. B.*
sitiens potest, quam ad fontem viuum? Ad hunc ac *Luc 7.*
cessit Magdalena, quasi cerua currens ad fontes aqua- *Psal. 41.*
rum, cum se vidit vulneratam. & ex fontibus pedum Sal-
uatoris acceperunt eius oculi, vt fontes essent. *Aperuit do-*
minus oculos Agar, & vidit puteum fontem aquæ viuæ. Oremus
Dominum, aperiat nobis aquas fontis huius, vt eis vti no
uerimus. Sed vt Christus esset *fons patens domui Dauid,* & vt *Christus*
omnes *hauriant aquas in gaudio de fontibus Saluatoris,* Christus *quomodo fa-*
vulneratus est, vt in eo venæ aquæ viuę apparerent. Hunc *ctus fons pa-*
fontem claui, flagella, funes, crux & cætera instrumenta *tens.*
Dominicæ passionis nobis aperuerunt: largissimasque
Petra Christus produxit aquas, vt omnibus satis & abundè
esset. Accede ergo sitiens anima ad Deum tuum. Aqua
fontis huius mira est, salutaris est, diuina est, & nulli no- *Ezech.56.*
cet. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab om*
nibus inquinamentis vestris. Hæc animę faciē pulchram red *Psalm 50.*
dit: *Lauabis me & super niuem dealbabor.* Accede ad hanc
aquam, vt munderis, & dealberis *super niuem.* Pete à *Ioan 4.*
Christo cum Samaritana, *Domine da mi-*
hi hunc aquam.

FERIA QVARTA POST DOMINICAM V. QVADRAGES.

THEMA: *Facta sunt Encænia in Hierosolymis, & hyems erat. &c.* Ioan. 10.

Effectus peccati consuetudine obduratur. IN hodierno Euangelio proponuntur nobis effectus peccati, cum in anima longa consuetudine insederit, corque obduruit: & effectus gratiæ, quæ efficit oues Christi, & quomodo secum illis Christus habeat. Cordis obdurati effectus est, cum tempus animas purificandi adest, tunc illud amplius inquinari: Cōtra verò effectus gratiæ est, quod iustus Christi sit ouis, audiens Christi vocem, sequens eum; & ille eum seruat in manu sua, vt nullus rapere possit, sicut nec de patris manu. Hæc summa Euangelij est.

Effectus gratiæ.

Cor obduratum vnde cognoscatur.

Cordis obdurati magnitudo & difficultas. Quantum sit peccati malū solus Deus plenè perfectèq; nouit, qui se comprehendit & bonitatem suam, cuius offensa peccatum est. Sed cum obduruit quis peccato, summum & per omnia tremendum malum incurrit, difficileq; ei remedium adhiberi potest. ita Pharisæis contigit & Scribis peccato induratis. Omnis mundus Deum agnouit in passione, cœlum, terra, petræ scissæ, & tamen hi ad Pilatū dicunt, *Recordati sumus, quod seductor ille* &c. Certè si peccatū cordi dominatur, & illud indurat, prius mundus dissoluetur, quàm peccatum tollatur. Id facilè patet in Saule Dauidē persequente, & in Pharaone Israëlitas opprimente. Idē licet in Iuda videre, cui auaritia dominabatur; quē vt ad mentē reduceret, innumera Christus fecit: sed nihil ei profecerūt. Maius à Sanctis dicitur esse opus peccatorē conuertere, quàm vniuersum creare: at induratum conuertere plus est, quàm mille mundos condere. Hinc Paul. *Adhortamini vosmetipsos, per singulos dies, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.*

1. Reg. 4. 18. 19. 20. 22. 23. 24. 26.

Exod. 6. 7. 8. 9. 10.

Cordis obdurati mala. Sed obdurati cordis mala sigillatim expendamus. Primum est, cum tempus emendationis sit, plures contrahere sordes. Audi *Facta sunt Encænia*. i. festum renouationis & emundationis templi; quod institutum est 1. Mach. 4. quo signi

1.

significatur cor mundum & nouum creari oportere in peccatore. Hoc Quadragesimæ tempus, est renouationis spiritualis animæ tempus. Est verò *festus dies; quia gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Nos nanque templum Dei sumus. *An nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis?* Et multò potiori iure nos templa dicimur, quàm materialia. In nobis enim verè quiescit Deus, & ad nos venit, vt sit in nobis: ad illa verò solùm, vt inde veniat ad nos, non vt ibi quiescat. Sic Isa. Quæ est ista domus, quam ędificabitis mihi? Et Salomon: Cæli cęlorũ te capere non possunt, quantò magis domus, quam ædificaui. Quod ergo dignum Deo templum, vt in eo quiescat, ipse ostendit dicens: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Et per Isa. subiungit: *Super quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum Spiritu, & trementem sermones meos?* In anima iusti quiescit Deus, vt in proprio templo. *Ad eum, ait, veniemus,* & mansionem apud eum faciemus. Mira profectò Dei dignatio, quod cum in cælo habeat diuinos spiritus, in quibus commoretur; non dedignatur tamen ad vilem animam diuertere. *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Ex quo sequitur curam iusto habendã, vt nõ sit in anima eius aliquid, quod diuinos oculos offendat. *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Hoc tu agis: si inhonestus es, Veneris si gulę deditus Baccho; si auarus, pecuniæ diuinum cultum facis. An non hi templum Dei violant: Quid ergo faciendum ijs? *Fiant Encænia,* fiat renouatio & purgatio templi. Hæc verò fit per veram pœnitentiam, qua omne malũ expellitur ab anima. *Lauamini, mũdi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite benefacere.* Quo contra fecerunt Iudæi indurati qui hoc festo peccata, peccatis addiderunt, & templum Dei violauerunt: quibus similes sunt, qui nunc peccant, & noua peccata superioribus addunt, cum illa tollere debuissent. Sed vt hæc fiat renouatio: *Deambulabat Iesus in porticu Salomonis.* quando sentis in corde tuo peccatorum dolorem, motus deuotionis, desiderium perfectionis, quidnam est, nisi quod deambulat Iesus in corde tuo. Christus desiderio vitę nostrę agitatus deambulat huc atq; illuc, sicut Eliseus in domo Sunamitidis, filium eius excitaturus.

Dies festus mysticè. *Lucæ 15.* *1. Cor. 3. 6.* *2. Cor. 6.* *Leuit 26.* *Templa Spiritus sancti corda nostra.* *Isa. 66.* *3. Reg. 8.* *Prouer 8.* *Isa. 66.* *Ioan. 14.* *Mira Dei dignatio.* *Iob. 7.* *N. B.* *1. Cor. 3.* *Templi violatio & prophanatio.* *Renouatio templi.* *Isa. 1.* *Prophanatores templi.* *Deambulatio Iesu.* *4. Reg 4.*

Sed *in atrio deambulabat* ante tēplum,q; in exteriori cordis tui deambulat, non in interiori; quia intus peccatum est: nec illud ingredietur nisi à te projicias peccatum. Cùm in templum idola posuissent Israëlitæ, exiuit Deus de templo; *quæ enim conuentio lucis ad tenebras? Christi ad Belial?* Eijciendus ergò dæmon, & peccatum, vt Christus intret. Omni hac Quadradragesima deambulauit Iesus iuxta cor tuum, vt ei aperias: nec aperuisti ei ianuam, licet steterit ad ostium & pulsauerit. Multa & mirabilia posuerat Salomon in templo; sed nunquam fuit plenum, & gloriosum, donec Deus templum ingrederetur: quia nunquam anima plena, & in gloria erit, donec Deum habeat: ideo cura, vt intret in te, nec maneat semper in atrio aurium tuarum: sed dic, *In corde meo abscondi eloquia tua.*

Ab ingressu templi quid Deum prohibeat

Ezech,10.

2.Cor.6.

3.Reg.8.

Psalm.118.

Sed audi, quid duri corde faciant, cùm Christus deambulat in atrio. *Circundederunt eum.* Psalm. *Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me: circundederunt me sicut apes: & circundederunt me canes multi.* Vt omni ex parte expugnent Christum, illum circundant; sicut expugnaturus ciuitatem eam circuit. Hoc verò efficit peccator, cum omni se tradit immunditiæ & iniquitati: tunc *impij in circuitu ambulant*; nullibi non peccant, in domo, in via, in Ecclesia, in omni prauitatis genere, quod summè est abominandum, de quo Ioann. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna; & facta est custodia omnis spiritus immundi.* Aliter verò iusti Christum circundant, cùm omni sua cura Deum sibi deuincire conantur, in omnibus eius gloriam quærentes. Vnde Petr. *Fratres satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, &c. Hyems erat.* Celebrabatur hoc festum in mense Casleu, qui nobis est Nouember. Vt ergò notaret eorum frigiditatem, ait; *Hyems erat.* de qua re Ierem. *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam.* id est. Sicut aquam, natura sua frigidam, frigidiorem reddit cisterna; sic malitiam & peccatum frigida, frigidiora facit malitia & induratio. Dupliciter enim quis peccat, aliquando cùm timore recordatus Dei & iudiciorum eius: aliquando verò omninò Dei oblitus, quasi Deus iudicans non esset. de quo Psalm. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Hi contemptu peccant, & in

Psal.21.117.

Qui Christū circundent.

Impij.

Simile.

Psalm.11.

Apoc.18.

Iusti.

Frigiditas Iudæorum

Ierem. 6.

Simile.

Dupliciter quis peccat.

Psa.9.et 52.

& in hyeme esse dicendi sunt, & frigiditate abundare malitiæ. & hi sunt insanabiles. Miser profectò homo, qui in hoc statu est. Sed semper tibi hyems erit? nunquamne de te dicendum; *tam hyems transijt*? Infelix omninò anima, cui semper hyems est, semper peccato subiacet. In templi tui renouatione spirituali primùm tibi quærendus est calor & feruor spiritus sancti, vt recedat hyems. Duplex enim animæ renouatio fit. Primò q̃sito illo igne cœli, vt Nehemias fecit; cùm Spiritus sancti feruore tollitur radicitus peccatum, *cùm renouatur vt aquilæ iuuentus tua.* Sicut enim Aquila, versus solem surgens, calore incensa, se in aquis immergit, & renouatur: sic anima sursum eleuata versus iustitiæ solem, calore Spiritus sancti recepto, aquis lachrymarum se demergit, & sic renouatur. Hæc animæ renouatio Deo placet, vt in Magdalena. Alia verò renouatio fit in hyeme, ea frigiditate scilicet, vt nesciamus, an vera sit conuersio. *Si reuerteris, ad Dominum conuertere*. id est, redi serio, & ex animo feruidè. Melius est enim nihil facere, quàm ita frigidè, vt nihil efficias.

Ex contẽptu peccantes insanabiles.
Cant. 2.
Anima infelix.
Duplex animæ renouatio.
2. Machab. 1.
1. Seria.
Simile.
2. Frigida.
Luc. 7.
Ier. 4.

Sed quoniam hi indurati aliquando boni apparere volunt, bona loquuntur, dicuntq́; quod hi Christo: *Vsquequo animam nostram tollis: si tu es Christus, dic nobis palam*. Sed respondet Christus: Iam hoc factum est: *Loquor vobis & non creditis*. Iam enim ostenderat eis, *Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.* Sed quid illi ad tam clara testimonia? Causas inanes perquirunt, dicuntque regium nomen falsè subscriptum esse, & *in Beelzebub principe dæmoniorum eijci dæmonia*. Nunc verò dicunt, *Vsquequo animam nostram tollis*? quasi parati essent obedire Deo; cùm tamen sint omninò rebelles, dicentes: *Nolumus hunc regnare super nos.* Sed in his verbis, *Quousque animam nostram tollis*, præ oculis ponitur anima anxia, & solicita, vt Christum inueniat: quam licet illi non habeant opinionem, fingunt tamen. Sed vide animæ à peccato exeuntis anxietatem: *Vsquequo Domine obliuisceris in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me? Quamdiu ponam consilia in anima mea? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me?* Vide qua anxietate repetit, *Vsquequo*: quasi pectore non valens continere: sic isti, *Quousque animam nostram tollis?* Qui vehementi

Ioan. 17.
Luca 11.
Luc. 19.
Anima anxia & solicita Deum quærens.
Psal. 12.

Anxietas & lucta seriò conuersi.

conuersione & seria ad Deum reuertitur, experitur vtique luctam hanc interiorem. Hac enim parte amore Dei hominem trahit, vel timor magnus; illâ verò vitia tenent

Quis hanc luctam sentiat.

eum. Sed ais, non sentio. Si tu euelleris omninò à vita veteri, sentires; sed non euelleris, nec omninò peccatum relinquis, ideò tibi dolor non est, nec sensus: sicut si arbor nimium radicata, in puncto maxima vi eradicatur, sensum non habet nec dolorem. At hi qui omninò à peccato recedunt, hi sine dubio discruciantur; quia omninò *exuunt veterem hominem, & induunt nouum.* Et sicut quæ ad partum

Simile.

Simile.

Isai. 26.

appropinquans clamat in doloribus suis: sic *à facie tua Domine concepimus & peperimus spiritum salutis.* En anxietatem eius, qui verè ad Deum conuertitur. quæ exprimitur his verbis: *Quousq; animam nostram tollis.*

Sollicitudo animæ Deũ quærentis.

Psalm. 76.

Quibus verbis etiam significatur animæ Deum quærentis sollicitudo, quæ anxiatur, & quasi in suspendio est, donec Deum videat, & eum cõsequatur, dicens cum Psal. *Renuit consolari anima mea*, dum à terrenis eleuata est, nec Deum consequitur, & quasi in suspendio est, de quo Iob:

Iob 7.

Languor animæ.

Cant. 2.

Psalm. 72.

N. B.

Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Ex quo nascitur languor animæ procedens ex amore, quo languebat sponsa dicens: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? defecit cor meum & caro mea. & cæt.* Ecce languor, sed non ad mortem: est enim languor auferens animæ gressum ad illicita, iacêre facit per humilitatem, quæ ante stabat erecta. Donec ergò anima Christum inuenit, sollicita est,

Cant. 3.

& ait, *Num quem diligit anima mea vidistis? Vsquequo animam meam tollis.*

Christum lapidantes.

Sed indurati hi, quo tandem perueniunt? *Sustulerunt lapides, vt iacerent in eum.* Misera profectò ouis, quæ depascere, cum velit herbam veneno infectam, quòd eam pastor inde separat sibilo, ipsum pastorem lapidare vult. Sed ad nos conuertamus oculos, qui peccatis nostris Christum, in quem credimus, lapidamus. Quid enim periurus, quid blasphemus, quid scandalizator facit aliud, quàm lapides in Christum mittere? In lege veteri scriptum est:

Leuit. 20.

Exod. 22.

N. B.

Qui maledixerit patri aut matri morte moriatur. quid igitur dicemus de his, qui nunc in gratia nõ patri aut matri maledicunt, sed ipsi Deo? quo supplicio afficientur? qualis igneus amnis, qui vermis sempiternus, quæ tenebræ, quæ vincula, quis

la, quis ſtridor ſcelerum magnitudini ſatis eſſe poſſit? Quod verò Chriſtus Dominus ad hos induratos loquitur, tibi quoque dixit: *Multa opera bona oſtendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Sanctus Martyr Polycarpus iuſſus dicere conuitia in Chriſtum reſpondit: Annis 86. ſeruio Chriſto, & nihil me læſit vnquam; quomodo poſſum maledicere Regi meo, qui vitam mihi donauit. Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens? *nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creauit te?* Quia dedit tibi ſubſtantiam huius mundi, ex ea lapides facis, vt eum offendas? *Dedi eis argentum & aurum, quæ fecerunt Baal.* Dedit tibi formam pulchram, & hac Deum offendis: vitam, ſalutem, & ex his omnibus lapides feciſti, quibus eum lapides? Mira hominis ingratitudo. Cauenda nobis maximè cordis durities, quæ tantum mali operata eſt in Phariſæis, ne in ſimile incidamus iudicium: maximè verò hoc ſacro tempore; cùm illud tempus renouationis exigit, quando Deus deambulat iuxta cor tuum, tot te concionibus & inſpirationibus mouens, ne ipſum lapides peccatis tuis.

Euſeb lib 4. hiſt. Eccl. ca. 14.
Polycarpi dictum.
Deut 32.
N. B.
Oſeæ 2.
Cordis durities Chriſtũ lapidat.

Sed Chriſti bonitatem interim conſidera, qui non recedit, niſi lapidibus appetitus: nec lapidibus, aut præcipitio mori vult, ſed cruci affixus; vt nobiſcum maneat ſemper. Simul verò nunc paſſioni ſuæ approximans, corpus ſuum diſponit ad eam perferendam: Sic ergò cùm tibi laborem & dolorem immittit, diſponit te, vt duriora & grauiora poſſis ſuſtinere, vt maiori gloria te donet. Quod ergò minus eſt diſce tolerare, vt maiora poſteà poſſis ſuſtinere; & dignus ſis præcipua corona cæleſti. &c.

Bonitas Chriſti.
Corpus diſponit ad paſſionem.

FERIA QVINTA POST DOMINICAM PASSIONIS.

THEMA: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Lucæ 7.

MIRABILIS *Deus in ſanctis ſuis: & magnus ipſe, & laudabilis nimis*, ſanctos ſuos & magnos & laudabiles efficit. Magdalenam quidem magnam & laudabilem eſſe ſatis conſtat, ſed eo maximè, quòd cùm

Laus Magdalenæ præcipua.

in profundum malorum venisset, inde emersit, innumera vincens peccata. Sic Christus Dominus ex multitudine peccatorum, quæ ei dimissa sunt, arguit eam plus diligere, quàm Pharisæus, & ideò meliorem esse. Ex multitudine ergò peccatorum colligenda eius laus est à nobis, sicut à Christo. Sed audi Magdalenæ præclarum facinus, quò tibi appareat admiranda. Quò magis illam peccatricem ostenderimus, eò continuò mirabilior apparebit. Quænam erat Magdalena? *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Hoc illi nomen imposita erat in ciuitate ampla, *peccatrix*, quo significabatur summè in ea peccatum dominatum. Erat omni vitio tradita, superba, inhonesta, iracunda, inuida, auara, ventri tradita, dæmonum sentina. En imaginem Magdalenę. Sed audi nunc inauditum facinus, quo Dauidem superauit, qui ex adulterio & homicidio emersit. Omnia ista peccata deleuit, omnia vicit. Triplex est debitū, quod Deo homo debet. Debitum primum naturale est, quod omnis homo, siue peccator siue iustus Deo debet. Deo enim debes esse naturale, & omnia bona animæ & corporis, & fortunæ, & denique quicquid boni in te est: sed hoc debitum non facit nos diuites aut pauperes: non enim eò homo diues, quòd multa naturalia habet, nec pauper, quòd eis careat. Secundum verò debitum solius iusti est, eumque diuitem facit, & quò plus debet eò ditior est. Hoc vero debitum est omnium bonorum gratiæ, quæ Dei dona sunt: vnde si ab eo accepta ideò & debita: quo plura in his debes, eò ditiores. *Diuites fieri in operibus;* Et, *quòd in omnibus diuites facti estis in illo.* Tertium debitum solius peccatoris. Pessimum profectò debitum, quod debitorem miserum ac pauperem reddit. debet enim Deo semetipsum, quem Deo abstulit; debet Deo æternas pœnas. Omnes sumus in hoc debito; & ab omnibus exigit huius debiti solutionem. Anxius es, quomodò soluas Deo debita? Proponitur tibi Magdalena, quæ plurimis debitis erat onerata, & ab omnibus hodie liberata est, vt tu discas ab ea, quomodo tibi debita soluenda sunt. Debitrix fuit Magdalena in bonis naturæ; quia nobilis, diues, pulchra, sed non proptereà ditior coram Deo. In bonis gratiæ debitrix fuit, quia optimam partem elegit: verè optimam quæ sedere ad pedes Iesu elegit, quæ Apostolorum Apostola fuit. Demum debitrix fuit maxima tan-

Peccatrix.

Debitum triplex.

Naturale.

Gratiæ debitum.

1. *Tim.* 6.
1. *Cor.* 1.

Peccatoris debitum.

Magdalenæ debita.

In bonis naturæ.

Gratiæ.

quam

quam *peccatrix*, cùm deberet 500. denarios, & ab ea expulerit 7. dæmonia Christus, per quæ Gregor. ait intelligi vitiorum vniuersitatem: infernus quidam erat peccatorum. Nec tamen ex hoc minus fuit, sed excellentior in donis gratiæ, quòd dilexit multùm: quia *vbi abundauit delictum, superabundauit gratia*. Videamus iam, quomodo peccati debita persoluerit. Capta erat Magdalena, funibus constricta fortissimis. sed *Ecce mulier* venit ad pedes Christi, *lachrymis rigat, capillis tersit, osculatur, vnguento vngit*. En *vas contumeliæ & iræ in vas mutatum gloriæ & misericordiæ*. En hodie exhibetur nobis *memoriale nominis Dei*, cùm in manu fæminæ deiectus est dæmon, sicut Holophernes manu Iudith. Vis tu ô peccator insigne aliquod patrare facinus? Si pluribus es irretitus peccatis, summam præstabis fortitudinem, si ab eis emerseris, si ea reliqueris; & Magdalenam imitatus fueris. Primùm, quod illa fecit, est: *Vt cognouit quia Iesus accubuit*. Continuò, non expectato tempore irruit in medio conuiuij: vt nos doceat continuò nobis à peccato recedendum. Peccat Adam, & continuò ad eum venit, vt eum educat à delicto suo, d *Adam vbi es*. Quid putas morsus conscientiæ esse, nisi Deum te continuò arguere, vt à peccato exeas? Sic Magdalena, *vt cognouit*, continuò à peccato exire curat.

Peccatorum. *Rom 5.* *2. Tim. 2.* *Iudith 9.* *Quomodo ex peccatis emergendum.* *1. Remedium.* *Genes 3.*

Sed quò ibit Magdalena, vt sanitatem recuperet? *Accessit retro secus pedes Domini*. In locum sacrum se recipit Magdalena, & necessitatem in virtutem ducit. *Ad pedes* enim Christi veniendum est omninò; vel tu venies vel ad eos traheris vt malefactor. Ideò accede supplex: à Deo enim fugere nequaquam potes. Attende Dei bonitatem, non est locus securus peccatori, nisi pedes Christi offendat: hos illa *osculatur* in clementiæ signum. Sed venit Magdalena abscondité, quia *accessit retrò*, ad pedes eius se proijcit, vt protegatur à iustitia Dei. Sed, Domine, ecce ad pedes tuos inimica tua, *mulier fornicaria, quæ conculcabitur vt stercus*. Sic Pharisæo visum est: sed Christus non sic: verùm protegit eam, vt Eliseus Sunamitidem. Omnis lex iustitiæ & rigoris ad pedes Iesu frangitur. *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus*.

2. Medium. *N. B.* *Psalm. 138.* *Eccli 9.* *4. Reg. 4.* *Ierem 3.*

Sed q. d ad Christi pedes posita facit? *Lachrymis cæpit rigare pedes eius*. Grande miraculum. Solet enim cælum terram irrigare,

3 Medium. *N. B.*

irrigare, non verò terra cælum: sed nunc terra cælum irrigat, cùm Magdalena Christi pedes lachrymis lauat. Nunc dici potest: *Aquæ, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.* O Magdalena præclaram rigas arborem: vide quàm citò fructum decerpat, *Vade in pace*. Beatæ lachrymæ, quæ pedibus Christi infunduntur: cæleste lauachrum lachryma est. In vestibulo gloriæ nobis proponuntur, vt eis abluamur, quas significat mare illud fusile, in vestibulo templi collocatum, quo lauabantur carnes Deo sacrificandæ. Acceptum ergò sacrificium Deo, igneque cælesti absumendum, quod his lachrymis plenum fuerit, vt Eliæ aqua respersum. *Ecce ergò mulier quæ erat in ciuitate peccatrix*, ad Christum accedit, ibique plorat. Caprea, ceruus, & coruus transfixi dictamnum continuò quærunt, vt ferrum expellant hac herba: & peccator, restituendo sibi institutam exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit? Accipe ergò cum Magdalena lauachrum istud, Sacramenta frequenta, vt peccata declines. Pedes Christi lauat Magdalena, sed magis faciem animæ suæ. Attende igitur nunc hanc fæminam Magdalenam, quæ Christum quærit, domum intrat, & ad pedes Christi accedit, optimum sanè locum, vt in eo peccatorum veniam assequatur, vt *sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*. quo nos docet ad sacerdotis pedes accedere, qui Christi vicarius est.

Psalm. 148. — *Exclamatio.* — *Lachrymæ beatæ.* — 3 Reg. 7. — 3. Reg. 18. — Simile. — *Basil. ho 5. in hexam.* — *Tert. libr de pœnit ca. 12.* — *Pli li 8 nat. hist. cap 27.* — *Virg. 12. Aen.* — *Cic. lib. 2. de nat deor.* — *Deut. 32.*

Sed quid ibi constituta loquitur? Planè nihil ore loquitur, corde tantùm & lachrymis loquitur & clamat. Sed quomodo oculi loqui possunt? Audi Ierem. *Per diem & noctem non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Oculus ergò loqui debet. Cùm enim peccati dolore oculi plorant, maximos clamores emittunt. Hinc Psalm *Auribus percipe lachrymas meas*: cùm auribus vox percipi soleat, lachrymæ proculdubio voces sunt. idem Psalm. ostendit. *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Fletus ergò voces sunt. Sic ergò loquitur Magdalena & peccatorum veniam lachrymis petit, quarum redundantia voces linguæ impediuntur. Multi ad Christum accesserunt, vt malorum remedium ab eo postularent, sanitatem, mundationem, visum, & cæt. sola Magdalena ad Christum accedit nihil horum petens, sed duntaxat peccatorum veniam. Optima profectò ac

Lachrymæ quomodo loquantur. — *Thren. 2.* — *Psalm 38.* — *Psalm. 6.* — *Peccatorum venia petenda.*

ctò ac Deo gratissima oratio; nihil petit temporale. quod malum non est petere, sed incongruum, neglectis ijs, quæ ad animum pertinent. Vis ergò gratissimam Deo orationem offerre? pete peccatorum veniam. Quod autem Deo sit gratissima, inde colliges, quòd in momento hanc Deus exaudit: cùm reliquas orationes non tam facilè audiat. *Gratissima Deo oratio quomodo offerenda.* Oras Deum petens temporalia dona & etiam spiritualia, nec continuò exaudiris; opus est tibi perseuerantia, vt etiam spiritualia obtineas. *Quare veniæ petitio Deo acceptissima.* Sed si peccati remissionem ores vero & integro corde, statim exaudiris. *In quacunque hora ingemuerit peccator. &c.* *Ezech. 18. & 33.* Vt hæc exaudiatur oratio, perseuerantia opus non est, quia in momento exauditur. Dauid dicit, *Peccaui.* continuò audit: *dominus quoq; transtulit peccatum tuum.* *2. Reg. 12.* Et publicanus orans, *Deus propitius esto mihi peccatori, descendit iustificatus.* *Luc. 18.* Et prodigus, *Peccaui*; Pater ait; *Citò afferte stolam primam. Citò* ait. *Lucæ 15.* Ratio est: *primò* quoniam in vera & extrema necessitate est peccator: in extrema verò necessitate oportet exaudiri continuò orationem. *1. Peccatoris necessitas.* Audi necessitatem. Clamat Christus è cruce, clamat peccator: & pater filium relinquit, vt peccatori mediatur accurrens. Grauissimum sine dubio malum est serui peccatoris, summa extremaque necessitas, cui vt accurrat pater, filium derelinquit morientem. *Secundò*, quia hoc maximum Dei opus est, in quo omnipotentiam & bonitatem suam ostendat. *2. Maiestas Dei.* Magnanimus Deus est, pete magna. Cùm peccati veniam petis & gratiam, verè magna petis. *Tertiò*, summum Dei odium in peccatum; vnde semper Deus paratus est illud destruere, si tu petis. *3. Peccati summum odium.* Facilis peccati venia, non ideò datur, quia leue putet peccatum: sed quia infinitè illud odit. His de causis oratio, quæ peccati veniam postulat, facilè exauditur, & Deo gratissima ostenditur; quam hodiè Magdalena profundit. Orat cum lachrymis & humilitate. Hæc enim seria oratio est, quæ veniam obtinet. Ad huius instar cum tu orationem profundis coram Deo, petens peccati remissionem, cura vt lachrymæ tuæ orent potius quàm lingua. Lachrymis saltem cordis, & si potes etiam corporis peccata ablue. Sed quid amplius præstabat?

4. medium.

Capillis etiam tersit, & vnguento vnxit. En Magdalena Deo tradit vniuersa arma sua, quibus ante contra eum militauerat, manus, oculos, capillos, vnguenta: vt iam

Zach 14. non vanitati sed Deo inseruiant. *Erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ.* *Lebetes* sunt, in quibus caro decoquitur.
Allegoria. *Phialæ* verò coram altari ponebantur, plenę odoramentis. En illam, quæ prius Lebes erat, mutatur in phialam: & repleuit totam domum odore vnguenti id est exempli sui.
Deus irretitur, & quomodo. *Capillis* igitur *tergebat*: Simul verò & illaqueabat pedes Christi: & quibus capillis irretierat vanos homines, nunc Deũ ipsum irretit, & quasi laqueo capit. Vis videre capillis Deum captũ?
Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorũ, & in vno crine colli tui.* Oculis vulnerauerat, dũ plorabat; crine, cũ pedes tergebat.
Capilli mysticè quid. Hi verò capilli significant cogitationes. Dicit igitur anima, quomodo te capiam? sine dubio capillis, cogitationibus charitate inflammatis.
Psalm. 38. *In meditatione mea exardescit ignis*, & in igne
Iudic. 16. Deus. Vis ergò Deum alligare, vt Dalila Sampsonem? tecum semper cogita & arma.
Simile. Præterea *capillis tergebat*. Cùm in suprema arce ciuitatis vexillum vides, inde licebit nosse, quis in illa imperet. Sic cum in capillis Magdalenæ videmus iam puluerem pedum Christi, humilitatem, pœnitentiam, sine dubio in illa Christus regnat. Sed quomodo
Fides viua. tam citò Magdalena tanta efficit? Fides viua hæc effecit. *Fides*, inquit, *tua te saluam fecit*. Erat illa inter delicatas
Quomodo tã cito mutata. mulieres, & pulchras Hierusalem, sed Deus noster in corde illius fidem viuam accendit, dilectionem maximam: peccata illi ad viuum proponit, facitq; eam recedere ab omni luxu ac delectatione. Audit verò à Christo Domino, *Vade in pace.* Mirũ profectò, tam facile solui tanta peccata: sed Christus illa persoluit ex iustitia; hęc ergo sine supplicio, quia Christus illius pertulit supplicia. Ideo ad eam dicit *Remittuntur tibi peccata tua. Tibi* dicit, non mihi: quia ego ea ex iustitia persoluam. Sic ad Dauid *Transtulit Dominus peccatum tuum*. Sed quò? Vtique ad Christum. *Posuit enim in Christo Dominus iniquitates omnium nostrum: & sic*
Condonatio tanta non tãtum ex fide, sed & charitate. *dolores nostros ipse tulit*, licet non peccauerit.

Nec verò mirandum tantam condonationem repentè Magdalenæ factam esse; etenim *dilexit multùm* & sic in puncto mulier ista perfecta est. Aliquos Deus paulatim erigit: alios verò in puncto, vt Paulum, & Magdalenam.
Adhortatio ad pedes Christi. Felix mulier, quæ primo gressu ibi se collocauit, quò multi post longum iter perueniunt. Nunc ergo cum Magdalena ad Christi pedes accedamus, dum ad illos accessus patet.

patet. Veniet enim tempus, cùm ianua clausa erit, & dicatur, *Nescio vos.* O anima, quæ nunc delicatè tractaris, in delicijs & delictis enutriris, veniet tempus, cùm ab inimicis capiaris, & te molere faciant, vbi in æternum discurras: cùm videris duci te in fluuium obliuionis æternæ, & vt vilissimam tractari seruam, innumeris tormentis & flagellis cruciari, qualia mittes suspiria? quas lachrymas fundes? Sed tunc sine fructu erunt: nunc verò cum fructu; ideò ad pedes Christi accede cum Magdalena. &cær.

Matth. 25.

Acerbitas pœnarum infernalium.

FERIA SEXTA POST DOMIMINICAM PASSIONIS.

THEMA: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo.* Ioan. 11.

CVM iam simus passioni proximi, proponitur hodiè sententia passionis Christi, lata in duplici tribunali; in cælesti & terreno, in diuino & humano. In cælesti lata est hæc sententia à Deo. In terreno verò Caiphæ concilio eadem sententia profertur. Fit ergo cõtra Christum cõcilium & in cælo & in terra. Mirabile verò in hac sententia est illud, quòd eadem omninò cùm sit, & eisdẽ verbis prolata a diuersis concilijs; in diuino iustissima fuit; & exemplar iustitię Dei. vnde Paulus *Quem proposuit propitiatorem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ.* In concilio verò Caiphæ iniustissima est omnium, quæ in mundo sunt, & exemplar omnis iniustiæ. Vnde diuersa sunt acta horum conciliorum, diuersi processus, diuersa motiua, diuersæ rationes. quæ nobis exponenda sunt.

Sententia passionis in duplici tribunali lata.

Diuina iustissima est sententia.

Rom. 3.

Humana est iniustissima.

In diuino ergò concilio hæc sententia profertur ea ratione, vt humanum genus ex iustitia redimatur optimo atq; conuenientissimo modo: *Moriatur* ergò *pro populo & non tota gens pereat.* Minimo Christi opere hæc redemptio confici poterat de iustitia propter suppositi infinitate: sed sicut satis non est, medicinam cõfici, nisi applicetur infirmo. & optima illa medicina est, quę non solùm vim habet morbũ expellendi, sed etiã facile applicetur infirmo: sic satis quidẽ esset minimũ Christi opus, vt nos redimeret,

Diuinæ sententiæ ratio.

Paßio Christi dilectionẽ auget.

Similes.

Maxima passus & sufficienter Christus. sufficiens illa medicina esset: sed nobis non ita commodè applicaretur ac nunc, cum tanta Christus passus est pro nobis: quia applicatio passionis Christi fit nobis per amorem & dilectionem, qua Christo vnimur vt viua membra, & eius merita planè participamus. Voluit ergò talia exhibere dilectionis suæ signa, quibus non solùm Patrem placaret, sed & hominem quasi vi ad se traheret, vt dicere possit. *Cum exaltatus fuero omnia traham ad meipsum* & vt diceret Paulus. *Charitas Christi vrget nos*: vt non sit qui *se abscondat à calore eius*. Hinc Paulus orat, *scire supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. O filij hominum, quàm graui* sumus *corde*, quàm duri, quandò vt Deum diligamus, necessarium fuit Christum mori. Sed qualis obsecrò est ille, qui viderit Christum pro illo mortuum, adhuc non diligit eum? Si graue piaculum est antè non dilexisse, quid nunc post eius mortem? si tam tepidi sumus in eius dilectione, postquam pro nobis ille tanta pertulit; quid obsecrò esset, si minima passus fuisset? *Qui non amat Dominum Iesum, anathema sit*, inquit Paulus. Quo nomine, quæso, illum censebimus, qui Christum crucifixum non amat? an brutum? non; quia bruta benefactores diligunt: an lapidem? non; quia lapides Christi passione fracti sunt. Quid ergò? Nescio, tu ipsum nomina. Ad hoc ergò necessaria Christi passio fuit. Simul etiam, vt omnis à nobis tolleretur excusatio. Nam pro nobis patiens ostendit se nos diligere, & nobis benefacere magno & multo cum labore: vt cum tibi subeundus labor est in Dei obsequio, dicas: Deus mihi in labore & siti, sudore & morte adfuit: ego similiter eius obsequio assistam, licet mihi laborandum sit. Summè ergò nos sibi deuinxit hoc amore, hac tanta dilectione. Tam pretiosa res amor est, vt sicut lux etiam in re fœdissima non fœdatur; ita amor in re vilissima non vilescit. Et catellum te diligentem diligis, seruum te amantem amas, quanti ergò æstimandus tibi est diuinus amor, vt redames? *Fratres diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos: & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Hæc ergò prima ratio in concilio diuino fuit vt Christus pateretur.

Ioan. 12. *2. Cor. 5.* *Psal. 18.* *Eph. 3.*

Christum crucifixum non amans nulli creaturæ comparandus. Excusatio non est Christum non diligentibus.

Eccl. 33. *1. Ioan. 4.* *Apoc. 1.*

2. Secunda verò ea est: *Expedit, vt hic homo moriatur*, vt quod verbis docuerat, factis comprobaret. Passio Christi fuit exemplar omnium virtutum. Hinc Petr. *Christus passus*

Passio Christi exemplar

sus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. &c. Dixerat Christus Dominus multa de charitate, humilitate, mansuetudine, patientia, obedientia: sed vt plenè nos erudiret, descendit ad passionem suam, & in seipso omnium virtutum lineas figurat, vt virtutum omnium praxin conspiciamus. Sicut ergò Iacob decorticatas virgas diuersorum colorum in canalibus posuit, vt eas intuerentur oues & varios ac maculosos fœtus conciperent: sic in canalibus Ecclesiæ positus est nobis Christus, *virga virtutis* Dei, diuersis ornatus virtutibus, vt eum intuentes imitemur. Verbo docuerat Christus, sed posteà in Caluariæ monte semetipsum exemplar dedit eorum, quæ dixerat. Ideò August. crucem cathedram Christi dicit, vbi positus est Christus in signum omnibus, qui viam in cœlum agunt, ne in via cæli declinent, & pereant à recto tramite. Vis nosse quomodo Deum diligere, Deo obedire, proximum amare debeas? vide Christum in cruce, qui hoc te docet; & imitare. Vis nosse, quomodo humilis, mansuetus, iniurias patiens esse debeas? Christum agnum humilem & mansuetum respice. Omnium exemplum summum relictum nobis est in Christi passione. Sed dicunt aliqui Christus Deus erat, ego verò homo. Imò hac ego ratione te conuincam, qua tu euadere conaris. In his quæ dignitatis, honoris excellentiæ sunt, hæc excusatio admittitur: Si diceretur tibi: cælos crea, mortuos ad vitam reuoca, sicut Christus fecit, iustè responderes; Ille Deus, ego homo, nec possum sequi factorem meum in his, quæ excellentię sunt, sicut & miles rectè responderet, si diceretur ei, vt regiam pompam duceret, rectè responderet, Ille Rex est, & ego miles pauper. At in his, quę humilitatis & laboris sunt, nulla est excusatio, Christus Deus est, ego homo; imò ~~verò ac~~ excusatio. Et ratio est, qua manifestè conuinceris; quia enim ille Deus, minus debet deijci ac humiliari; tu verò, quia homo, maximè deijciendus es, & labori incumbere debes: sicut cum Rex pugnat ac laborat, rectè militi diceretur, pugna, labora, Rex enim pugnat ac laborat. imò hac ratione tibi magis laborandum; quia enim ille Rex est, minus laborare deberet. Expedit ergò Christum mori, dicitur in diuino concilio, vt mundus optimo modo redimatur, vt amore in Deum denunciatur, vt exemplum sit omni homini excellentissimum

omnium virtutum.
1. Petr. 4.
Allegoria.
Genes. 30.
August.
Crux cathedra Christi.
Ioan 14.
Philip. 2.
1. Ioan. 3.
1. Petr. 2.
Isa. 53.
Obiectionis præoccupatio.
In quibus Christus sit imitandus à nobis.
Simile.

mum. Optimæ sanè rationes, Deoque dignæ. Sententia ergo his rationibus prolata iusta est.

2. *Humana sententia iniusta.* Sed iam de Caiphæ concilio iniusto; & rationibus illius disseramus. *Colligerunt Pharisæi concilium.* Qui aliàs diuisi erant, contra Christum vnum efficiuntur. Sic Psalm. *Psal. 2.* *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Principes, inter quos 1. *Malorum cõspiratio in bonos.* bella esse solent, vt in Christum insurgant, in vnum coacti sunt. Praui licet capitibus, & voluntatibus diffideant, caudis tamen, quibus bonos insequuntur, velut Samsonis vulpeculæ, hærent. *Iudic. 15.* Ad hoc concilium respexisse videtur Nahum. *Nahum. 1.* *Quid cogitatis contra Deum? Consummationem ipse faciet, & non consurget duplex tribulatio: quia sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium.* Ad literam loquitur de Semaacherib, & eius exercitu obsidente Hierusalem, & iam conuiuia celebrante, quasi iam capta esset. *Duplex* verò *tribulatio,* ait, *non consurget,* quia vna delebitur. *Simile.* Sicut spinæ inuicem collectæ igne absumuntur: Sic etiam nũc quasi spinę se complectuntur in concilio Scribæ & Pharisæi, quos Deus vno excidio consumet. Ideò Eccli. *Eccli. 21.* *Stipula collecta synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis.* *Mali separandi.* Vnde optimum est malos ab inuicem separare, vt corrigantur: vt factum est in Babel, & cessarunt à turris ædificio: *Genes. 11.* sic Daniel primùm separauit senes. *Dan 13.* Sed & in hoc mali bonis sunt exemplo, vt sciant, quomodo se possint tueri, si inter se vniantur. hinc Psalm. *Psal. 132.* *Quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnũ.*

Impij iustũ interimendo securos se putant. Secundum in hoc concilio aduertendum est. Volunt hi iustum interimere: & sic se securos credunt, cùm tamen boni malos seruent. Propter iustos enim mundus hic conseruatur: cumq; iusti non fuerint, continuò mundus peribit; quia omnia propter electos. *Iustorum vtilitas in mũdo.* Iusti mundum tuentur; mali perdunt, & in interitum ducunt. Sic Abraham contendente decem iusti potuissent conseruare Sodomam & reliquas ciuitates. *Genes. 19.* *Iustorum pretium mũdus ignorat.* Verè si nosset mundus pretium iusti, & bona, quæ propter eum Deus Reipublicæ confert, licet oculos eruere necesse esset, & in extremas orbis plagas mittere, vt iustum ad se adduceret: multa enim bona propter iustum ei venient. Et tandem aliud non expectatur vt mundus pereat, & Christus ad iudicium veniat, quam bonorum collectio ex hoc mundo. Hi contrà iustũ

à se tolle-

à se tollere volunt. Iniquũ profectò & pessimũ cõcilium.

Tertium in hoc loco aduertendũ est, velle se conseruare medijs illicitis, & sic pereunt: & in contrarium eius vertuntur, quę cogitarunt, de qua re Psal. *Posuerunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.* Duo intendebãt Christũ obscurare, & se conseruare: & qua via hęc conficere putarunt, ea oppositum effectum est. Cuius figura in Ioseph pręcessit. Simile quid contigit Sauli cum Dauid, & Aman cum Mardochæo. Intenderunt Christum obscurare, sed hac via clarificatus est, & mundus in eum credidit. Intenderunt etiã se conseruare illæsos à Romanis, sed propterea venerunt Romani, & eos deuastauerunt: & translatũ est Romam sacerdotium & regnum, quod erat in Hierusalẽ. sicut prædixerat, *Venient ad te de longinquo, in similitudinem aquæ volantis in cælo, quæ te vastet. &c.*

Media illicita nil proficiunt.
Psal 56.
Duplex Pharisæorum intentio.
Genes. 37.
1. Reg. 18.
Est 3.
Deut. 28.

Venient ait, *Romani*. Ecce originem errorum concilij huius. In omni concilio iusto primus Deus assistere debet: hi verò Deum foras mittunt, & inuidiam atq; auaritiam consiliarios aduocant; quæ sunt duæ inferni furiæ: & tale prodijt decretum, quales erant consilarij hinc Esa. *Væ filij desertores, vt faceretis consilium & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum.* Si rectum vis agere conciliũ, primus consiliarius sit tibi Deus, & secundum Deum omnia considera. Ideo Christus *consiliarius* dicitur. Et ideò in omni negotio primùm ad orationem nobis est accedendum: sine qua fidendum nequaquam est vlli rationi vel sapientiæ: vt manifestum est in fœdere cum Gabaonitis, in quo decepti sunt Iosue & vniuersus Israël, quia *os domini non interrogauerunt*: post orationem verò ratio etiam consulenda est.

Origo errorum.
Concilio iusto Deus primum assistere debet.
Isaiæ 30.
Esaiæ 9.
Oratio in omni negotio præmittenda.
Ios. 9.

Sed, obsecrò, nónne irrideres hominem, qui in graui caussa ad bestiam aliquam accederet, vt cum ea consilium iniret? Qui omnem suam sapientiam ponit, vt bestię appetitus impleatur, huic consiliarius bestia est, cum ille efficiat, quod bestiæ placet. Quis miretur ex Caiphæ concilio prodire Christi mortem, cum nec Deum consuluerint, neque rationem, sed bestiales appetitus: Quis consilium Iudæ dedit, vt dominum venderet, nisi bestia auaritiæ? Quis Pharisæis, nisi bestia inuidiæ & auaritiæ? Pecunia maledicta, qua bellum indicis Christo, a quo eã accepisti: vt mortem eius impedires, data est tibi pecu-

Ratio in concilio adhibenda.
Bestiæ consilium.
1.
2.
N. B.
3.

Sic fecit S. Nicolaus. nia, non vt occidas. Vt cum videres periclitari castitatem propter necessitatem, ei succurreres, ne periret Christus in illo corde. Quod si non facis, quid Christo respondebis in iudicio tibi dicenti: vt vitam tuam eriperem, meam libenter dedi; & vt meam tu conseruares in illius corde, paruam pecuniam non dedisti? Quam auari sumus, vt demus pecuniam, vt viuat Christus; quàm prodigi, vt eum morti tradamus? Quot sunt hodie Pharisæis & Iudæis similes? Eo cum tua pecunia deuenies, quo Iudas cum sua, quando illi similis effeceris. Quantò melius tibi consilium esset, pati & mori, ne Christum offenderes; quando ipsum habens ditior es, quàm si cœlum & terram possideres.

4. *Bestiæ consilium.* Similia ineunt consilia, qui superbiam & iram consulunt: omnes enim hi bestiæ quærunt consilium; cuius vt impleatur appetitus, Christum occidere volunt. Et tandem eò deuenient, quo Pharisæi: in ea enim mala inciderunt, quæ hac via vitare conati sunt. Voluisti declinare infamiam Dei offensa? ea causa *dabo vos in opprobrium sempiternum, & ignominiam æternam,* Isaias ait. Væ tibi inhoneste, væ tibi auare, qui consilium inisti cum bestia: peribis in æternum, sicut isti, qui in concilio fuêre cum Caipha. *Isa. 30.*

Eccli. 37. Hinc Sap. *A consiliario male serua animam tuam.* An non melius consilium Deo placeret, vt in æternum viuas? *seminare* nunc *in lachrymis*, aliquid pati, vt *metas* gaudium æternum *in exultatione*?

A simili. Sed adhuc de alijs dicamus consilijs. In omni re graui consilium adhibes; vt si filiam traditurus es ad nuptias, vel simile quid acturus. Omnibus hominibus, qui sunt in hac vita, duo supersunt, vel æterna gloria, vel æterna pœna. Sed super hac re innumera concilia sunt; ex quibus mala procedunt consilia. Dicit quidam: Christianus sum, Baptismum suscepi, in cœlum migrabo sine dubio: & negligit quæ salutis suæ sunt. Caue miser, consilium hoc est Caiphæ. Quot enim Christiani dãnantur? Nonne decem erant *virgines & quinq; fatuæ* inuentæ sunt? Nonne *multi vocati, & pauci electi*? Alter dicit: Deus pro me mortuus est, sine dubio æternam salutem consequar. Sed, miser, ipsa tibi mors damnatio erit, & requiretur à te sanguis Christi: quia sanguinem testamenti conculcasti, & polluisti. Alter dicit: Vitam in melius mutabo, sed posteà. O prauum & stultum consilium. Audi spiritum S. *Ne tardes conuerti*

Duo hominibus fines propositi.
Consilia mala.
1.
N. B
Matth. 25. et 22.
2.
Hebr. 6. 10. 12.
3.

conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito e- *Eccli.* 5.
nim veniet ira eius. Deus quidem conuersioni tuæ ve- *August.*
niam promisit, sed dilationi tuæ diem crastinam non 4.
promisit. Alter dicit: Multa bona facio, hæc mihi satis:
audio sacrum, recito, facio eleëmosynam. Hæc tibi quid 1. *Tim.* 3.
proderunt, si Deo cor non dedisti? *Habentes quidem speciẽ* 5.
pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Alter ait: iam abso-
lutionem peccatorum à confessario accepi. Quid tibi id
prodest, si Deus te non absoluit; quia obicem posuisti gra-
tiæ eius? Omnia hæc consilia similia sunt Caiphæ consi-
lio, in quo Christi mors decreta est. Cauendum tibi à *Genes.* 49.
concilio tali. *In concilio eorum non venit anima mea. Beatus* *Psalm.* 1.
vir, qui non abijt in consilio impiorum. Nunc ergò cùm Christi
passionem celebramus; satis sit Christum semel crucifi-
xũ esse, nec amplius peccatis nostris illum crucifigamus, *Hebr.* 6.
vt illi, de quibus *Rursum crucifigẽtes sibi filium Dei.* Si iniquis
contractibus aliena vsurpas, in concilio malorum es, at-
tende quod Christum crucifigis: caue repetere tantum fa-
cinus; ea enim ratione mala omnia in te venient. Consi-
dera Christi amorem vsque ad mortem. Quem diliges, si
eum non diligis? Quem imitari poteris, si eum non imita- *Hebr.* 12.
ris, omnem virtutem docentem verbo & opere? *Curramus*
ergo ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei,
consummatorem Iesum Christum. &c.

DOMINICA PALMARVM.

THEMA: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* &c. Matth. 21.

FESTVM Ramorum diem cùm gaudio celebrauit *Typus*
Noë, cùm in fine diluuij venit emissa ex arca co-
lumba, *ramum oliuæ deferens in ore,* in signum diuinæ *Genes.* 8.
misericordiæ: & modo in extremo Quadragesimæ tem
pore festum Ramorum celebrat Ecclesia, in signum *Festum Ra-*
diuinæ misericordiæ, & finis diluuij peccatorum, quæ *morum signũ*
passione Christi sunt delenda, iuxta illud: *Vt deleatur ini-* *Diuinæ mi-*
quitas, & finem accipiat peccatum. Hæc summa Dei miseri- *sericordiæ*
cordia quam Ecclesia iam celebrare incipit, tanta res *Dan.* 9.

Fides de reconciliatione mundi semper necessaria. est, vt ab omnibus prænunciata Prophetis & Sibyllis, tot adumbrata figuris, tot confirmata miraculis, tot roborata testimonij; incredibilis tamen mundo sit reputata. Petrus. *Omnes Prophetæ annunciauerunt dies istos*, quia cum Deus decreuerit reconciliare omnia, semper eius fides fuit ad salutem necessaria. Huius autem incredulitatis ratio est, quòd cum omnia opera Dei, etiam minima, tam sunt miranda, vt nostram fugiant cognitionem; quomodo eam non superabit opus illud maximum misericordiæ Dei. Infinitum enim Deum pro homine, sui offensore mori, tanta res est, vt licet in Deo sit infinita bonitas & misericordia, vltra hoc quo procederet, non habuerit. Sed vt maximè hominum corda deuinciret, voluit hanc nobis misericordiam non exhibere solùm, sed libentissimo animo alacriq; illam præstare. Cùm enim beneficium recipimus, non solum eius magnitudinem attendimus, sed & voluntatem gaudiumque, quo nobis illud confertur. Ideò ad passionem veniens Christus Dominus, vt sui cordis lætitiam explicet, maximo cum gaudio hodiè excipi voluit, vt summa cura eum agere negotium redemptionis nostræ nouerimus. *Exultauit vt gygas ad currendam viam.* Eo igitur tempore aduenientе, quo sacrificium istud, omnia peccata tollens, erat offerendum, quo mors finem acceptura erat, venit Christus, Agnus Dei, in locum sacrificij & certaminis. Et sicut ducebatur agnus immolandus die quinto ante Pascha cum ramis in Hierusalem (vt simul veritas & vmbra, corpus & figura intraret) hodiè cùm agnus de terra ducitur in sacrificium, Christus similiter ingreditur, & tanto cùm gaudio, vt exhortentur nos Prophetæ Isaias & Zacharias. *Exulta satis, & iubila filia Sion: Ecce Rex tuus venit tibi.*

Act. 3.

Incredulitatis causa.

Misericordia Dei infinita.

Cur maximo gaudio Christus excipi voluerit.

1\. *Psal. 18.*

Typus. Exodi. 12.

Veritas. Isa 62. Zach. 9.

2\. *Duo in passione Christi consideranda.*

Secundò cum in Christi passione duo sint consideranda, primò acerbitas passionis, de qua in Christo & in nobis debet esse maximus doloris sensus: deinde fructus huius acerbæ passionis: hac ex parte est tanta materia gaudendi, ac ex illa tristandi. Videre enim mundum redemptum, cœlum apertum, infernum spoliatum, homines ad gratiam reuocatos, an non summa ratio gaudij? Hunc fructum explicat Isa. *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Vis plenius Christi passionis fructum videre, mente insurge,

Fructus multiplices passionis Christi.

Isa 53.

& considera vniuersam Ecclesiæ pulchritudinem, omnē gratiam, fidem, bona deniq; omnia eius, quæ procedunt à Christi passione. Sicut Dauid reuertenti à cæde Amalechitarum milites eius clamabant, *Hæc est præda Dauid*: sic hodie acclamatur Christo, *Hosanna, salua nos in altissimis.* quasi dicat, Omnes nos sumus præda tua, quam à dæmonis fauce eripuisti. &c. Hac ergò ratione Christus tantum admittit triumphum, vt fructum suæ passionis ostendat. 1. Reg. 30. Exemplū.

3. Tertiò tanta lætitia excipi voluit, & lætus procedere in passionem, quia venit, vt impleret obedientiam Patris. Habuit Christus à patre moriendi præceptum, vt certiùs salus nostra perficeretur. Hinc Paul. *factus obediens vsque ad mortem* Et Christus: *Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.* Ab vtero matris Christus mortem acceptauit, sed tanta charitate ac desiderio, vt dixerit, *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Et licet Pharisæi dicerent. *Non in die festo*: adhuc tamen *in die festo* moritur: quia hoc erat Christo festum & Pascha, in cruce esse propter nos. Tantę voluntati ac desiderio, tantæ charitati festus dies agendus est, & cum lętitia ei obuiandum. O immensa Dei bonitas, quanta cum voluntate procedis ad ea, quæ nobis conueniunt! si ab hominibus vocareris ad summas delicias, qua alia voluntate venires? Summa esset misericordia si vocatus venires, vt esses Rex noster; sed ad crucem venire, infinita est Dei misericordia. O Angelorum lætitia & torrēs voluptatis Beatorum, quid te delectat in passione, vt cū die dicas *lætitiæ cordis tui*? Dicit Christus: *Ignem veni mittere in terram*, & mea morte arsurus est. Et licet dolor passionis summus fuerit, sed maior multò extitit charitas: & ideò *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem* Et hæc quo ad Christum. Quod ad homines verò attinet, huius lætitiæ causa manifesta est: quia in morte Christi vniuersorum malorum nostrorum medicina ac remedium est. Omnis consolatio, quæ humano generi huc vsque dabatur, erat, illum spe salutis venturæ continere, ne desperatione rueret: sed dum hæc salus non aderat, plena consolatio non erat. Hodiè verò meritò ei dicitur *Exulta satis & iubila, quia venit tibi Saluator*: remedium habes iam omnium malorum præsens in morte Christi.

Philip. 2. *Ioan 14.* *Desiderium Christi moriendi pro nobis.* *Apostrophe ad Christum.* *Cant. 3.* *Luc. 12.* *Lætitiæ hodiernæ causa quoad homines.*

Omnes

Omnes ergò procedamus ad hoc spectaculum videndum.

Hic de maxilla ortus est fons Samsoni. Iud. 19. vt vult Orig. Cur in monte oliuarum. Tit. 2.

Cùm venisset Bethphage ad montem Oliueti. Bethphage vicus erat sacerdotum, & domus saltus: est verò in monte Oliuarum; quia sacerdotum voluptas & solatium in operibus misericordiæ esse debet. Cùm ergò ad passionem Christus venit, per montem transit oliuarum, id est, per summam misericordiam, quæ per oliuam significatur; quia, vt Paulus ait, *non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum magnam suam misericordiam saluos nos fecit* Sed aduertendum est, esse oliuam in monte, esse item in valle.

Oliua in valle. Oliua in monte.

Omnis amor naturalis, qualis est parentum in filios, amicorum in amicos, oliua est, sed in valle. Christi in nos misericordia oliua est in monte consita, quia in sua altissima charitate in nos, & in patris dilectione, & obedientia illi imposita nos diligendi, & redimendi: hoc fundamentum est misericordiæ Christi in nos. Ex quo sequitur diuersitas inter misericordiam hominum & Christi.

Misericordia humana & Dei differunt. Oseæ 6. Psal 85. 102. 110 N. B.

Illa cum debile habeat fundamentum, carnem, facilè dissoluitur. *Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens* Sic praua iræ occasio dissoluit amicitias fratrum & cæt. Christi misericordia in nos stabile habet fundamentum. Vnde maxima illa. *Misericordia tua magna super me.* Si in omnes homines admisisses, quæ in Deum solū peccata commisisti, nullus tibi amicus esset: at verò cū in Deum vnum omnia admiseris, adhuc ille te diligit, te fouet Hinc Iere. *In charitate perpetua dilexi te*, en montem: *ideò attraxi te miserans tui*, en oliuam Hinc sequitur semper, dum in via sumus, nobis esse aditum ad Deum, quantumuis peccauerimus: quia in Oliuarum monte est. Et ideò ex oliua ostia tabernaculi facta sunt: vt significet semper diuinam nobis patêre misericordiam. Accede ergò nunc, dum Christus in hoc monte est, ne transeat in iustitiæ montem; cùm eum quærere non valeas.

Ierem. 31.

Sap 15. 3. Reg. 6. Allegoria.

Iumenta humilia cur voluerit. Aug. tract. 51 in Ioā. 12 Comparatio.

Mittit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite & adducite mihi Iumenta ei deferri humilia voluit: quia etiam in sublimibus humilitatem immiscet. Romæ triumphus dabatur victoribus, qui egregia facinora præstiterant: Christo hodiè conceditur triumphus, tanquam victori mortis & peccati. Alij incerti de victoria, triumphant

phant post illam partam: Christus verò certus de illa, an tè triumphat: quo se adstringit, vt vincat; non enim potest veritas falsò triumphare. Et tandem hic triumphus victoriam præcedit; quia nullus alius morte sua inimicos vincit, vt Christus fecit: & ideò triumphus nunc datur hinc de Magdalena ait. *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam*. Cùm verò tanquam triumphator hodie ingrediatur Hierusalem, non ea, qua potuit, maiestate ingreditur, sed multa cum humilitate. Duo de Christo fuerant per Prophetas dicta, grandia & humilia. Sed in sublimibus non adeò excelluit, vt hodie patet. Dictum erat ipsum hodie quasi Regem ingressurum: poterat omnem maiestatem ostendere, & venire in curru illo, de quo Psal. *Currus Dei decem millibus multiplex: Dominus in eis in Sinai sancto*: & ecce asina & pullo vehitur. In humilibus omnem adhibuit curam: sic se deiecit; vt amplius deijci non potuerit: & *factus sit nouißimus virorum; vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis*. Nullus vnquam tanto studio curauit ascendere, ac Christus descendere. Ideò sine multa exteriori pompa procedit. Alij, Reges vt excelsiores appareant, & ad personæ defectus supplendos, indigent cultu regio, ministris, thronis: sed Christus tantam habet in sua persona maiestatem, vt cultu exteriore non egeat. Isai. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum; & plena erat omnis terra gloria eius*: non enim creaturæ Deo maiestatem præstant; sed contrà Deus illis.

Triumphus Christi certus.
Ioan. 12.
Maiestate magna cur non ingrediatur triumphator Christus.
Psal. 67.
Isa. 53.
Psalm. 21.
N. B.
Christus exteriori pompa non eget.
Isa. 6.

Soluite, ait, *& adducite mihi*: Sinè dubio aliquod hic latet mysterium: pedibus enim viam agere solebat Christus. Et prætereà idem mysterium hic latere ostendit, quòd Zachar. meminit horum animalium. Significatur ergò populus gentium & Iudæorum, qui nunc Christo Domino adducuntur. Nec mireris hominem iumentum dici; quia *cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus*. Et iustus de se ait coram Deo: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. Sed non solum iumentum homo est, verùm etiam *ligatum*, cùm peccato tenetur. Hinc Sapient. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur*. Cùm gratia homo ornatus est, facilè dæmoni resistit: si verò peccato ligitur, in potestate diaboli est, vt eum circumferat, quo voluerit.

Origen tract. 14. in Matth.
Zach. 9.
Mysterium in animalibus.
Psalm. 48.
Psalm. 72.
Prouerb. 5.
Chrys.

Peccatoris ligati miseria. Non quod homini auferamus liberū arbitrium, sed quod Dei gratia destitutus, & diaboli seruituti permissus, eius obtemperat iussis. An non peccati vincula sæpe experiris; cùm velles à peccato exire, & tamen id difficile valdè tibi est: quia adhærere tibi vides *sedem iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto*? *Psalm. 93. 2. Tim. 2.* En iumentum ligatum, & peccatorum onere depressum; nec surgere valet, licet id conetur nisi magno labore, & aliorum adiutorio. Sed quid nunc Christus ait? *Soluite & adducite mihi*. Dei quidem est hominem soluere: *dominus soluit compeditos*. *Psalm. 145.* Et Psal. hoc sentiens gratias agit, *Disrupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*. *Psal. 125. Gratia liberat.* Et ad hoc Christus in mundum venit, *vt dissoluat opera diaboli*. *1. Ioan. 3.* Et Paul. *Vos enim in libertatem vocati estis fratres* *Galat 5.* Gratia enim liberamur & soluimur. Hanc verò ministri cōferunt in Sacramentis. Ideo ad eos ait. *Soluite. Quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cœlis* *Ioan. 20. Matth. 26.* Mira hominis potestas. Cum audis à confessario, *Ego te absoluo*, tūc solueris à diaboli laqueis; tunc dicere potes, *Disrupisti vincula mea*. tunc eriperis *de potestate tenebrarum, & transferris in regnum dilectionis Dei*. *Coloss. 1.*

Soluti ad Christum ducendi. *Et adducite mihi*. Soluti homines ad Christum trahendi sunt in montem, vt impleatur illud: *Filij tui sicut nouellæ oliuarū*. *Psal. 127.* Quid prodest captiuum soluere & statim derelinquere, vt quam citissimè in captiuitatem reducatur pristinam? *Simile.* Ita satis non est peccatorem soluere, nisi ad Christum adducas. *Simile.* Id verò confessarius præstat, cum peccatori monita salutis dat, vt Christo adhæreat, & peccata deuitet. Si medici opera restitutus es, ab eo petis ordinem cibi & potus: sic in medela animæ tuæ tibi faciendum est. Non tibi satis sit absolui & sanari, nisi ordinem vitæ melioris accipias, quo in accepta gratia perseuerare valeas, & peccata vitare, ac tentationes superare. Id Christus monet dicens, *Adducite mihi*.

Si quis vobis aliquid dixerit. &c. Miraculo est adscribendum, quod verbis illis continuò permiserint domini asinæ & pulli discipulis, vt iumenta tollerent. *Chrys. hom. 67. in Matth. 21.* Non erant illa cōmunia, quia Lucas ait. *Domini dixerūt, Quid soluitis pullum?* *Lucæ 19.* Ostendit quoq; contradictionem continuò futuram, quādo aliquis soluendus est: continuò enim & dæmon & mundus illud impedire conantur. *Dæmonis obmurmuratio, & cura* Tam peruigili cura est, vt nos expugnet, *non dormitabit, neque dormiet*; sed ad

omnes

omnes mundi dæmonisq; fraudes responde: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed nō vt lex tua.* Cùm tibi suadet dæmon, pœnitentiam differre, fabulatio est. Dicit tibi dæmon, Postea: dicit tibi Deus, *ne differas de die in diem.* Vide, fabulatio est dæmonis consilium. Sicut Pharao curat impedire egressum Israël ex AEgypto: sic dæmon egressum tuum à peccato conatur impedire fabulationibus. Sed tu ei ne credideris: sed cura, vt soluaris: *Solue vincula colli tui captiua filia Sion.* Dic, *Dominus his opus habet* Dominus me vocat: me dicit se indigere. Sed aduertendum, quòd primum Christus, *Dominus*, dicit, deinde addit, *His opus habet.* quoniam dominorum proprium est indigere, debitis onerari: iam vix nobilis est qui non egeat. Sed nota miseram conditionem tuam, ad quam excessibus deuenisti: sic enim cum indigeas, nec hoc mundo frueris, nec futuro Hoc non frueris, quia seruus es creditorum, miser & omnibus indigens, nulli potens benefacere. Futuro non fruêris, ad illud enim nec ieiunijs, nec cilicijs, nec corporis maceratione deuenire voles. En ergo vtroque seculo fraudaris. Sed interim rationem consule, vt videas te non sapere, dum plura consumis, quam tibi Deus dederit. Dat tibi centum, nec amplius dare voluit: tu vis insumere mille, contra ordinem Dei facis, non poterit tibi bene esse: quæ ab illo non sunt, sine ordine sunt, ideò peribunt.

ad nos expugnandos. *Isa 5.* *Psal 118.* N. B. *Eccli. 5.* *Exod. 2.* *Isa. 52.* *Debitorum miseria.* N. B.

Sed meritò dubitari potest, qua ratione humilis corde Christus hanc hodie gloriam sibi præstari voluit. Primò vt à nobis agnosceretur: hæc enim nobis *vita æterna* est: 2. vt in se nobis exprimeret vanitatem gloriæ mundi huius, quæ citò transit. Estque serenitas in hyeme, quæ citò mutatur: tranquillitas maris, quæ dicto citius in tempestatem vertitur. Fortunæ stabilitas nulla est; similis vento, qui iam hinc, iam inde perflat Non hæc aduertunt vani homines Sicut ergò Christus hodiè cū gloria suscipitur, & cito crucifigitur; hodie Saluator dicitur, & cōtinuò Barrabæ postponitur: ita mūdus tecum aget. Similis Ioab, qui amplectitur Abner, & occidit: & Absalon, qui Amnō inuitat, & ei mortem infert. Quò tandem, credis, deuenient vniuersa festa, comessationes, delectationesq; mundi: in morte tandem finē accipiēt. Sicut omnes riuuli fontium hinc inde conglobati in mare veniunt amarum: ita vniuersi

Cur hanc gloriam sibi Christus exhibere voluerit. *Ioan. 17.* Simile. *Eccli. 1.* *Vanitas gloriæ mundanæ.* Exemplū. 2. *Reg.* 3. 14. 20.

Simile. uersi, qui in mūdo delectantur, in mortem tandem ueniunt amaram. Edocemur ergò raptim per mundi oblectamenta transire, nec in eis oblectari aut detineri: similes
Simile. facti Aegypti canibus, qui è Nilo bibituri, properè hic illic bibunt, ne à crocodilis interimantur. Omnia, quæ mundi sunt, citò transeunt. Transi ergò per ea currens, nullibi commoreris, ne à dæmonibus capiaris.

Mundus desiderat regē. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Summum mundi est desiderium Regem habendi. Regnabit olim Deus super Israël & ipse iudices constituebat, quos volebat: & tunc cura Dei maior erat erga Israël. At illi Regem hominem à Samuele postulabant: quare iratus est dominus dicens, *Non*
1.Reg.8. *te abiecerunt sed me, ne regnem super eos.* quia non spe in me collocata, sed humana prudentia regi voluerunt. Dedit illis dominus peruersos reges homines, præscribit illis onerosa ac grauissima Regni iura; nihilominus tamen
Deus vt nobis imperet factus est homo. regem desiderant. Deus verò, qui hominibus principari vult, ait. Regem alium habere non vultis, nisi qui homo sit; ego homo fiam, & Rex vester ero. *Dicite ergo filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi. Ille autē constitutus est Rex ab eo:* non
Psalm 2. enim seipsum cōstituit Regem, sed à patre cœlesti est con-
Hebr.2.& 5. stitutus & vnctus. Si enim Christus seipsum Regem non constituit, sicut nec Pontificem, quis id tentare audebit,
Ioan.17. nisi pater cælestis, qui ipsum clarificauit? Sed cùm in nostro Rege contingit, vt Deum nobis placatum sciamus
Rex noster non est oneri nobis. propter Regem, imò eo habito ipsum placamus; & non oneri nobis futurum sed honori, imò omnia onera super
Isa.9.53. Regem esse ponenda: quia *factus est principatus super humerū*
1 Reg.9. *eius:* quin & nos illi oneri sumus; omnia enim debita nostra ipse exoluit; quid ad hæc dicemus? O Rex verè desiderandus, qui, sicut Saul, *altior est vniuerso populo ab humero & sursum:* omnes enim capite excedit, quo Deus est, & ideò perpetuum illi regnum est. Quod vel in regni corona
Corona regis nostra immobilis. videre licet. Cæterorum Regum coronam vel leuis aura tollere de capite potest: Christi tamen corona spinea sic capiti infixa est, vt nulla tempestatum vis, eam ei auferre possit.

Sed & eadem corona ostendit quale sit regnum
1.Reg.8. Christi. Samuel olim regnum instituens, in honore, delitijs, ac diuitijs instituit: quam institutionem omnes Reges obseruant. At Christus diuersum instituit regnum, dicens:

dicens: *Beati pauperes, beati qui persecutionē patiuntur; quoniam* *Diuersitas*
ipsorum est regnum cælorū. Docui. ergò esse aliud regnum cę- *regni Christi*
leste in medijs spinis & contumelijs: hoc est Christi reg- *à mundano.*
num, & proinde spinis coronatur. Aue igitur, ô noue *Apostrophe*
Rex, regnans in medio tribulationum: aue inuictissime *ad Christum.*
& regie anime in medijs contumelijs. An non regium *Actor 5.*
est, sic tribulationes excipere, ac rosas? Sic Apostoli flagel- *Cant. 1.*
lati regnabant. Tunc Christi Ecclesia floruit & regnauit, *Quando nos*
cum in medio fuit tribulationum: tunc *nigra* erat perse- *regnemus.*
cutione, sed interius *formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pel-*
lis Salomonis, intus regijs splendens opibus. Vis tu nosse,
quando regnas? quando in medio tribulationum es re-
gio & erecto ac inuicto animo: hoc te Christus modo re-
gnare docuit. Inde Paul. *Cum infirmor tunc potens sum.* & cęt. *2 Cor. 12.*
Regius ergò animus declaratur in tribulatione, in Christi *Regius ani-*
bibendo calice; cùm regnas à ligno sicut Christus. *mus.*

Deinde quale illius regnum sit, ipse ostendit, cùm ait. *Psal 95.*
Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni *Ioan. 18.*
in mundum, vt testimonium perhibeā veritati. Et, *Constitutus sum* *Psalm. 2.*
Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum *Isa 61.*
eius. Et Isa. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, Euan-* *Luc. 4.*
gelizare pauperibus misit me. &c. Vt regni huius dignitatē in- *Dignitas re-*
telligas, nota in tremendo conflictu cùm primo parente *gni Christi.*
nostro, imò cum toto humano genere inuito, Adam vi-
ctum esse, & cum tota sua posteritate in miseram serui- *2. Petr 2.*
tutem ac captiuitatem ductum. quia *à quo quis superatus est,* *Ioan 7.*
huius & seruus est. Tunc diabolus factus est *Princeps huius* *Ioan. 12. 14.*
mundi, rector mundi, princeps tenebrarum, à quo tenebantur ho- *Ephes. 6.*
mines captiui ad eius voluntatem. Cuius typus fuit captiuitas
Israëlis sub Pharaone. Vt ab hac captiuitate nos Deus eri- *Victoria re-*
peret, Filium suum Regem nobis constituit, qui illum ty- *gis nostri.*
rannum superaret: *qui eripuit nos de potestate tenebrarum, &* *Coloss. 1.*
transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Placauit Christus Pa-
trem, dæmonem exspoliauit regno, fortem armatum vi-
cit, spolia & arma abstulit, peccata condonauit, gratiam
hominibus dedit, qua à peccatis liberi Deo seruiant. Hoc
Christi regnum est, quod prædicauit, quo super animas
nostras regnat. Huius regni nullum finem futurum An- *Luc. 1.*
gelus dixit. Hunc regem adorare tenentur *omnes reges ter-* *Psalm. 71.*
ræ. Hoc regnum super omne regnum temporale est; & *Matth 2.*
hoc regno principatur super omnes mundi reges. Sed il- *Apoc. 19.*

Peccator dæmonem sibi Regem statuit. lud in hac parte mirandum maximè, peccatorem iterum sibi constituere dæmonem Regem, & à Christi regno discedere. Cuius rei figuram expressit Ioatham, filius Gedeonis, hac parabola. Ierunt ligna, vt vngerent super se Regem, dixeruntque oliuæ. Impera tu nobis. Excusauit se oliua, ficus, & vitis. & rhamnum sibi elegerunt in Regem. Id verò peccator efficit relinquens Christum Regem, & sibi dæmonem in Regem assumens; à quo excidium homini paratur, à quo ignis æternus procedet, eum combusturus. Sed non intelligit peccator, quàm truculentissimus ei hostis sit dæmon, nam amicum se simulat, cùm sit lupus rapax, & leo rugiens, *circuiens quærens quem deuoret.*

Iudic.9. Comparatio & similitudo allegorica. *Tyrannidem diaboli non intelligit peccator.*

Luca 1. Sed notandum, Christi Domini regnum figuratum fuisse in regno Dauidis: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius.* &c. Dauid verò geminum habuit principatum. Priorem fugiens Saulis sæuitiam, afflictus & egenus, latitans in spelunca, & conuenerunt ad eum omnes in angustia constituti. & cæt. Hunc principatum in hac mortali vita Christus gessit, vt ipse ait. *Venite ad me omnes, qui onerati estis.* Afflictos ad se vocat, vt eorum princeps, vt mederetur *contritis corde.* Et sicut Codrus Atheniensium Rex, mutato habitu interfectus, vrbem liberauit: sic Christus mutato habitu ingressus est bellum: occubuit in eo, & morte sua omnes nos in libertatem asseruit. Alter Dauidis principatus fuit, cùm regnauit in Hierusalem; & regnum illud opulentissimum fuit: significatque Christi Domini regnum post Resurrectionem suam, quod est æternum in cœlo. Hoc omnibus diuicijs ac delitijs affluit. Nemo verò in hoc opulentum Christi regnum veniet, qui hic non fuerit sub eius priori regno in vera pœnitentia & afflicta vita. Vnde Paulus. *Si compatimur & conregnabimus.* Merito ergò dicitur: *Exulta satis & iubila filia Sion: Ecce Rex tuus, qui te à captiuitate, & tyrannide* liberet. Hoc nunc nuntium mundo datur: exultet ergò & iubilet. *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.*

Duplex regnum Dauidis et Christi. *1. Reg.22.* *Matth.11.* *Isaiæ 61.* Exemplũ. *Aug. de ciu. Dei lib.18.* *Rom.8.* *Ioan.8.*

Plurima autem turba procedit obuiam ei cum ramis & laudibus. Christus arbor est florida, quæ vt *arbor vitæ in medio paradisi, sic operatus est salutem in medio terræ.*

Genes. 2. *Psa.72.*

terræ. Hodie florida hæc arbor est, ab omnibus laudatur. Sed continuò in passione dabit fructum. *Alij strauerunt vestimenta in via*. Cùm Deus Iehu per Heliseum vngeret in Regem ad delendam domum Achab, *pallium suum posuerunt sub pedibus eius. & cæt.* Hoc hodiè cum Christo factum est, qui venit, vt regnum dæmonis euertat. Restat vt nos simile faciamus, tollentes vestimenta nostra, scilicet corpora, & in via sternamus, vt CHRISTVS super ea gradiatur. Subijce corpus tuum & appetitus eius Regi Christo: iam enim resistendum tibi non est Deo. satis fuerit, quòd hucusque rebellis fueris: subijce te illi. Vsquequo rebellis peccator Deo non subijceris, sicut nec Pharao: *Vsquequo non vis mihi subijci?* Cùm omnes iam Christo obuiam procedant, omnes peccata relinquant, cur tu solus durus es? Exue ergò vestimenta tua, & Christo subijce: *Exspoliantes vos veterem hominem & cæt.* Sed aliqui hoc præstant, sed continuò resumunt, relabuntur in peccata. Tu verò non sic. Si Assueri palatium ingredi non licebat veste vili, quomodo coram Deo stabis veste immunda?

Allegoria. 4. Reg. 9.

Vestimenta Domino substernenda.

Exhortatio ad peccatores.

Coloss. 3.

Esth. 6.

Sed concinunt Regi: *Hosanna filio Dauid. Benedictus, qui venit in nomine Domini. & cæt.* *Hosanna* familiaris est acclamatio Iudæorum in festo Tabernaculorum cum ramis; & significat O salua, vel viuifica quæso. Acclamauerunt verò Christo, sicut Regi Dauid, cùm dicitur, *Domine saluum fac regem*. Additur, *filio Dauid*, id est, saluum fac filium Dauid, prosperè ei succedat, concede ei victoriam inimicorum, vt cum eo salui simus ab omni tyrannide. Hæc verò acclamatio, vt à Deo inspirata, fuit tempori conuenientissima: quia cùm hodie venit in certaminis locum, vt certet cum dæmone ac morte, quid conuenientiùs ei acclamari potest, quàm Deus te saluet, prosperum reddat ac victorem? vt & fecit. Vicit quidem dæmonem, mortem, infernum, *Confregit portas æreas, & vectes ferreos confregit*: cor verò tuum integrum est? Acclamamus hodie Christo, præsta, vt contra omnem humani cordis duritiem, victoriam reportet: caue ne Christo vllo modo resistas.

Hosanna quid significet.

Acclamatio tempori conuenientissima.

Psalm. 106.

Cor durum.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Primò benedicta res dicitur, quæ bona & optima est: & sic *Christus*

Christus quomodo benedictus.

Genes.26. 30. Christus benedictus dicitur;quia bonum est essentiale,& omni laude dignum. Secundò,benedictus est,qui multa *1.Reg.25.* bona recipit: & benedicere significat in Scriptura, bona facere. Sic etiam Christus benedictus dicitur, quia summa recepit à patre dona. *Non enim ad mensuram ei datus est spiritus*. Tertiò, Sicut maledictus ille propriè est, qui ita malus est, vt non sibi solùm malus sit, sed & alios malos faciat. Hinc Serpens *maledictus* dicitur *inter cuncta animantia* terræ,quia initium malorum est: Simili ratione benedictus ille est, quia non tantum sibi bonus est, sed & alios Christus Dominus bonos efficit,iustificatque:estque in eo gratia capitis,qua potest alijs *Ioan.1.* gratiam communicare. *De plenitudine eius nos omnes accepimus: qui factus est nobis à Deo iustitia, sanctificatio, redemptio.* *Psalm.132.* Hinc Psalm. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* &c. Posita est vnctio & benedictio in Christo capite,vt inde descendat vsq; ad *oram vestimenti*, vsque ad infimum fidelem. *Quia illic mandauit Dominus benedictionem*. Ille enim meruit nobis omnem gratiam,be- *Exemplũ.* nedictionem,sanctitatem.Sicut filij Prophetarum adora- *4.Reg.2.* runt Elisæum, cùm duplex spiritus Eliæ super eum requieuerat; Sic nos multo magis Christum adoramus, qui sibi & alijs Spiritum habet;&c.

FERIA SECVNDA POST DOMINICAM PALMARVM.

THEMA: *Maria accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi,& vnxit pedes Iesu.*
Ioan. 12.

Aug. libr.2. de cons. Euang. cap.78. Iansen. cap. 9. conc. Euang. Dioscor. li.1. cap.6.

PRimum omnium sciendum nobis est, hanc vnctionem eandem fuisse cum illa,quam Matthæus vigesimo sexto & Marcus decimo quarto capite memoriæ prodiderunt, factam fuisse in domo Simonis leprosi. Secundo sciendum, libram vnguenti nardi insumptam, in hac vnctione fuisse. Libra duodecim vncias habet. *Nardus* verò est frutex graui ac crassa radice, sed breui & nigra,

fragilique, aspero sapore, folio paruo ac denso; cacumina in aristas se spargunt: ideo gemina dote nardi spicas & folia celebrant. Ex nardo verò oleo delibuto fiebat vnguentum pretiosum: sed optimum erat, quod ex spica conficiebatur: & vnguento hoc veteres vsi fuerunt in capitis vnctione. Verbum autem *pistici*, nomen est Græcum, significans fidele, purum, syncerum, non adulteratum. Cum ergò recumberet Christus in domo Simonis, adfuit Magdalena, & primum Christi pedes lauit, & extersit capillis suis, & deinde eos inunxit pretioso vnguento, & tandem super caput Christi vnguenti partem effudit, & *impleta est domus ex odore vnguenti.* Quibus verbis innuitur, vniuersam Ecclesiam replendam odore huius vnctionis; vt Redemptor ait. *Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Potest Maria sibi meritò vsurpare verba illa. *Nardus mea dedit odorem suum.* Cùm verò nos hanc vnctionem prædicamus, verbum Christi impletur, illud prædicentis diuulgandum ac prædicandum.

Plin. lib. 12. cap. 12.
Hier. in Matth.
Euthym.
Vnctio Magdalenæ quid mysticè significet.
Cant. 1.

Sed quid excellentiæ ac dignitatis habuit vnctio ista? latent in tenebris gesta principum: hæc verò vnctio non delebitur ab hominum memoria, perpetuò in vniuerso mundo prædicanda est. Quam diuersum iudicium à mundi iudicijs? Apostoli dicunt: *Vt quid perditio hæc?* Christus verò: *Bonum opus operata est in me*, & adeò bonum, vt omnibus sit seculis prædicandum. Sed quis abiectæ mulieris factum ita exclamauit? Virtus profectò eius, qui hæc prædixerat.

Chrys. hom. 81. in Matth. 26.
Dignitas huius vnctionis.

Vt ergò pro dignitate sua hoc Magdalenæ opus valeamus æstimare, notandum nobis est, summo eam amore Christum prosequutam fuisse, cum primum ad pedes eius accessit, & peccatorum veniam consequuta est. Sic enim Christus tunc dixit. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Hic verò in corde illius incensus amor nō tepuit, sed mirum in modū auctus indies est. Hoc itaq; amore languida nunc & æstuans, ad Christi pedes rursum venit; & liquefacto corde instillat illud per oculos, & pedes abluit Christi, iterum capillis tersit, iterum vnguento vngit pretiosissimo: nihil omnia arbitrata esse in Christi obsequium. Simul Christo gratias agit pro percepta remissione delictorum; & quæ audiuit citò moritu-

Amor Magdalenæ in Christum.
Luc. 7.

rum Christum pro delictis omnium, præuenit illū vngere, quasi mox sepeliendum: Pedes eius exosculatur pro tā immenso redemptionis beneficio: & vt gratum ostendat animum, *quod habuit hæc, fecit*. Hinc eius oblatio gratissima fuit illi tanto amore ornata, tanta deuotione oblata. Quo docemur, non tā à Deo expectari substantiam operū, quæ in eius exhibemus obsequium, quā modum, quam deuotionē, quàm charitatē, qua illud Deo præstamus. Minimū nanq; opus magna charitate exhibitū, maximū censendū est: contra maximū tepide factū ac negligēter, minimum Deo est. Sic laudat *pauperculam mittentē æra minuta duo in gazophylaciū*, præ diuitibus, *qui ex abundanti sibi miserunt in Dei munera &c.* Sicut tunc oculis corporis videbat dona, quę ei offerebantur: sic nunc *è cælo Dominus prospicit super filios hominum, vt videat, si est intelligens aut requirens Deum*, eiq; dona offerens, ardentissimo eius amore flagrans: nam nō adeò attendit muneris quantitatem, ac offerentis voluntatē. Si ergò parua tibi sunt, quę Deo offeras, noli contristari: illa Deo maxima erūt, quantūuis minima, si maxima obtuleris charitate Hinc Paul. *Si voluntas prompta est, secundū id, quod habet, accepta est, non secundū id, quod non habet.* Et Paul. nō copiosum, sed *hilarem datorē diligit Deus.* Et Tob. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguū, hoc libēter impartiri stude.*

Marc. 14.
Oblatio amore ornata gratißima Deo.
Deus non ponderat substantiam operum nostrorum, sed deuotionis feruorem.
Lucæ 21.
Psal. 52.
Greg. hom 5. in Euang.
Matth. 5. c.
2. Cor. 8.
2. Cor. 9.
Tob. 4.

2. Sed est adhuc in hac vnctione aliud consideratione dignum. Discipuli putāt in summa largitate perditionem factā: illa verò, *quod habuit hæc, fecit*, nihil verò fecisse se credit. Amplius non fecit, quia plus nō habuit. Est enim gradus dilectionis perfectę operari magna, & reputare parua: operari multa, & reputare pauca: operari diu, & reputare breue: sicut videbantur Iacob pauci dies præ amoris magnitudine. Si enim *Beatus vir, qui timet Dominum, in mādatis eius cupit nimis*; si qui *timet, vult nimis*, quid qui amat? Non amanti aliquid magnum est, amanti nihil: breue etiam apparet, quoniam desiderat in ęternum seruire. Qui enim nimium diligit, postquam omnia pręstitit, ait: *Serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.*

Gradus perfectæ dilectionis magna parua reputare.
D Thom. opusc. de dilect. Dei.
Bernard.
Seneca
Amanti nihil magnum.

3. Est & aliud in hac dilectione expendendum, quod audacter cōsurgit, & caput Christi inūgit, & fracto alabastro vniuersum effudit vnguentum. En audaciam ingentis dilectionis. Baptista nō audet sacrum Christi verticē tangere, & indignū se dicit corrigiam calceamenti soluere. Hęc

Audacia dilectionis.

verò mulier caput illud sacrum, Angelis adorandum, potestatibus tremendum, tangit, vngitq́;. O mirabilem amoris audaciam. Perfecti amoris gradus est, quo facit audere vehementer. Sicut Ester corruit exanimata, visa Assueri maiestate: sic Magdalena ingressa est summa cum reuerētia corā Christo, & ad pedes eius prouoluta, dilectione ac spe aucta, fit audax; *quia charitas omnia sperat, & perfecta foras mittit timorem*, vnde mirabiliter audet. Qui considerauerit Magdalenam prius pedes Christi tenuisse & vnxisse, & deinde ad caput ascendisse, illudq́; vnxisse, meritò illam hederam dicet. Hedera natura sua in altum conscendere desiderat: sed dum sola est, illud assequi nō valet, sed humi serpit, donec arborem inuenit, aut parietem, cui innixa ascendere possit. Quo inuento ei adhæret, nullūq́; ascendendi finem facit, nisi quē arbor aut paries fecerit. Iustus quisq; hedera nuncupari potest, qui dicit, *Mihi adhærere Deo bonū est*. Nec adeò stricto vinculo hedera arbori iūgi potest, ac iustus Deo. Et hedera ab arbore separari potest, iustus à Deo diuelli non potest. Sic Paul. *Quis nos separabit à charitate Christi*. &c. Pręcipue tamē Magdalena viridis est hedera, q̄ sibi relicta humi serpebat, cū in ciuitate peccatrix erat: sed cū ad pedes Christi venisset, arborē inuenit eāq; maximā, excelsiorē cęlis factam. Eius pedes tenuit, eis adhęsit, nec ab eis Martha eā separare potuit: nec in horto discipulis recedentibus eū reliquit. In verticē arboris hæc hedera cōscendit q̄ initio pedes lauit, ad caput ascēdit. Tā insigne ergo charitatis op⁹ meritò voluit Christus in vniuerso mundo prędicari, & omnibus in exemplū proponi.

D. Tho. vbi suprà. *Esther 15.* *1. Cor. 13.* *1 Ioan. 4.* Comparatio. *Hæderæ natura.* *Psalm. 72.* N. B. *Rom. 8.*

4\. Est verò & alia ratio, propter quam voluit Christus hoc Magdalenę factum laudari ab omnibus. quoniam ab his, qui illud viderūt, fuit malè consultum. Nā *erāt quidam indignè ferentes, & fremebant in eam*. Vt ergò iustè Christus ageret causam Magdalenę, voluit, vt ei ablatus honor restitueretur. Sic nanq; suorū causam dominus agit, vt ijs in rebus, pro quibus passi sunt pro eius amore, maximè glorificētur; qui sine honore passus est, in honore habeatur maximo. Quod adeo verum est, vt decreuerit Deus, iustos ab improbis olim despectos ab eisdem laudari. Hinc Sap. *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum*. &c. *Ecce quomodo cōputati sunt inter filios Dei*. Sic voluit Ioseph venditum & seruum factum ab omnibus adorari, & *mendaces ostendit eos, qui eum maculauerunt*.

Christus suorum causam agit. *Marc. 14.* *Iusti ab impijs laudandi.* *Sapient. 5.* *Gen. 45.* *Sapient. 10.*

Sed respondendum est, vt opus ab omni iniuria vindicetur, Iudæ Iscariotis calumniæ. qui d. *Potuit hoc vnguentum venundari plusquam 300. denarijs & dari pauperibus*. Cui Christus occurrit. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis*. Quibus verbis ostendit Christus, non prætermittendam fuisse hanc vnctionem propter eleëmosynam, 1. quia tempus eleëmosynæ non vigebat tunc, sed expectabat: semper enim eleëmosynæ locus erat: vngendi verò Christi tempus instabat, quia continuò erat discessurus. 2. quia obsequium debitum erat certæ personæ, scil. Christo: eleëmosyna verò debetur non certæ personæ, sed pauperibus indeterminatè. Quia ergò tantus hospes, qualis Christus, aderat, posthabendi tunc erant pauperes, quibus alias benefieri poterat.

Pauperibus eleemosyna quando subueniendum.

Si verò consideretur persona Christi, manifestè elucet, non solùm actum illum bonum fuisse, sed optimum, & meritò in illius obsequium effusum vnguentum pretiosissimum. Tempus nanque illud, quo *Verbum caro factum* inter homines voluit conuersari, articulum constituebat vrgentis necessitatis ad exhibendum illi quæcunq; officia nullius pretij finibus limitanda. Vnde ista vnctio superflua non fuit; nec verò foret, si pretiosior inueniri posset; & omni erat eleëmosynæ præferenda. *Quod habuit hæc, fecit*. Quæ verba ostendunt Christi dignitatem, & Magdalenæ mentem. Magdalena excusatur, quod non plus fecit, *quod habuit fecit*. Plus enim faciēdum ei erat, si potuisset. At verò si solum attendisset Christus dignitatem diuinæ suæ personæ, omnia mundi pretiosa ab eo accipienda forent. Si enim tabernaculo Dei construendo, & templo Salomonis omnia pretiosa Israel data sunt; quid non debeatur tabernaculo corporis Christi? quid quod illi detur magnum putandum est? Meritò Magdalena pretiosum vnguentum defert: meritò Magi pretiosa dona offerunt, rectius multò quàm Salomoni. Bis autem vel ter pretiosis, quæ in mundo sunt, donis vti voluit, vt dignitatem suam ostenderet; aliàs in vniuersum repudiauit; vt nobis viam salutis ostenderet, gloriam mundi temporalem fugiendam, & viam crucis tenendam esse. Hinc verò etiam colligere nos oportet, ea, quæ diuinissimo Eucharistiæ Sacramento deseruiunt, optima esse debere, eiusq; ministerio pretiosa à nobis offerenda esse.

Actus vnctionis optimus ob dignitatem personæ.

Mens Magdalenæ larga in Christum.

Exod. 35.
1. Paral. 29.

2 Para 9.
3. Reg. 10.
Matth. 2.

Pretiosis mūdi donis cur vtatur Christus.

Sed

Sed qua potissimum ratione ductus sit Iudas, vt tanto detraheret facto, aperit Ioan. *Hoc dixit, non quòd de egenis pertineret ad eum, sed quia fur erat, & quia loculos habens, ea quæ mittebantur portabat*, voluitque illud vnguentum potius venundari, vt vel decimam eius partem sibi furaretur: ideò Christum vendidit 30. argenteis, qui erant decima pars 300. denariorum. Qua in re manifestè ostenditur, quantum sit auaritiæ malum, quod Christi discipulum eò traxit, vt Magdalenam reprehenderet, & Christum Dominum venderet. De hac Chrys. Grauis est auaritiæ morbus, qui oculos excæcat, & aures obstruit, & fera sæuiores reddit. Hæc Giezi lepra perfudit, Ananiam & Sapphiram perdidit, Iudam proditorem fecit. Hanc Paulus Idololatriam meritò dixit. Sed cur ita appellauit? Habent nonnulli pecunias, & his vti non audent, & tanquam si esset sacrum quid, tangere verentur. & quemadmodum idolum argenteum vel aureum vectibus & claustris seruant cultores, sic auari pecunias custodiunt, & cæt. Nec hæc cupiditas naturalis nobis est: fuisset enim ab initio at tunc aurum non erat. Vnde ergò ingeneratus hic morbus? Vnusquisq; maiori æmulatus morbum hunc auxit. Cùm enim quis vidit vicini sui splendidam domum, ornatum, greges seruorum, vt eum superaret pro viribus contendit itaque primus secundo causam, secundus reliquis præbuit. Sed dum maximus apparere desideras, audi quid consequaris, certè vt latro prædoque iudiceris. Sed quomodo hoc? Audi. Vides nunc diuitis maximam domum, vel balneum, aut prædium, & ais: O quanta ille rapuit, quot pauperes expoliauit, vt hoc perficeret opus. Quod putauit illi futurum in gloriam, fit in ignominiam. An non sic cum Iuda actum est? in cuius dedecus perpetuò prædicabitur in mundo, quòd Christum prodiderit; sicut in laudem Mariæ, quòd Christum vnxerit. Cauenda ergò nobis auaritiæ pestis est, & omninò fugienda. &c.

Hieron in Matth. 26. Beda in Marc 14. Thom. in Ioan 12.

Auaritiæ malum.

Chry ho 64. in Ioan. 12. Hom. 81. 72. in Matt. 26. N. B.

Auaritia quomodo sit idololatria.

Auaritia quomodo mundo ingenerata.

FERIA TERTIA ET QVARTA DE IVSTO LATRONE.

Vide in Quadragesimali: & in Sylua Concionum, conc. 2. de septem verbis.

FERIA QVINTA IN COENA DOMINI.

THEMA: *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo.* Ioan. 13.

PROXIMVS iam eſt Chriſti diſceſſus ex hoc mundo ad patrem: cras enim proficiſcitur. Vſu venire ſolet, vt prope mortem magni Principis, vel diſceſſum in longinquam regionem, plurima negotia expediantur. Sic hodierna contigit die: cùm profectio & mors Chriſti proxima eſt, plurima peraguntur negotia grauiſſima. Hodie inſtitutum eſt diuiniſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, & Miſſæ Sacrificium: hodie inſtitutum Ordinis Sacramentum. Hodie finis impoſitus eſt Agno paſchali, & ſacrificijs antiquis. Hodie conficit Chriſtus Dominus teſtamentum ſuum. Hodie inſigne charitatis & humilitatis exemplum præbet. Nunc etiam oportunum tempus eſt negotia noſtra tractandi, & ex voto abſoluendi. Cùm proximus morti Dauid eſſet, acceſſit Bethſabee, & regnũ filio Salamoni petijt, ac obtinuit. Oremus Mariam matrem, vt regnum gratiæ ſuis precibus obtineat, id facilè aſſequetur. Adeò enim nunc magnificus & munificus eſt Chriſtus, vt ſeipſum omnibus donet.

Simile. *Negotia ſumma in cæna Domini peracta.* nota. *3. Reg. 1.* *Magnificentia & munificentia Chriſti.*

In Deo noſtro omnem perfectionem eſſe, ratio naturalis manifeſtè docet; cùm ab eo omnis creaturæ perfectio emanauerit: nemo verò dat, quod non habet. Et hoc oſtendit nomen illud Iehoua. Cùm ergò amor perfectio ſit, ſine illo nequaquam eſſe poterat. Hinc Ioan. *Deus charitas eſt.* non eum dicit amantem ſed amorem. Et hunc ita præcipuum habet, vt ſuper omnia attributa illum manifeſtare voluerit. Et cùm in mundum venit factus homo, licèt alia attributa diuina abſconderit, charitatem tamen præcipuè manifeſtari voluit. Nunc autem diſcedere volens *in finem dilexit nos,* id eſt, ſummis operibus eam declarauit, & tantis, vt, quò vltra procederet, non erat. Cùm deſcendit in rubum igne plenum dixit: *Vidi afflictionem populi mei, & deſcendi, vt liberem eum.* Sic nunc amore noſtri, qui illum è cælis traxit, deſcendit homo factus, vt nos eripiat de poteſtate tenebrarum. Venit ad ſpinas dolorum, ardens charitatis

Amor eſt perfectio. *1. Ioan. 3.* *Deus non eſt amans ſed amor.* *Charitas Dei immenſitas.* Allegoria. *Exodi. 3.*

tatis

tatis igne. Accedamus ergò cùm Moyse, vt videamus Deum inter crucis spinas amore flagrantem. Quis enim nisi amor Deum in cruce posuit, quæ data est Christo, sicut Moysi virga, vt potentiam dæmonis confringeret. Eam verò immensus amor suscipere coëgit.

Amor Christi perseuerans.

Ioan. 1.

Dona Christi in cœna præstita sunt mirabilissima.

Poterat quis in dubium vocare, an Christi amor tepuerit, & imminutus fuerit, dum in mundo vixerat: nam *in propria venit, & sui eum non receperunt.* Nihilominus tamen in amore perseuerauit vsq; ad vitæ finem, & tunc maiora signa amoris dedit. Hoc significat, *In finem delexit eos*, vel vsq; ad mortem amare non destitit. Et quando Patres filios charissimos obliuisci solent; tunc Christus maiora in suos dilectionis signa dedit. Inter diuina dona præcipuum tenent locum passio Christi & Eucharistia. Vt hæc maxima sint omni ex parte, & ea debito in pretio habeamus, ostendit nunc Ioan. summo amore ac dilectione nobis data. Nam non minus attendit homo voluntatem, qua ei donum datur, quàm ipsum donum. Nec contenti esse debemus, si videamus, quid Christus exterius patiatur: sed præcipuè intuendum est nobis eius cor, immensa dilectio. Voluit ergo vt *lãcea latus eius aperiretur*, vt per ianuam illam apertam intraremus ad cor, vbi caminus ignis erat, vbi amor immensus, qui iam facilè videri potest, ianuâ apertâ. Inuitat nos mirabile ostium illud apertum, vt ingrediamur domum cordis mirabilem, eamq; conspiciamus. Si vilis & abiectus seruus Regis sui causa tormenta pateretur, dilectionis opus insigne exhiberet; & præcipuè in Regis memoria duraret, vt ei benefaceret. Si verò è diuerso Rex pro seruo nequam moreretur, multis prius perpessis tormentis, & sola regis dilectio in causa esset: res hęc mundo foret inaudita, & excessus amoris omnibus admirationi. Quod si omnibus hic amor immensus appareret, qualisnam videretur ei seruo, cui amor tantus exhibitus est? An non perpetuò recordaretur regis sui? Nunquam Rex terræ præstitit hæc seruo: sed rex ille seculorum pro homine inimico vitam dedit solo amore & charitate. Meritò proinde amoris vexillum portare dicitur, quia super omnes dilexit. *In finem dilexit eos.* Meritò ergò volens Ioan. proponere immensa Dei beneficia, Eucharistiam scil. mortem, & lotionem pedum, vt hæc credebilia reddat, ostendit prius immensum amo-

Ioan. 19.

Latus apertum Christi ostium est ad domum cordis sui.

Simile.

Allegoria. *Exod 12.* *Greg. hom. 22. in Euang.* *Ioan. 20.* *Crudum & coctum aqua Christum qui comedant.* *Assum igni qui comedant.* *Eccli. 2.* *Misericordia Dei tanta quantus ipse est.* *Hæretici cur errent.*

amorem, à quo hæc procedebant. Præcipitur Israëlitis *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni.* Quid necesse fuit hoc præcipere? quis crudum agnum comedit vnquam? Sed latet mysterium. Crudum enim Christum manducat, qui exteriora eius opera considerat, non verò dilectionem, à qua procedunt. Coctum verò aqua frigida eum comedunt, qui frigida speculatione naturali eum intuentur. vt Philosophi: & ideo in eum non credunt, sed scandalizantur Iudæi & gentiles. quia eius immensum amorem non considerant Si verò assum igni attenderent, diuinam illius dilectionem, à qua hæc opera procedebant, facilè crederent. Incredibiles enim amoris effectus conueniunt amori infinito, bonitati immensæ. Hinc Sap. *Secundum magnitudinem eius, sic & misericordia ipsius cum ipso est.* quasi dicat. Tanta Dei misericordia est, quantus Deus ipse. Vnde opera ab ipso profecta mirabilia erunt, & diuersa multum ab humanis. Credamus ergò hæc opera nos, quia in his se Deum ostendit, præcipuè cum Ioan. præmittat immensam Christi dilectionem, à qua hęc procedunt. Nihil enim non credi potest effectum ab amore immenso. Hunc non attendentes hæretici, circa incarnationem Dei, Euchariſtiam, & passionem errarunt sed diuinam dilectionem similem putabant amori humano: & ideò ea, quæ homo non faceret, credebant nequaquam à Deo effecta esse. Vnde qua ratione infidelis non credit, ego credo. Ille non credit, quia captum humanum opera ista diuina superant: ego hac ratione credo. Nunc verò ista in litera Euangelij expendamus.

Iesus sciens ne decipiatur. *Gen 3.* *Peccator est ignorans* Allegorica comparatio. *Remedium contra mala Ecclesiæ.*

Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora eius. Meritò *sciens* Iesus dicitur. Conueniens est nomen Saluatori, *sciens*, ne decipi possit, vt hi quibus dictum est: *Eritis sicut dij scientes*: quod si *scientes* fuissent non peccassent: quia omnis peccans est ignorans. Secundò, meritò *sciens* Saluator dicitur, vt prouideat malis futuris. Sicut enim Ioseph prænoscens futuram sterilitatem ei remedium adhibuit, & ideò Saluator mundi dictus est: sic hodie Iesus *sciens* vniuersa mala Ecclesiæ, eis remedium adhibuit, instituens Eucharistiam contra famem, & Ordinis Sacramentum, vt duces & speculatores Ecclesia haberet. Scit ergò horam mortis suæ & elegit; ac voluit vt non scandalizeris, cùm eum in cruce videris. Et ibi videre licet, quantum

malum fuerit curiositas eorum, qui voluerunt esse *scientes sicut dij*: cùm ea de causa tam acerba hora parata sit Christo Domino, quam ille sciuit, & voluit, vt peccatum deleret. *Horam suam* mortem dicit. Hora mortis verè hominis est. Tempus enim vitæ nostræ multis alijs impendimus, amicis, corpori, negotijs, delitijs, vt ferè nihil nobis remaneat, cùm illa sit adeò breuis, vt vapor sit ad modicum parens. Furatur nobis mundus maiorem eius partem. Ideò Paulus. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Hora igitur mortis nostra dicitur; quia in ea nos nostraq; curamus. Iustus horam mortis suam habet, quia ea vtitur in sui profectum, & ex ea colligit fructum sempiternum. Hinc Sapiens: *Ne impie agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo*. Qui tempus vitæ Deo dedit, à Deo accipit tempus mortis: qui verò diabolo vitam dedit, in morte seipsum non curat, & ideò tempus illud eius non dicitur esse. Sed audit impius *Nescio vos*. iustus verò, *vt requiescat à laboribus suis.*

Curiositas quantum malum.

Hora mortis nostra.

N. B.

Ephes. 5.

Matth. 7. 23.

Apoc. 14.

Sed nunc attende Euangelistam; ait enim. *Sciens Iesus, quia venit hora eius*. quasi dicat, Cum hæc hora eius esset, in qua se curare deberet, nostra curat, nobis prouidet. Quam diuersum Dei & hominis ingenium? Homo hora mortis tristis est, beneficia non confert: Deus verò hilaris ac largus. In morte se suaque dat. In horto dedit Malcho auriculam, in Caiphæ domo Petro veniam, in cruce matrem Ioanni, paradisum Latroni, veniam mundo. Nunc ergò accedamus omnes & petamus.

Christi hora passio sua, quia vita est nostra.

Lucæ 22. 23.

Ioan 19.

Lucæ 22.

Isa. 40. Nota

Vt transeat ex hoc mundo ad patrem. Vere difficilis durusque transitus, & adeò durus, vt sola illius cogitatio sanguinis sudorem effecerit. Sed asperitas huius transitus sublata est Christo transeunte. Quis mortis viam adeò planam hominibus reliquit, vt exultent in ea sancti? Certè Christi transitus Hinc Psalm. *Exaltabitur sicut vnicornis corpu meum*. sicut enim cornu vnicornis missum in aquam veneno infectam eam puram reddit, & omne venum tollit: sic Christi cornu abstulit crucis mortisque venenum. Transitu suo Christus nobis aperuit viam vitæ: & transire facit homines à peccato in gratiam, & à terra in cælum.

Transitus Christi durus.

Psalm. 13.

Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, id est, summa amoris signa dedit. Duplex erat in Christi

corde affectus ex amore procedens: Altero desiderabat à mundo discedere, quia sic nobis expediebat. Altero desiderabat manere: quoniam amor præsentiam expetit. Humanus amor vtrique nesciret satisfacere: at diuinus amor omni amoris affectui satisfecit: discessit per mortem, & mansit in Sacramento Eucharistiæ. Iuit ergò, & mansit. Sed dicit: *Suos qui erant in mundo*. Præcipua enim dilectione homines dilexit plusquam Angelos. Hæc præcipua Dei dilectio facilè colligitur ex hodierno Euangelio. 1. Condidit Deus Angelum & hominem gratia ornatum: vterque cecidit, sed Angelus irreparabiliter: Homo verò reparabiliter; eique relictum est pœnitentiæ lauachrum, quod significatur hodierna lotione. Super Angelum ergò Deus dilexit hominem, dum hoc in illum beneficium contulit, quod Angelo non præstitit, vt per pœnitentiam renouari possit, non semel aut bis, sed *septuagies septies*: quod præcipuam in homines misericordiam Dei commendat. 2. ostendit Deus præcipuum in hominem amorem super Angelum, quòd hominem in sanguine suo lauare voluit, cùm ei huiusmodi lotio tam caro pretio futura esset. Angelo ostendit misericordiam, ei benefaciens: homini non solum benefaciens, sed pro eo multa patiens. Vitam pro nobis dedit, non verò pro Angelis. 3. hanc præcipuam dilectionem in hominem ostendit, cùm instituit Eucharistiæ Sacramentum.

Ioan. 16. *Duplex affectus in corde Christi.* *Dilectio Dei maior erga homines, quàm Angelos.* *Matth. 18.*

In finem dilexit eos. dicit propter mortem suam, in qua plura & maiora dedit dilectionis signa. Hoc verò fecit, vt nos liberaret. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* (*Apoc. 1.*)

Sed quomodo tanto amori rependemus vices? Tigranes Rex Armeniæ captus à Cyro Persarum rege pro vxore sua concaptiua mori voluit. Illa verò posteà à Tigrane interrogata, quid illi visum foret de Cyri forma & magnanimitate respondit, se in Cyrum oculos non conuertisse, sed in illum, qui dixit se vita sua me redempturum. Sic & nos facere oportet, oculos in solum Christum conuertere, qui propria vita nos redemit. Hoc maximè à te Christus quærit, vt eum diligas, *quoniam ipse prior dilexit nos*.

Xenophon de pæd. Cyri. *1. Ioan. 3.*

Surgit à Cæna, & ponit vestimenta sua, & lauat pedes

discipulorum suorum. Peracta cœna agni Paschalis, in qua passionis suæ figuram expressam viderat, surgit à mensa: & antè Eucharistiæ institutionem pedes discipulorum lauat. Adeò tibi, Domine, desiderata mors est, vt ea tibi sit Pascha, sit hora tua? Hanc videns in agno, delectaris; & iterum in lotione pedum efformare vis.

Si hoc factum interius conspicias planè mirabile reperies. Significat enim hæc lotio illam, quam interius exhibet, misso in peluim Sacramentorum sanguine suo: & ideò cùm aquam in peluim funderet, intuebatur sanguinem suum, qui fundendus erat continuò, vt à peccatis lauaremur. 2. si hoc opus exterius solùm consideremus admirabile planè est, Deum scilicet genu flexum coram peccatoribus; ille cui *flectitur omne genu, & sub quo incuruantur, qui portant orbem.* Tanta erat hominis superbia, vt tam extrema indigeret medicina. Quid te erigit, ô homo? nobilitas, sapientia, diuitiæ? AEquasne in his Christum? Ecce Christum, qui est ipsa nobilitas & sapientiæ thesaurus humiliatur. *quid superbis terra & cinis?* Domi nus tantę maiestatis se deijcit, quomodo vanitatem mundi sequeris? Quodnam elationis tuæ fundamentum? nonne vile lutum? *Terra es & in terram ibis*. Contra verò Christus, *sciens, quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, & quia omnia dedit ei Pater in manus*, adhuc humiliatur. vt impleat illud Sapient *Quanto maior es humiliate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Maximæ verò admirationis est, quòd ante Iudam humiliatur eius pedes lauans. Sed num eius proditionem nouerat? Vtique: nam dicit, *vnus ex vobis tradet me*. Dicens proditionem Iudæ turbatus est misericordia illius, fecitque protestationem, quæ summè necessaria erat. Mirum enim valdè erat, vt in die, quo mundus redimebatur, & latroni paradisus dabatur, Apostolus damnaretur. Res stupenda hæc est, necessaria est protestatio, qua tot in Iudam beneficia se contulisse testatur, vt saluti restitueretur. dedit illi panem intinctum manu sua, genu ante eum flexo pedes eius etiam lachrymis lauit, & eos tenuit, quasi vi abducens eum à via inferi. O benignissimè IESV, quàm iusta est causa tua cum Iuda, & similiter cum omni illo, qui damnatur. Meritò cuicunque impio dicere poteris: *Quid debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci?* Dedi

Lotio mystica.

Humilitas summa redemptoris.

Isa 45.

Iob. 9.

Phil. 2.

In superbiā.

Eccli. 10.

Genes. 3.

Protestatio Christi in Iudam & nos.

Esaiæ 5.

Dedi sanguinem meum, vt illam irrigarem. Quid ad hæc respondebis miser peccator? Verè *omnis iniquitas oppilabit os suum*, sicut obmutuit, qui veste nuptiali caruit. Ideò accede, gratiam accipe, peccatum dimitte. &c.

Psal. 107.
Matth. 22.

Ponit vestimenta sua; quia *cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit*. Velut *linteo se præcinxit*, dum formam serui accepit, & *in peluim aquam misit*, vt nos lauet, dum sanguinem suum in sacramentis posuit, vt sordes ablueret peccatorum. *Linteo pedes tersit*, cùm in carne sua maculas à peccatis effectas sumpsit. O immensa Dei in nos charitas. Cùm calor nimius te vexat, vestimenta deponis: ita nunc charitatis excessus vestimenta deponere Christum cogit. Ardeamus & nos charitate tanta, vt charitate nos vulneratos esse dicere possimus. &c.

Philip. 2.

DE COMPASSIONE BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Iob 2.

AFFLICTIS consolatio esse solet, vt alij ipsis compatiantur. Sic consolantur amici Iob ipsi compatiendo. Erit ergò solatio Mariæ, vt ei nos compatiamur. Tenemur verò hoc præstare, quia filij eius sumus. Pro Christo filio recipit discipulum, cùm audiuit, *Mulier ecce filius tuus*: inæqualis planè commutatio; sed nobis summæ misericordiæ; omnibus enim datur in matrē. Ad eam ergò accedamus. &c.

Thren. 2.

Effudit quasi ignem indignationem suam, ait Hierem. Quia castigatio in Christo facta crudelior est, quàm quæ in inferno fit. Quia ibi puniuntur nocentes: hodiè verò punitus est innocens. Suscepit ille peccata nostra, dedit nobis iustitiam suam: sed diuersimodè; peccata enim sumpsit sola extrinseca imputatione, eius verò iustitia à nobis participatur formaliter. Cùm igitur Christi passio tam fuerit dolorosa, quantus fuit Mariæ dolor?

Dolor ex amore ad Christum.
Anse. lib. de excell. virg. Mar. ca. 4.

Sed magnitudinem dolorum, quos Maria hodie pertulit, quis explicabit? Ex duobus eius dolor processit: ex amore ad Christum Dominum, & ex summis Christi doloribus. Quanta verò hæc sint, quis dicendo consequi valeat? Amor Mariæ in Christum tantus est, vt omnem humanam & angelicam etiam excedat cognitionem. Videamus

mus copiosissimos fontes huius amoris, & inde colligere licebit, quantus & quam redundans sit fluuius amoris, qui ex fontibus tam vberrimis proficiscitur.

Ex triplici verò fonte promanat amor Mariæ in Christum. Primò ex affectu naturali matris in filium, de quo diuina Scriptura testatur, quod sit maximus: adeò vt cum Deus velit exaggerare amorem suum infinitum in homines, dicat maiorem esse amore matris in filium. *Et si illa oblita fuerit*, ait, *ego non obliuiscar tui. Sicut mater vnicum filium suum*, ait Dauid de Ionatha; *ita ego te diligebam*. Maximus ergo ille amor est, cum quo comparatur diuinus infinitus amor. In omni labore suo non legitur plorasse Iacob, nisi Ioseph amisso. Nec Iob commotus est in omnibus malis, nisi audita filiorum morte. Et experientia compertum est, tantum amorem esse matris in filium, vt eam dementet. Qualis ergò Mariæ in filium amor? maxime cum multa concurrant, quæ hunc mirum in modum augent. Erat ei quasi pater & mater; eius vnicus filius primogenitus, illi simillimus in natura humana, sicut patri in diuina. *Speciosus forma præ filijs hominum*. Accedit, quod mater est, quam filius deuinxit summis beneficijs vt eum diligat: in immensum eam exaltauit in matrem assumens: & in conceptione ac natiuitate sua integritatem eius non minuit, sed sacrauit, quam illa summè dilexit. Quis vnquam filiorum id fecit cum matre sua? Quo amor perueniet hic, tot titulis exaggeratus?

Amor Mariæ intensus ex tribus causis.
1.
Isa 49.
2 Reg. 1.
Amor naturalis parentum maximus.
Gen. 37.
Iob 1.
Naturalis amor summus in Maria erga Christum.
Psalm. 44.

Erat secundò in Maria amor supernaturalis in Christum, procedens à gratia & charitate infusa. Est autem charitas vehemens fortissimaque inclinatio, quam Deus animæ præstat, vt eum diligat. Estque adeò fortis, vt excedat omnem naturalem amorem. Nullus enim naturalis amor parentum effecit, vt ea pro filijs præstarent ac paterentur, quæ martyres pro Christo. Hic verò supernaturalis amor fuit in Maria summus. Adeò enim copiosa gratia & charitas ei data fuit, vt singulari priuilegio in via posita omnes beatos vinceret gratia & habitu charitatis. Nam cæteris per partes, at in Mariam se gratiæ infundit plenitudo. Simul ergo in illo camino cordis Mariæ pone amorem na-

2.
Amor supernaturalis Mariæ in Christum immensus.
Vis supernaturalis amoris.

turalem maximum, & superadde gratuitum, quo perueniet flamma illa?

3. Amor acquisitus ex quotidiano conuictu Mariæ & Christi

Erat tertiò in Maria amor acquisitus perpetuò conuictu Christi. Est enim conuictus oleum & ligna; quibus amor accenditur. Hinc sancti cum Deo suo maximè conuersantur, fugiuntque creaturarum conuictum, vt hic ignis in eorum corde ardeat. Maria verò Christo perfruita est ab initio vsque in finem: perpetua enim Christi asse cla fuit. &c.

Dolor ex Christi doloribus.

Sed ô beatissima Virgo, ex eodem tibi fonte promanat amarum & dulce, quod te Deo facit gratissimam; & quod te reddit mœstissimam. Cùm enim charitatis sit *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*; mensura doloris amor est. Quis ergò dolorem dicet? qui amorem. Hic inexcogitabilis est, ergò & dolor. Vnde eius nomine dixit Noëmi: *Ne vocetis me Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram: quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens.* Cui ergò comparabimus te ô Virgo beatissima? Nunquid matri Tobiæ, quæ *flebat irremediabilibus lachrymis lumen oculorum suorum*, moram facere: tu verò coram oculis tuis cernis vnicum filium crucifigi? Nec verò Machabæorum matri, quæ septem filios coram se vidit occidi, & matri eos consolari licebat. Sed Maria innumeras audit in Christum blasphemias, nec cum leuare potest consolatione. Nec te comparabo Abrahæ filium in sacrificium ducenti: illle enim reduxit incolumem; tu verò sine filio reducta es orphana. Nec te comparabo Iacob ploranti Ioseph: supererant enim ei vndecim filij. Nec etiam Dauidi ploranti Absalonem fœdum moribus, inobedientem patri & proditorem: Christus verò subditus tibi, omni prẹditus pulchritudine. Nulli itaq; comparanda es dilectione, nulli conferenda dolore. Si Christus exterius tantis vulneribus confossus erat; quale erat innocens cor Mariæ? Si vulnera per corpus Christi sparsa tam fœdum Christi corpus effecerunt; quàm amarum cor Mariæ erat, in quo simul vniuersæ plagæ? Sed præcipua aliqua dicemus, in quibus afflictio Mariæ summa extitit. 1. cum ei Christus passionem annuntiauit suam, dixitq; ei. Recordare mater dulcissima, *quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse*, oportet nunc patri ob-

Ruth. 1.

Comparatio Mariæ cum alijs. *Tob. 10.*

2. Mach. 7.

Gen. 22.

Immensitas dolorum in corde Mariæ.

Apostrophe Christi ad matrem.

tri obtemperare: accessit iam tempus, quo ego ex patris obedientia pro mundi salute vitam expositurus sum; in quo *doloris gladius pertransibit animam tuam*, vt tibi Simeon prædixit. Sed Domine cor dulcedinis reples amaritudine? *Luca 2.*
Verè nunc dicet Maria: *Inebriauit me absinthio, repleuit me amaritudinibus*, vberrimasq; fudit lachrymas, summo dolore affecta intrinsecus. Tunc illa filio in serui forma benedicens immẽsis lachrymis dicit. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxiliũ de sancto, & de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustũ tuũ pingue fiat. Tribuat tibi secundũ cor tuũ, et omne consiliũ tuũ confirmet. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.* Illa verò, etsi mater, tamẽ vt filia, genuflexo ab eo petit benedici, dicens cum Iacob. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Meritò Domine *benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Indiget illa benedictione tua, in tantam acerbitatem passionis tecum ingressura. Benedicit ergò illam Christus, ei promittens auxilium, vt in tanta tribulatione stare possit; & promittit vberrimum fructum passionis suæ. At verò summa est ei nunc amaritudo, ineffabilis tristitia, quia in Christo omnia amittebat.

Thren. 8. *Psalm. 19.* *Benedictio Christi in matrem.* *Genes 32.* *Psalm. 64.*

2. Dolore plenum cor Mariæ fuit, cũ crucem baiulantem vidit in calle amaritudinis, cùm iam morti proximus, flagellatus, spinis coronatus, omninò deformatus esset. Attende qualis tunc Christus procederet, factus *vir dolorum*, vt diceret Pilatus, *Ecce homo*. Cùm ergò talis apparuit dulcissimæ matri, dictumque ei est, *Ecce homo, ecce filius tuus*, quo dolore fuerit affecta quis cogitet? Quemadmodum cùm speculo res aliqua obijcitur, illam omninò intra speculum videbis: & cùm sigillum ceræ blandæ imprimitur, omnis eius linea in cera signatur: sic in Mariæ corde, quod est *speculum sine macula*, totus Christus effigiatus ẽst, & impressæ omnes istæ figuræ. Si Christus vir dolorum, illa mulier dolorum. Sed amplior te adhuc dolor manet, ô dulcissima virgo, Ascendamus in montem. Ibi oculis cernes Christum exspoliari veste sua, & ad hoc coronam tolli de capite eius, & rursus summa crudelitate affigi; manus pedesque perfodi, crucifixum in altum eleuari, sanguinem vndatim profluere; Audies innumera conuicia atque blasphemias. Ad quid hodie,

2. *Isai. 53.* *Simile.* *Doloris augmentum.*

virgo beatissima, oculi? ad quid aures? O quot dolores in cor tuum intrarunt per auditum, quot per oculos? O virgineum cor gladijs doloris vndique transfixum. Amor cogit oculos leuare; & dolor cogit eos deprimere. Et quocunque sit, in cruce est. Si enim non aspicit, amor eam torquet desiderio videndi eum: aspicit eum? dolor eam transfigit videns eum virum dolorum mori: nam ex dolore quid nasci potest, nisi dolor?

Mariæ oculi semper in cruce.

3. 3. Cùm eum exspirantem vidit, exspiraret vtique illa, nisi à Deo teneretur. Exspirauit enim ille spiritum Mariæ. Quæ illa hic verba diceret? Tu Deus meus mortuus, & ego viuo super terram? Grandis amor in te meus; cui testis dolor est immensus: sed quomodo mori potuisti, nec me interfecit tecum amor meus? cur me Domine tecum non duxisti? Quid mater tua sine te faciet? tu solus *Deus cordis mei, & pars mea.* sine te vt quid viuam? *Stabat* autem *iuxta crucem*, donec deponeretur. Sicut Respha concubina Saulis, quæ duos filios vidit crucifigi; nec recessit donec Deus placaretur terræ morte filiorum: sic Maria vidit crucifigi vnum filium, sed in duabus naturis subsistentem, & propter aliorum peccata crucifixus est, vt Deus terræ repropitiaretur, cui erat iratus, nec inde recedit, donec Deum placatum videat.

2. Reg. 21. Allegorica comparatio.

4. *Genes. 37.* 4. Afflictio summa Mariæ extitit, cùm Iesus deponitur de cruce, & in vlnas matris datur corpus exangue. *Vide an hæc sit tunica filij tui Ioseph, an non.* Videt corpus illud vndique laceratum, tabidum morte, sine specie & decore. Quis nunc Mariæ planctum valeat explicare? O Deus & fili mi, quomodo me dereliquisti? Est hæc facies gratiarum plena, in quam desiderant Angeli prospicere? quam ego meo pectore toties demulsi? O pulchritudo fœdata? O lingua, quæ verba vitæ habuisti, quis te mutam reddidit? O oculi, luce splendidiores, quis vos clausit? O manus diuinæ tornatiles aureæ, quæ omnibus opem tulistis, quis vos perforauit? O cor dulcissimum in homines, quis te aperuit? O caput tremendum potestatibus, quis te spinis transfixit? *Quomodo versa est in luctum chythara mea, & organum meum in vocem flentium?* Verè dicere poterat, *Cor meum dereliquit me.* Verè qui cor tuum erat, qui iuxta cor tuum genitus, quem diligebas plus quàm

Iob. 30.

cor, ipſe te dereliquit. Chriſtus & Maria vnum ſunt. In Maria nihil eſt, niſi Chriſtus. Dicebat Paulus: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Sed in nullo ſolus Chriſtus viuebat, niſi in Maria; ſolum in Maria ſolus Chriſtus viuebat; in qua nihil regnabat, nihil erat, niſi Ieſus: Mariꝗ ſolus Ieſus. Eam ergò comitemur, eius dolore doleamus, vt cum ea conſolemur ſuo tempore, Amen, amen.

Pſal. 39.

Galat. 2.

In Maria nil niſi Ieſus.

PASSIONEM *Domini inuenies in Quadrageſimali.*

FINIS PARTIS HYEMALIS de tempore, à Dominica I. Aduentus vſque ad Paſcha.

Sacrum Gradum Praesbiteratus accepi Warsaw. in Eccles. S. Joannis Baptistae Collegiata Sabbatho ante festum SS Trinit. ex manibus Illmi Rdi D. Lucae Koscieleczky a Koscielec Epi Posnaniensis 1593

Celebravi ... Missae dnica eiusd. Anni post festum SS. Trinitatis q erat D. ...

... ad Jesum publicum ... peccatores

Liber ...

1517

Fr. Michael Augustinus ...

Oficio